
V
B
J
C
19664

P. Hyacintus Vetia reducebat Japonicos Legatos

L. P. Augustinus Chaturianius ex duce Sinensi Jesuita cum Patre Matre sororibus fratribus filiis filiabus suis factus. ...

B Decretum predestinationis est absolutum interim praesupposita scientia media per quam infallibiliter cognovit in his et in illis circumstantiis cum auxilio gratiae liberum arbitrium quid sit facturum
NB Scientia media appellatur indice Marquisini

Comitis Matertera ejus dixit, quia erit Jesuita dictus, Ad hos adjungeris, qui sunt Viri graves docti modesti Zelo pleni et animarum charitate pleni.

NB Vasius Summa Indiarum Explorator, ejus socius fuit R. P. Petrus de Castrimmus, ordinis Sanctae Trinitatis qui prophetavit de futuris Dominis villarno

Rmus Tursus Generalis contra praedeterminationem physicam insurrexit 1650 ...

Wolmanowny.

Pius IV scribens ad Carolum 9num Galliæ regem dicit Societatem et ab Apostolica Sede confirmatam et a Concilio Tridentino approbatam 29 Maji 1565

Hic Liber inscriptus Cathalogo Societatis IESU Cracoviæ ad S. Barbaram.

1

FASTI
SOCIETATIS
JESU,

Res, & Personas Memorabiles
EJUSDEM SOCIETATIS,

PER SINGULOS ANNI DIES
repræsentantes,

OPERA & STUDIO

REVERENDI
P. JOANNIS DREWS, S. J.
PRUTHENO - VARMIENSIS
S. THEOLOGIÆ DOCTORIS.

CONCINNATI.
OPUS POSTHUMUM

BRUNSBERGÆ
Typis Collegii Societat: JESU. ANNO 1723.

APPROBATIO
Perillustris ac Reverendissimi Domini Vicarii Generalis Varmiensis.

POsthumum Opus sub Titulo Fasti Societatis JESU, Res & Personas memorabiles, ejusdem Societatis, per singulos dies, repræsentantes, Authore Adm: Reverendo Patre, Joanne Drews S. J. Pruthenô - Varmiensi, cum Summô Studiô & diligentia tam affabrè factum & concinnatum esse adinvenio, ut publico prælo dignissimum sit, prout esse judico, & Authoritate Ordinariâ Administratoriali approbo. *In* quorum *fidem* præsentes manu meâ subscriptas Sigillô Administratoriali solitô muniri jussi. Dabantur ad Ecclesiam Cathedralem Varmiensem die vigesima secundâ Mensis Junii, Anno Millesimo Septingentesimô, vigesimô Secundô

MICHAEL REMIGIUS LASZEWSKI
CUSTOS CANONICUS ET ADMINISRATOR
EPISCOPATUS VARMIENSIS.

FACULTAS
Reverendi Patris Provincialis.

CUm posthumum opus, cui titulus est, *Fasti Societatis JESU, res, & Personas Memorabiles ejusdem Societatis, per singulos anni dies repræsentantes*, operâ & studio Patris Joannis Drews S. J. Prutheno - Varmiensis concinnatum, quatuor nostri Theologi

recognoverint; & in Lucem edi posse judicaverint, potestate mihi à Patre Nostro Michaële Angelo Tamburino Præposito Generali Societatis JESU, ad id data facultatem concedo, ut hic liber typis mandetur, si ijs, ad quos pertinet, ita videbitur. In cujus rei fidem has literas manu mea subscriptas, & Sigillo officii mei munitas dedi. Varsaviæ 11mâ Junii 1722.

ALEXANDER SAWICKI
SOCIETATIS JESU
PER PROVINCIAM LITVANIÆ PRÆPOSITUS PROVINCIALIS.

PROTESTATIO AUTHORIS

INsistendo Decreto SS. D. N. Urbani VIII ejusq; confirmationi ac declarationi, observantiâ, ac reverentiâ, quâ par est; profiteor haud alio sensu, quidquid in hoc libro in laudem cujusquam refero, quod speciem Sanctitatis, aut miraculi habere videatur, accipere, & accipi ab ullo velle, quàm quo ea solent, quæ humana duntaxat auctoritate, non autem Divina Catholicæ Romanæ Ecclesiæ, aut S. Sedis Apostolicæ nitantur; ijs tantummodo exceptis, quos eadem S. Sedes Sanctorum Catalogo adscripsit.



I. JANUARII.

Nomen Societatis JESU Ordini nostro æternum est ac Venerabile.

1. Estum Titulare & Eucharisticum celebrat Societas: quòd eximio DEI favore, in specialem Sacrosancti & Salutiferi Nominis JESU participationem sit admissa: atq; in ea Apostolicæ Sedis, ac præsertim Gregorii XIV, Decretis in perpetuum firmata. In Bulla enim incip: *Ecclesia Catholica*, constituit Gregorius: *Nomen Societatis IESV, quo laudabilis hic Ordo nascens, à Sede Apostolica nominatus est, & hactenus insignitus; perpetuis futuris temporibus in ea retinendum esse.* In ampliorem hujus beneficii contestationem, primaria Societatis basilica, quæ est Domûs Professæ Romanæ, eodem Sacrosancto Nomine est insignita, sancitumq;: ut per universam Societatem, perpetuis temporibus, singuli Sacerdotes Sacrificium Missæ; & qui Sacerdotes non sunt, Rosarium integrum, aut tres Coronas Marianas, hoc die offerant DEO pro ipsa Societate; ut Magnum Nomen sibi inditum implere, ac Duci suo JESU pro viribus se conformare satagat, in promovenda DEI gloria, & Animarum salute.

Indulgentiâ plenariâ pro festo Circumcisionis.

2. Gregorius XIII. Pont. Max. idem festum Plenariâ Indulgentiâ, Christi fidelibus in Ecclesiis Societatis concessâ, ornavit Anno 1578. 7. Maji, Constit: *Quanta in vinea Domini &c.* In strenam verò Novi Anni obtulit Societati, eodem Anno, ipsis Januarii Calendis Bullam perquam favorabilem, incip: *Pastoralis officii cura*: quâ confirmat exemptionem Societatis à quibusvis decimis, etiam Papalibus, prædialibus, personalibus &c. aliisque oneribus, factam ab Antecessoribus suis Paulo III & Pio IV; derogatq; expressè Capitulo: *Nuper de decimis*, & Innocentii III Constitutioni: *Bullar. Soc: & Bullar. Magnum Constit: 51. Gregorii XIII.* Verùm hac Exemptione à decimis, in quibusdam provinciis ob bonum pacis ultro cessit ipsa Societas.

Bulla de Novennali Congregatione Gen. & Triennio Superiorum.

3. Emanavit hoc die etiam Breve Innocentii X. anno 1646. incip: *Prospero felicíq; statui*, de celebranda singulis novenniis Congregatione Generali, & eligendis in ea novis Assistentibus, atq; de triennali tantùm gubernatione Superiorum; postquam ab omni gubernatione vacare debeant, saltem per annum & dimidium. Verùm hæc Innocentii sanctio, *quo ad vacationem Superiorum*, ab Alexandro VII. inprimis variè laxata, deinde anno 1663. 1. Januar. motu proprio penitus est abrogata & cassata, propter varia nec levia incommoda. Quoad Novennium Congregationis Generalis, & Electionem novorum Assistentium, relicta est in suo robore & vigore.

Congregatio Generalis sub Claudio.

4. Hac die Anno 1593. Congregationem Generalem indixit Claudius Aquiviva, volente Pontifice Clemente VIII. ad instantiam Philippi II. Regis Hispaniarum, inducti à quibusdam Societatis perturbatoribus. Causæ indictionis afferuntur in literis datis ad Provinciales eadem die, nempe: [*ut collecta in unum tota Societate,*

 ac Spi-

ac Spiritus Sancti aspirante gratia, de iis rebus tractaretur, quæ ad stabiliendum hujus corporis statum, & promovendam ejusdem in obsequio divino & virtute alacritatem, plurimum habere momentum viderentur: ut ratio iniretur, qua reduci ad quietem possent aliquot Societatis provinciæ, quibus id magnopere necessarium esse intelligebatur: tum in primis, ut summo Pontifici Clementi VIII. id ipsum ob eandem causam, pro sua erga Societatem nostram paterna providentia, volenti satisfieret] Hujus porrò congregationis eventum, eo majori solicitudine, universa Societas exspectabat, quòd prima omnium esset, quæ vivo Generali Præposito haberetur, & quòd novo quodam indicta fuisset more, nec ei pristina libertas facilè constatura videretur. Juvencius l. 11. part. 5. §. 8.

Censura Libri P. Molinæ ad incudem revocatur.

5. In causa Libri P. Ludovici Molinæ, *de concordia gratiæ cum libero arbitrio*, cùm adversarii instantissimè urgerent; ut liber quantocyus damnaretur Romæ, quamvis approbatus in Lusitania post rigidum Examen, & in Hispania absolutus esset: ex parte Societatis supplex libellus oblatus est Pontifici Clementi VIII, anno 1599. 1. Jan. ut saltem audiretur Molina, & defensioni justæ locus daretur. Impetratum facilè; quia Pontifici suspecta jam fuit præcipitantia Consultorum, seu Examinatorum, qua raptim percurrerant librum: ideoq; jusserat illum & judicia lata secundis curis recognosci. *Eleutherius lib. 3. historiæ de Auxiliis, cap. 4. & 5.*

Eodem die obierunt.

Doctor Marianus.

6. Tolosæ in Gallia, anno 1564, P. Joannes Pelletarius, à S. Ignatio *Sancti Rectoris*, à populo Apamiensi & alibi *Doctoris S. Mariæ*, elogio honoratus, ob frequentes, quà publicè, quà privatim de V. DEipara sermones, cujus statuam ab hæreticis dejectam, magnifica supplicatione instituta, loco suo restituit, nequicquam frementibus iconoclastis. Injecta ipsi ab his etiam vincula; quæ eâdem toleravit constantiâ, qua oblatam Cadurcensem Infulam repudiaverat.

Peruanum regnum Christo subjectum.

Devotio erga JEsum Infantem.

7. Cusci in America Peruana, anno 1598. P. Alphonsus Barzena, Peruanorum Apostolus dictus. Ultimum gentilis Peruvii monarcham cum numerosissimo populo, Christo subjecit, potens verbo, opere, atq; memoriâ, qua undecim barbaras linguas, & omnes Apostoli Epistolas est complexus. Solo Eucharistico pane refectus, sæpe quinq; vel sex dies, labores gravissimos sustinebat; iter octo dierum aliquando paucis horis emensus. Infantiæ Christi tenerrimè addictus, cùm in gravi ægritudine parvam ipsius statuam non posset adducere in consuetos amplexus: ipsa accessit statua, & ulnis ægri se ingessit, dicens: *Ecce me, adsum tibi; non est, quòd te fatiges.*

Orationis studium.

Votorum renovatio frequens castitas verecunda.

8. In Philippinis insulis, anno 1617, P. Gabriel Sanchez, vir Apostolicus: Orationis studio tam addictus, ut inter copiosissimos labores, quotidie horas 7. ei impenderet; Votorum religiosorum tam amans & observans, ut diebus singulis eorum formulam sexagies renovaret; Angelicæ puritatis tam studiosus, ut naufragus, in fundo maris non sit passus ab urinatore vestem sibi detrahi ad enatandum faciliùs.

Labor & felicitas in convertendis sagis

9. Treviris anno 1607. P. Lucas Elleniz; in disponendis ad ferale bustum veneficis mirè solicitus, laboriosus, & felix. Facile ducentis salutariter adfuit solitus dies, noctesq; pro miserabilium illarum animarum salute, in carcere transfigere, orando, & exhortando; quidquid moverent dæmones, & quamvis in veneficorum Senatu conclamatum fuerit de capite ipsius.

II. JANUARII.

1. ANno 1604, Edictum Henrici Magni de reſtituenda in Galliis Societate, editum in Septembri anni 1603, hoc die regiſtratum eſt in Parlamento Pariſienſi, ac deinceps executioni mandatum. Ne verò poſt fata Regis, novas in Societatem concitarent tempeſtates adverſarii, præſertim hæretici: Ludovicus XIII. rex Chriſtianiſſimus Edictum Patris, ſua, & Reginæ Matris regnantis, authoritate ampliſſimè ſolidiſſimèq; confirmavit; præcepitq; Conſiliariis ſuis in Curia Parlamenti, Seneſchalcis, cæteriſq; juſtitiæ adminiſtris; ut ſuâ operâ & authoritate protegerent Societatem, & ab impetitionibus vindicarent. *Gomez in Elog. Societ par. 2. Claſſe 2.*

Edictum in Gallia de Societate reſtituenda.

2. Anno 1556. Univerſitas Lovanienſis, requiſita à Sereniſſima Regina Maria, Belgii gubernatrice; quid ſentiret de Inſtituto Societatis, & hominibus ejus inſtituti? præclarum in ſcripto dedit teſtimonium de Sanctitate Inſtituti; & quòd nihil in Societatis Privilegiis, Bullis, moribus & converſatione poſſit inveniri; quod toti Eccleſiæ, & inferiori Germaniæ non ſit expeditius & utile. *Gomez ibid. Claſſe 9. & Orlandinus p. 1. hiſt. Soc. lib. 10.*

Lovanienſis Academiæ præclarum teſtimonium de Societate.

3. Perpiniani in Hiſpania anno 1671, placuit Divinæ Bonitati vim meritorum magni ſervi ſui Ven. P. Franciſci Suarez demonſtrare, reddita ſanitate cuidam Doctori, Joanni Giraus, Sacerdoti templi principis. Febri torrida, pertinaciq; catartho oppreſſus, mortem operiebatur in horas: cùm ſubiit animum cogitatio implorandi opem Ven: P. Franciſci, ſiquidem humana non ſupereſſent remedia. Curat igitur è Collegio accerſiri P. Antonium Deſchamps, eiq; mentem ſuam aperit. Probat iſte conſilium, ſuadetq; : ut promittat, ſe Suarii imaginem pingi curaturum, ſi ejus ope convaluerit. Edito voto, mox febris nocte deceſſit, & intra breve tempus plena ſanitas reſtituta voti reum fecit. *Maſſeius in vita, cap. 24.*

Ope P. Franc: Suarez ſanitas reſtituta.

Eodem die obierunt.

4. In Commorino, Indiæ Orientalis promontorio, anno 1549, Adamus Franciſcus, Sacerdotio nondum initiatus, ſed gravi S. Xaverii teſtimonio, *Vir planè pius, magniq; animi ardore in ethnicis ad Chriſtum convertendis. Equidem* addit Xaverius, *magis illi me commendo, quàm ipſum DEO.*

Scholaſticus zeloſus.

5. Manilæ in inſulis Philippinis, anno 1632, P. Franciſcus de Enzinas, ſtrenuiſſimus per annos 30 Indorum cultor. Poſt diem uſq; ad profundas tenebras impenſum confitentibus, converſus ad recitandas horas Canonicas, promicantibus è vultu radiis ita illuſtrabat Breviarium; ut lampade vel candelâ non indigeret.

Splendor vultûs loco lampadis in Breviario noctu recitando.

6. Hamburgi in Germania, anno 1654, P. Henricus Schachtius, impiger & induſtrius in caſtris Germanicis, & inter Acatholicos Miſſionarius. In Suecia, ut lateret ſecuriùs ad juvandos Catholicos, artificis muſcipularum, imò & gerulæ perſonam induit; ſolitus apud Upſalenſem Conſulem Catholicum cunas infantum agitare. Proditus tandem, & è lecto fere nudus in tetrum carcerem abreptus, frigus, catenas, pædorem, & ter repetitos equulei acerbiſſimos cruciatus fortiter ſuſtinuit. Conſule Anthelio, cum Secretario Gregorio Urſino, in odium fidei ſecuri percuſſis, P. Henricus fatalem ictum evaſit, quòd non eſſet indigena. Redux in Germaniam, perutilem operam navavit in caſtris Catholicis.

Zelus ingenioſus & humilis.

III. JANUARII.

1. INdiarum Apostolus S. Xaverius, anno 1552, Cocino ex India Orientali epistolam dedit in Lusitaniam ad P. Simonem Rodericum, unum ex primis decem, petens ab eo suppetias pro Japonia. Quæ ut utiliores venirent, requisivit in ipsis dotes sequentes. 1. Ut essent non solùm eximia animi virtute, sed etiam egregio corporis robore præditi, ad tolerandas tùm vexationes Bonziorum, tum aëris inclementiam, & victus penuriam ac vilitatem, & inter hæc laborum assiduitatem. Ideoq; disertè petiit Germanos & Belgas, cœlo rigidiori assuetos. 2 Egregiè exercitatos in tricis Logicis & Metaphysicis: ut & evadere Bonziorum captiones, & ipsosmet propriis laqueis irretire possent, atq; authoritatem in Japonicis Academiis sibi comparare, præsertim in Banduensi, cæteris celebriore. Concludit epistolam: Iterum te oro, Frater charissime: ut quos in Indiam è Societate submittes, viri sint; qui vel pauci magno usui esse possint. Ita Xaverius *Epistolarum Veterum lib. 4. ep. 2.*

Vir Apostolicus & corpore & animo valeat.

P. Mastrillus à S. Xaverio sanatur.

2. Anno 1634. prodigiosè persanatus est Neapoli à S. Francisco Xaverio P. Marcellus Mastrillus S. J. lethaliter ægrotus; Xaverio se ipsi sæpe diuq; spectabilem exhibente, & conceptis verbis, consuetam votorum Societatis formulam ita recitante: ut Marcellus, eo præeunte, illam verbis totidem pronunciaret. Addidit votum de Indiis adeundis. Deniq; voluit Xaverius, ut particulam Ligni S. Crucis capiti quassato admoveret, eamq; his verbis salutaret: *Ave Lignum Crucis, Ave Crux pretiosissima: me tibi totum dedico in perpetuum.* Quo facto, plenè sanatus est, ut postridie sacris sit operatus. *Nadasi in Indice Memoriali, & 17. Octob. in Marcelli Vita.*

Sixtus V. à Societate alienatus.

3 Initio Anni 1589. Pontifex Sixtus V, qui Societati in variis turbis magno præsidio fuerat, repente alienatus ab illa apparuit. Vel à quopiam incitatus, vel quòd alterius Ordinis, in quo antè meruerat, imbutus esset principiis, institutum Societatis accuratiùs per se expendere voluit. Quod dum oculo minùs benevolo lustrare incipit, statim in ipso lumine in Nomen Societatis JESU impegit; deinde alia & alia, quæ minùs arridebant, appositâ notâ signavit, atq; omnia Cardinali Carafæ cognoscenda tradidit, ut corrigerentur. Decumana imminebat tempestas, institutum funditus eversura: nisi ultronea cunctatio Card: Carafæ (cui omnia omnino probabantur, præter appositas à Sixto notas) & opportunè superveniens anno sequente mors Pontificis, propositorum suorum tenacissimi, minacem turbinem dissipasset. *Sacchin. p. 5. lib. 9. n 1 & seq.*

Mors ejus opportuna.

Eodem die obierunt.

Contemptus sui aditus est ad familiaritatẽ cum Deo.

4. Calari in Sardinia anno 1624. Jacobus de Alagon, Marchionatûs, imò mundi contemptu illustris Coadjutor temporalis in Societate. Culinæ, stabuli, & similium officiorum mediastinum agere, pretiosius illi fuit, quàm populis imperare. Sed eum Dominus ad intimam secum familiaritatem evexit, & subinde extaticis contemplationibus inter cælestes voluptates recreavit, quibus tamen carere malebat ille; quòd hoc tempus non gaudendi, sed patiendi esset.

Desiderium crucis.

5. Virduni in Lotharingia P. Petrus le Camus, anno 1634. Cùm aliquando ardentissimo patiendi desiderio correptus, Christi amore quàm plurimas optaret ac provocaret cruces: mox exauditum se sensit, acerbissimis cruciatibus toto triennio, instar Jobi, dirè exagitatus.

6. Tor-

6. Tornaci in Belgio anno 1592. Balduinus Cuvillonius, in pueritia eremita, in adolescentia tyro Societatis perfectus. Novennis adhuc, auditâ veterum anachoretarum vitâ, cum socio coætaneo se recepit in vicinum urbi collem, Patres illos imitaturus. Maturior Societati se addixit, relicta nobili & lauta domo; paremq; initiis illis vitam egit. Identidem ingeminabat Evangelicum illud: *Væ vobis divitibus!* Et, *difficile est à delicijs terrestribus transire ad cælestes* Hic paupertate, jejuniis, aliisq; acerbitatibus juvat acuere appetitum: ibi erit, quo sinè fastidio, incredibili cum voluptate, satiemur.

Puer anachoreta.

Contemptus mundi.

IV. JANUARII.

1. HAbita est disputatio 36. in Causa Molinæ, anno 1605, coram Clemente VIII; in qua ad quæstionem à Pontifice propositam, *An Decretum Prædestinationis sit absolutum, vel Conditionatum?* respondit P. Joannes Bastida S. J. *esse absolutum*, & solùm præsupponere Scientiam mediam, seu Conditionalem futurorum liberorum, non autem Decretum aliquod Divinum Conditionale, quo DEus statuat conditionaliter Petrum salvare, si in tali rerum, seu circumstantiarum ordine constitutus, rectè usus fuerit his auxiliis. Nulla enim est necessitas talis decreti; cùm DEus per scientiam conditionalem infallibilem certissimus sit: quid in his illisve circumstantiis, & cum his illisve auxiliis acturum sit liberum arbitrium: ideoque statim decernere absolutè potest salutem æternam. Quam esse doctrinam S. Augustini & Molinæ latè probavit & efficaciter. *Eleuther. hist: de Auxilijs lib. 5. cap. 49.*

Decretum prædestinationis absolutum est.

2. Burdegalense Collegium in Gallia, anno 1574, concussit turbo triplex, ab Hugonottis hæreticis potissimùm concitatus. Inprimis post mortem Fundatoris ejusdem Collegii, hac die sinè testamento defuncti, impedierunt; ne quidquam subsidii Collegio accederet; imò & Abbatiam à Pontifice & Rege illi attributam, avellere nitebantur. Deinde cùm post mortem Caroli regis, Collegium externorum, quod Aquitanicum vocant, in laudem Defuncti carmina quædam multarum ut linguarum, ita errorum, proposuisset palàm, quæ acutus & incertus auctor salsis epigrammatibus castigavit: eam censuram Societati impegerunt, eamq; famosis libellis prosciderunt. Deniq; cùm finito Philosophiæ cursu, Philosophi nostri promovendi essent de more in publica Urbis Academia: magna contentione laboratum est, ne honore illo potirentur Candidati. Sed secundùm opem divinam, authoritate Archiepiscopi, Advocati regii, & aliorum Procerum tota tempestas innoxiè detonuit. *Sacchin. p. 4. lib. 2. n. 67 & seq.*

Burdigalenses turbæ contra Societatem.

Eodem die obierunt.

3. Valentiæ in Hispania P. Michaël à Fontibus anno 1609. Apostolicis laboribus aliquando fesso in India, adfuit spectabilis DEipara V. quam exquisitis officiis colebat, promisitq; ; absq; Purgatorii pœnis iturum ad Beatos. Quod beneficium feriâ secundâ acceptum, ut perenni gratitudine recoleret, quot hebdomadis eum diem humilibus obsequiis dicabat, humi cibum sumendo, & operam suam culinæ addicendo. Animam ipsius statim à morte vidit non nemo è S. Francisci familia, sanctimoniæ & doctrinæ famâ insignis, cælum conscendere; obviam autem illi fieri DEiparam V. cum SS. Joanne atq; Ignatio, & clientem suum imposita immortalitatis coronâ, honorare.

A Purgatorio immunitas.

B. V clientem suum coronat.

Sanctorũ veneratio ante somnum. 4. Eboræ in Lusitania anno 1610 Vincentius de Rocha, juvenis ad pietatem natus. Cubitum iturus, priùs ad singulas per cubiculum imagines adibat, & Sanctos in illis expressos, de genibus, velut vale facturus, venerabatur. Mortem nuncianti am-
Patiendi desiderium. plexum & cilicium, quò uti solebat, dono dedit. Inter morbi incommoda & dolores ingeminabat: *Non sat est Domine, non sat est.*

5. Gandiæ in Hispania anno 1576, P. Didacus Puellas, Angelicâ quadam modestiâ conspicuus, inde natâ: quod semper in cogitatione præsentis DEI versari consuevisset. Insigne obedientiæ specimen dedit: quando per annum integrum, prom-
Professor unius discipuli per annum. ptus & alacer ad scholam itabat, lectionemq; tradebat, unico tantùm discipulo. Non tam copia Auditorum, quàm insignis eruditio, & accurata diligentia, commendat Professorem. Tantum pro unius, quantum pro plurium institutione constanti, minerval dabit cœlum.

6. Hac die in Neapolitana Probationis Domo recurrit anniversaria Memoria Fratris Josephi Mariæ de Hieronymo Coadjutoris temporalis, quem gradum studio humilitatis elegerat, cùm nihil in eo desideraretur, quò minùs provehi ad sacerdotium posset. In ipso Tyrocinio veteranam, & emeritam virtutem ostendit; adeò ut vix peracto biennio propter pietatem, modestiam, & prudentiam, quas dotes felici nexu junxerat, destinatus fuerit socius Magistri Novitiorum: quo in munere per annos 40 Tyrones non modo exemplo, sed illorum etiam Magistrum consilio juvit. Orationi cumprimis deditus fuit; charitatem & mortificationem impensè coluit; per annos complures somnum in lecto non cepit, abstinuit fructibus, cilicium non exuit: flagellis, vigiliis, cæterisq; pœnitentiæ acerbitatibus prolixè semper indulsit. In comprimendis verò & domandis animi perturbationibus ejus virtus potissimùm enituit; offensus non indoluit, reprehensus nihil unquam excusavit; contradicentibus nihil opposuit. Insimulatus aliquando perperam; & jussus officium deponere, placidè acquievit. In magna ministeriorum varietate semper sui compos, & animi serenitatem ore læto præ se ferens, semper idem, nunquam sui dissimilis, nunquam perturbatus, semper actuosus & alacer, nunquam fractus, & abjectus; omnium semper studens commodis, nunquam suis. In suprema & laboriosa ægritudine nihil graviùs tulit, quàm aliorum laborem, in se unum transferri ac duplicari cupiens, quidquid alii tolerabant. Diem & horam prædixerat, qua in Domino quievit Anno 1713. ætatis 58. Societatis initæ 42. Quo ipso tempore mortem ejus longè absens cognovit, DEo monstrante P. Franciscus de Hieronymo frater ipsius carne, ac multò magis spiritu. *In Menol.*

V. JANUARII.

Sodalitates erigendi facultas. 1. ANno 1586. Sixtus V. facultatem erigendi Congregationes scholarium externorum in Collegiis Societatis, easq; Romanæ Sodalitati, cum participatione Indulgentiarum, aggregandi, concessam à Gregorio XIII, extendit ad non Scholares, etiam in Domibus seu Ecclesiis, quibusvis Societatis erigendas (Constit: *Superna dispositione* &c. *Bullar. Soc.*) sive sub titulo B. MARIÆ Annunciatæ, sive quovis alio. Quam extensionem ampliavit idem Sixtus Anno sequente 1587: ut etiam in Seminariis, & aliis locis sub gubernio Societatis existentibus Sodalitates erigi possint, & Romanæ primariæ aggregari. Constit: *Romanum decet Pontificem.* Clemens VIII. anno 1602. 30. Aug. id concessit expressè pro Residentiis quibusvis Societatis.

2. Ma-

2. Madriti in Hisp. anno 1595, Camillus Cajetanus, Nuncius Apostolicus, instante Philippo II. rege, sententiam tulit contra iniquissimum Societatis calumniatorem (Avendanium O. P.) eumq; privavit facultate concionandi per biennium in primariis Hispaniæ Cathedris; vetuitq; sub pœna Excommunicationis: ne in posterum malè de Patribus Soc: J. aut Instituto eorum, privatim aut publicè, directè vel indirectè, per se vel per alios, loqueretur aut scriberet. Deniq; pro pœna ulteriore remisit illum ad superiores suos. *Eleuther lib. 2. hist. de Auxil. cap. 27.* In Appendice. n. 2. recitat totum Nuncii Decretum. *Societatis calumniator religiosis punitus*

3. Granatæ in Hisp. anno 1548, ortum est illustre sidus Theologiæ, nascente Francisco Suarez: qui ut generis sui claritatem, ita Societatem & Ecclesiam universam, ubertate ac soliditate doctrinæ Theologicæ eximiè illustravit. *Massejus in vita cap. 1.* *Franc. Suarez nascitur.*

Eodem die obierunt.

4. Romæ anno 1583 P. Joannes Maldonatus, Hispanus, editis in Sacram Scripturam, præsertim in 4. Evangelia, doctissimis Commentariis, & methodo zeloq; insectandi atq; convincendi hæreticos, celeberrimus. Theologiam & Sacras literas explanantem in Gallia, tanto plausu & aviditate audiebant, etiam Concionatores, Parochi, Abbates & Episcopi ipsi, imò & ministri heterodoxi: ut prælectionum tempus unâ alterâve horâ prævenirent, ne auditorum multitudine excluderentur; quæ in tantum excrevit, ut sæpe in aperto, extra scholarum parietes docere cogeretur. A Gregorio XIII. è Gallia in Urbem accersitus, ut operam suam conferret ad editionem Græcam septuaginta Interpretum, quam meditabatur Pontifex; non diu superstes fuit: oppetiitq; mortem vitæ sanctæ conformem, nec improvisam. *Sotvellus in Biblioth.* *Aviditas audiendi lectiones Maldonati*

5. Granatæ in Hisp. anno 1632 P. Jacobus Granadus, vir prudentiæ, doctrinæ & sanctitatis merito, inter prima Societatis lumina numerandus. In Philosophica & Theologica Cathedra, 30 annis transactis, Theologiam universam editis Tomis 8, eximiè illustravit. Perfectionis Religiosæ exemplar absolutissimum se exhibuit, extraordinariis etiam gratiis, ante & post mortem, divinitus honoratus. Miram præferebat templorum reverentiam, solitus in eorum conspectu aperto capite semper procedere. Gratiam vocationis Religiosæ tanti faciebat: ut anniversarios dies sui in Societatem ingressûs, nuncupationis primorum Votorum, & Professionis religiosæ, toto octiduo celebraret, variis pietatis specialis exercitiis. Mortis nuncium excepit carmine illo Davidico: *Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi.* Soutvell. in Biblioth. Soc. *Theologiæ per annos 30 Professor.* *Templorum veneratio.* *Votorum religiosorum veneratio.* *Mors jucũda.*

6. Tacasci in Japonia anno 1564. Eduardus de Silva Lusitanus, Coadjutor Apostolicus, S. Xaverii Socius fidissimus. Primus Japonicam Grammaticam Lexicaque copiosè edidit, magno Sociorum usu. Funasi centum & triginta è primoribus baptismo lustravit, impiger in agendo, fortis in patiendo: quæ sunt principes dotes Virorum Apostolicorum. *Coadjutor Apostolicus.*

VI. JANUARII.

1. SEntentia Nuncii Apostolici contra Fr. Alphonsum Avendanium, de qua heri, per Notarium publicum prælecta fuit eidem, idoneis testibus, & P. Provinciali ipsius præsentibus. Die verò sequenti Copia authentica sententiæ latæ & intimatæ, Procuratori Societatis est consignata. Eâ acceptâ, statim Superiores Societatis supplicârunt Nuncio Apostolico, P. Generali Domin: & ipsi Regi Philippo: ut reus à pœnis impositis immunis esset. Non enim cordi esse Societati, ut ejus adversarii pœnis atterantur, sed tantùm famæ ipsius integritati consulatur. Quæ moderatio non minùs ædificationi, quàm admirationi fuit, placuitq; Regi. *Eleuther lib. 2. hist: de Auxil. cap. 17.*

Societas non desiderat pœnas adversariorum.

2. Turnone in Gallia Cardinalis Turnonius insigne Collegium ædificaverat: quod hac die anno 1561, Societati consignavit, optimè instructum. Apertæ sunt eo dem anno Scholæ publicæ, non solùm Humaniores, sed etiam Philosophia, Mathematica & Theologia, numerosa juventute confluente. Beatas prædicabat idem Cardinalis civitates, quibus datum esset hoc frui bono. *Sacchin. p. 2. hist. Soc l. 5. n 189 & 196.*

Beatas civitates prædicat Card. Turnonius, quæ habent Collegium Soc.

3. Laureti anno 1570, à DEipara V. jussus est Societatem ingredi, ipso Epiphaniæ Domini sacro die, Joannes Thomas Lauretanus, Mutinensis antea dictus Amurates Robertus. Is relictâ patriâ, Lauretum contendit, ibiq; tuguriolum sibi construxit, ut pauperem vitam duceret in cultu DEiparæ V. quam efflictim amabat & honorabat. Cùmq; subinde sentiret stimulum ingrediendi Societatem, à qua maximè abhorrebat, multùm torquebatur animo: donec spectabilis ei facta DEipara, disertè, & minis intentatis, ni pareret, imperavit: ut ob majorem DEi gloriam tugurium suum desereret, exemplo trium Regum Orientalium; qui etsi maximè afficerentur Infantis DEi cunis, tamen ab illis avulsi sunt, ut in terris suis Christum prædicarent natum. Proinde & ipse eodem die in Societatem se reciperet. Conclusit deniq; Virgo: *I celer, te totum Obedientia subde.* Paruit deniq;, petiit, receptusq; est, & insigni exemplo vixit in Societate. *Sacchin. p. 3. hist. Soc: lib. 6. n 13. & seqq.*

B. V. ingressum in Societatem mandat.

Eodem die obierunt.

4. In Molucensibus Orientalis Indiæ insulis anno 1558, P. Alphonsus de Castro, Lusitanus. In Maurica regione, quam excolebat, à Mahometanis tentus, nudatus, & instar S. Andreæ Apostoli crucifixus, solis ardori, & muscarum aculeis expositus est. Deinde ad truncum religatus, verberibus laceratus, inediâ octiduo cruciatus, atq; ad sectam Mahometanam amplectendam grandibus etiam promissis solicitatus, infracto animo, & mira vultus hilaritate inter tormenta, perstitit Christo & Societati fidelis. Deniq; securi trucidatus gloriosè occubuit; corpus in mare projectum, per aliquot dies visum est scopulo insidere, aquis in modum fornicis supra illud curvatis. Postea in litore repertum est, cælesti lumine circumfusum, vulneribus recenti sangvine manantibus. Unde apud ipsos Mahometanos singularis ei veneratio accessit.

Fortitudo in tormentis pro fide.

Corpus pro fide occisi honoratum à Deo.

5. Majoricæ in Insula Hispana, anno 1580, Joannes Meseguer Coadjutor, ante noctem bene sanus, intempesta nocte, forti instinctu urgente, adiit Rectorem Collegii, & Sacramentis muniri petiit ad supremam luctam. Advocatus medicus non alium esse morbum pronunciavit, quàm phantasiæ. At Joannes nihil omisit, quod mortem religiosam deceret; instructusq; rite Sacramentis, mori priùs, quàm infirmari, visus est. Nimirum qui in vita didicit divinis parere instinctibus, in morte illos facile agnovit. Medicorum judicia non rarò deludunt ægros.

Mors prævisa.

VII. JANUARII.

1. B. Pius V. anno 1566 creatus est Pontifex Max: qui Societatem summâ benevolentiâ, maximisq; beneficiis est prosecutus. Non solùm enim editis Constitutionibus & Decretis ejus indemnitati, commodis & honori consuluit: sed Sociorum operâ plurimùm uti voluit, usq; ad invidiam quorundam. Pignus illustre pronissimi affectus dedit statim inter solemnem pompam, quâ novi Pontifices ad Lateranensem Basilicam perveluntur. Cùm enim advertisset Borgiam Præpositum Generalem præ foribus Domûs Professæ, in sui venerationem excubantem: accitum ad lecticam, arcto primùm complexu, tum longo sermone ad dimidiatum horæ quadrantem, tenuit; toto interim consistente, & admirante splendidissimo agmine. Dum verò idem Præpositus Borgia de more Societatem illi tradidit, ad omnem nutum paratam: illacrymatus Beatus Pontifex, professus est: *Plurimùm se & consilio & auxilio Societatis usurum.* Quod & fecit in variis occasionibus. Cùm autem aliquando rumor spargeretur: Pontificem cogitate quædam immutare, seu reformare in Societate; atq; rogatu Præpositi Generalis per Cardinalem Paciecum id delatum eidem esset; fertur exclamâsse: *Absit à nobis hoc peccatum grande. Videmus DEo complacitum in his famulis suis, perq; eos utilitates Ecclesiæ suæ præclaras afferre. Dum ita vivent; non est, quòd negotium eis quisquam facessat, sed ut favorem potiùs atq; patrocinium accommodet.* Sacchinus Parte 3. hist. Soc. lib. 2. & 3. qui creationem Pii V. ponit 8. Jan. sed Spondanus hoc die ad annum 1566.

B. Pius V. Pontifex creatur.

Affectus erga Societatem.

Abhorret ab ejus reformatione.

2. In Congregatione Generali VIII, anno 1646, electus est hodie in Præpositum Generalem P. Vincentius Carafa, natione Italus, patriâ Neapolitanus, ex principe familia nobilissimæ Domûs Carafarum. In gubernanda Societate amussis ipsi erat Institutum Societatis; nec ullo metu vel spe ab illo se sinebat dimoveri. Severitati in exigenda disciplina admiscebat opportunè suavitatem; sed quæ Patris magis erat, quàm matris. *Sotvellus in Biblioth. Scriptorum Societ*

P. Carafa eligitur Generalis.

Magis patrem quàm matrē se exhibet.

3. Decima Congregatio Generalis eodem die inchoata est anno 1652. Patre Goswino Nickel Vicario Generali, post obitum P. Francisci Piccolominei. *Ex Decretis ejusdem Congr.*

Eodem die obierunt.

4. In regno Manadæ apud Indos Orientales, anno 1583, P. Petrus Mascarenia Lusitanus, propinato in odium fidei veneno. Salsetanos pagos 66. primus multo labore excoluit; apud Ternatenses, Celebes & plures alias barbaras gentes Evangelium prædicavit; Sionium & Manadium regulos, regem quoq; Sangium cum regina & multis proceribus Christo subjecit. Cùm aliquando è monte subjectum pagum idololatrarum, non sinè intima commiseratione aspiceret: repente vocem pueri è subjecta valle ascendentem, audivit; clarè enunciantem: In nomine Patris, & Filii, & Spiritûs S. Qua voce, & SS. Trinitatis velut auspicio, mirificè recreatus & accensus est ad quidvis agendum & patiendum pro DEo, & animarum salute.

Gentes multas convertit P. Mascarenia.

SS. Trinitatis confessio.

5. Omuræ apud Japones, in carcere teterrimo, per annum & ampliùs fidei causâ tolerato, per gloriosam mortem in libertatem & lucem æternam evolavit anno 1620., Ambrosius Fernandez Coadjutor. Sanctam ejus mortem reliqui Confessores Christi, in eodem carcere detenti, honorârunt decantato Psalmo, *Laudate Dominum omnes gentes.*

Victima fidei in Iaponia.

6. Cor-

Solicitudo de perseverantia in Societate. Dimissio è Societate fatalis.

6. Cortraci in Belgio anno 1579. piissimè decessit P. Joannes Francisci, de perseverantia in Societate semper mirè solicitus. Identidem rogabat Socios: *Orate pro me, ne excidam Vocatione.* Quam petitionem in ipso agone ferventius iteravit. Dicebat enim auditam sibi adhuc tyroni vocem: *Ioannes si in Societate perseveraveris, salvaberis: si tuâ culpâ ex ea dimissus fueris, damnabere.* Peccata quotidiana confessione eluebat; post Sacrificium divinum celebratum, tribus aliis eximia devotione intererat; cubiculum in 7. stationes Patientis Christi diviserat, quas quotidie constanti pietate obibat. Et tamen vir religiosissimus tam solicitus fuit, ne vocatione excideret!

Stationes 7. in cubiculo.

Cum Angelo Cust. familiaritas. Tergiversatio in surgendo offendit Angelum.

7. Burgis in Hisp. memoria Fratris Joannis Carera, Custodis sui Angeli cultu & familiaritate eximii. Conferebat cum illo omnia consilia sua, & agenda: habebatq; in promptu respondentem. Quotidiè ab eo excitabatur de nocte ad orandum: cùm autem aliquando gravatus somno tergiversaretur; Angeli consuetudine per aliquot dies caruit, donec multis precibus & jejuniis eum sibi reconciliaret. Cùm enim Angeli omnes sint administratorii Spiritus, amant alacres in obsequio DEi, aversantur desidiosos.

VIII. JANUARII.

Quies laboriosa

1. S. Ignatius Venetiis anno 1537. mira charitate & humanitate excepit 9. Socios suos primos, ex Gallia appulsos, itinere dierum 50, inter varia discrimina & adversitates. Noluit sinè mora eos Romam ducere, sed aliquantisper quiescere Venetiis. Quies autem erat, servire ægrotis in variis nosodochiis, quæ inter illos distribuit. Xaverio obtigit cura insanabilium: quibus an charitate, an sui Victoria majore inservierit, dubites. Ibi enim ad edomandam naturam, ab ulcerosorum conspectu tactuq; abhorrentem, è fœdissimo ulcere saniem purulentam exsuxit. Alius Sociorum in Nosodochio SS. Joannis & Pauli, videns leprosum hominem lectulo destitutum, in partem sui lecti eum admisit, insigni operæ pretio. Nam sequenti die totum se leprâ squalere vidit; leprosus autem ille nusquam comparuit, & lepra omnis die sequenti evanuit, DEo charitatem cumulatè remunerante. *Bartoli in Vita S. Ignatij, lib. 2. n 31.*

S. Xaverius saniem sugit ex ulcere. Alius leprosũ in lectulum suum admittit.

Facultas legendi libros prohibitos.

2. Gregorius XIII. anno 1575. amplam concessit Societati facultatem circa librorum prohibitorum usum, communicandam cum delectu inferioribus à Præposito Generali; non obstante Bullâ Cænæ, cæterisq, contrarijs quibusvis. Breve incipit: *Exponi nobis nuper fecerunt &c.* Videndum Bullar. Soc: & Compendium Privileg. tit: *Libri Prohibiti*; ubi post §. 6. additur in Advertendo 2. Facultatis legendi & habendi Libros prohibitos Universalem revocationem editam esse à Gregorio XV. 30. Dec. anno 1622. ut in Bullar. comm. Constit. 40; atq; ab Urbano VIII. 2. Apr. 1631. ibid. Constit: 145.

Exilium nostrorum ex Gallia.

3. Hac die anno 1595. nostri Lutetiâ demigrârunt. Incedebat Religiosum & miserabile agmen, rebus omnibus ad longinquum & ignotum iter necessarijs destitutum, vix uno stipatore, qui tot homines ab hæreticis, & grassatoribus tutaretur concesso. Prosequebatur populus, ab ira & furore, ad commiserationem, contra quam sperabatur, inflexus. Alijs canitiem senum, alijs juniorum aliquot ætatem; discipulis carissimorum præceptorum calamitatem lamentantibus, & in complexu longo hærentibus; adeo ut avelli vix possent, & secuti ad vesperam plurimi, multa jam nocte in urbem se receperint. Oculos omnium advertebat præ cæteris P. Clemens Puteanus Provincialis, senatoria & clara in primis domo Lutetiæ ortus, doctrina ipse, eloquentiâ & pruden-

tiâ insignis; qui amicis flentibus & propinquis comitatus, exulem suorum turbam abducebat in Lotharingiam. Eò post diem quintum decimum, quàm erant Lutetia digressi, pervenerunt incolumes, beneficio præsertim Ludovici Gonzagæ, Nivernensium Ducis, qui nonnullos è cohorte sua equis illis ad præsidium opportunè submiserat. Pars sociorum Virodunum consedit, pars Mussipontum cum Puteano concessit: invitante ultro, pro sua erga Societatem constanti benevolentia Carolo II. Lotharingiæ Duce ac sua oppida, fortunas & sinum offerente. Juvencius fol. 53. Aliis diebus hujus mensis nostri excesserunt Lugdono, Biturigibus, Niverno, Bullonio quinto post mense, causam hujus exilii vide 27. Dec.

Eodem die obierunt.

4. Mexici in America, anno 1599, Franciscus à Villa Regali, Coadjutor, insigni orationis & lacrymarum dono præditus. Perpetuum illi aeroama erat: *Laudetur Dominus noster IESVS Christus.* IESU nascentis cunas in stabulo, inter miras cæli delicias, celebrabat. Sæpe fixis in cælum oculis repertus est à sensibus abstractus. Indi miserabilis vulnus tabe ac fœtore horridum purgabat amanter, subinde etiam linguâ sordes purulentas abstergebat. *Nativitas Christi in stabulo celebrata* *Linguâ ulcus abstersum.*

5. Panormi in Sicilia anno 1627, P. Josephus Scammacca, innocentiâ vitæ, nulla unquam lethali labe temeratæ, & gratiis etiam gratis datis à DEO honoratus. Concionator erat magni nominis, magniq; fructûs: malebat enim solidus esse, quàm comptus. Inter dicendum visus est aliquando gestare columbam capiti insidentem; aliàs cælestis lucis radio illustrari. *Concionantis capiti columba insidere visa.*

6. Horasdowicii in Bohemia, anno 1610, P. Wenceslaus Swihowski, Bohemus, sangvine à veteribus Bohemiæ regibus ducto, clarus: sed illustrior modestissima virtute, arte pacificandi dissidentes, & zelo felici convertendi hæreticos. Præter magnam enim civium & virorum insignium copiam, plurimas illustres fœminas Ecclesiæ reddidit; ab omnibus Viri Apostolici elogio meritò honoratus: ut qui non solùm mirè industrius, sed etiam mirificè cautus fuit in agendo cum blandiore sexu. *Tanner.* *Donum convertendi fœminas illustres*

IX. JANUARII.

1. CElebratus est anno 1598. Romæ à Consultoribus, seu Examinatoribus, Libri P. Molinæ, Conventus II. Primus habitus fuit 2. Januarij ejusdem Anni, in quo statutum, ut inquireretur: Quis fuerit scopus Molinæ in scribendo & edendo libro suo de Concordia? In secundo igitur Conventu scopum illum assignârunt: quòd scilicet appetierit gloriam inventi novi modi, concordandi liberum arbitrium cum gratia divina. Sed hunc scopum imposuerunt Molinæ: qui nihil magis passim profitetur, quàm doctrinam suam non esse novam, verùm ex Concilijs, veterumq; Patrum & Doctorum scriptis haustam. Unde pag. 489. Editionis Ulyssiponensis concludit: *Quod si à fidei dogmatibus, à Sanctorum Patrum, Doctorumq; Catholicorum intento, aut ab eorundem indubitatis sententiis, vel tantillum in nostra hac via ea omnia conciliandi, discreparemus: jure sanè suspectam haberi posse.* Eleuther. hist. de Auxil. lib. 3. cap. 3. *Doctrina novitas malè affingitur Molinæ.*

2. In Peruviam anno 1567. expeditio prima suscepta est à Societate, petente Philippo II. rege Hispan. mandante Francisco Borgia, Præposito Generali. Socii 8. expediti, qui anno sequente terram illam Americanam feliciter sunt ingressi, miro populi *Expeditio prima Societatis in Peruviam.*

puli & Procerum plausu. Hieronymus Portillus, cæteris cum potestate Provincialis præpositus, cùm è navi ab universa multitudine deducerentur in templum princeps, in suggestum progressus, duo præcipuè commendavit. Primum; ut quoniam multi advenarum ex navigationis incommodis ægrotarent, nec valetudinarium esset commodum, novum adornaretur nosocomium: alterum, ut conflaretur Sodalitium Nominis DEi: quandoquidem Civitas, quam ingressi essent, appellaretur *Portus Nominis DEI*. Impetratum utrumq; sine mora: tantusq; fuit fervor pii populi; ut, antequam Sacrificum Divinum finiretur, mille ducenti aurei fuerint oblati in nosocomium construendum; quibus mercatorum quidam alios mille adjecit. Inde Panamam, quæ urbs est primaria & opulenta, progressus Portillus, non minùs obsequentes reperit cives. Prima concione cùm invectus esset in modos lucrandi injustos; tantùm valuit apud mercatores præsentes; ut pleriq; conclamârint; se omnium opum collectarum, quàm animæ suæ jacturam malle; multi non ante sumpserunt cibum, quàm negotiationis suæ tabulis inspectis, rationes cum DEo composuissent. Commissum deinde communi consilio P. Portillo: ut secundùm DEum & justitiam ordinaret, præscriberetq; negotiandi formam. Tantum authoritatis novis his operariis tribuit DEus. *Sacchin. hist. Soc: p. 3. lib. 4. n. 307. & seqq.*

Mira efficacia in persuadendo.

Mercatorum consternatio salutaris.

Eodem die obierunt.

Castitatis tuendæ præsidia.

3. Madriti in Hisp. anno 1556, P. Joannes Ruiz, vir miræ innocentiæ. Castitatis tuendæ præsidia duo potissimùm adhibebat; singularem DEiparæ V. cultum, & implacabile corporis sui odium; quod cilicijs, flagris, inediâ, lapidibus in lectulum conjectis, somno brevi, oratione autem prolixa, perpetuò atterebat. Oblatum sibi itineranti esculenti quidpiam, intactum attulit ad Rectorem Collegij, dicens: se illud recusare non potuisse, potuisse autem non libare.

Abstinentia in itinere.

4. Neapoli in Italia, anno 1598, exul decessit P. Gaspar Haywodus, Anglus, post gloriosos labores exantlatos, & ærumnosos carceres toleratos, proscriptus è patria. Mira dexteritate, & valida vi argumentorum, magnam hæreticorum, etiam comitum & principum, copiam reduxit ad Ecclesiam. Post acrem in agone ultimo conflictum, exclamavit: Gratias ago tibi, dilectissima Domina, Mater DEi mei; quòd in subsidium mihi venire, & imminentem hostem dignata es propulsare. *Tanner. in hist: Apost. imit.*

DEipara V. præsidium in agone.

5. Alnionacidij in Hisp. anno 1623. P. Franciscus de Ubierna. Theologiæ studio incumbens, gravi ægritudine correptus; cùmq; se morti proximum cerneret, vehementer indoluit: rapi se ante labores. Conversus itaq; ad imaginem Matris DEi ardenter petijt prorogationem vitæ, plurium saluti strenuè impendendæ. Responsum accepisse fertur, de precibus exauditis; & eventus probavit. Liber enim à fatali morbo, totos 15. annos, quibus deinceps vixit, animarum saluti indefessus impendit.

Vita diuturnior impetrata per B. V.

6. Monachij in Bavaria, anno 1611, P. Hieronymus Torrensis. Inter cætera hoc raro elogio honoratus est: quòd nunquam visus sit quidpiam *aut facere, quod Societas prohiberet; aut omittere, quod juberet:* brevi elogio consecutus omnia; cùm in his duobus pendeat universa perfectio, & sanctitas nostra Religiosa.

Accuratus religiosus.

X. JANUARII.

1. IN Hispania Maria Anna Austriaca, Hispaniarum Regina, & post obitum Philippi IV. Gubernatrix, Decreto expedito anno 1668, ad Rectorem Universitatis Salmanticensis, erexit in eadem Universitate Societati duas Cathedras Theologicas: *ob majus* (ut in diplomate dicitur) *incrementum, auctoritatem, ac famam ipsius Universitatis; & ob majorem æstimationem & ornatum Religionis Societatis.* Gomez in Elog. Soc: p.2. Classe 2. Sic tandem Benignitas Divina compensâsse videtur acerbas vexationes, quibus vehementer ibidem exagitati sunt, tum Sanctus Societatis Parens Ignatius, anno 1526; tum tenera adhuc Societas anno 1548: quando Melchior Canus, primarius illius Academiæ Doctor, eam traduxit longè lateq; , ut hypocritarum familiam, & præcursorum Antichristi colluviem, &c. Persuaserat enim sibi, ejus adventum non longè abesse; putabatq; jam operari mysterium iniquitatis, cujus cooperatrix esset recenter conflata Societas. Sed deterserunt has labes, æstu æmulationis Societati aspersas, tum saniora & honorificentissima aliorum, è Sacro Prædicatorum Ordine, maximorum virorum judicia; tum Sociorum constans vitæ doctrinæq; integritas; tum Serenissimarum duarum Reginarum, Margarethæ & Mariæ Annæ beneficētissima in Societatem animi propensio: quarum illa egenum & humile Collegij domicilium, regio sumptu eò provexit; ut nullum splendidius totâ Societate censeatur: ista erectas Societati in ipsa Salmanticensi Academia Cathedras geminas Theologicas, iisdemq; omninò juribus ac privilegiis firmavit, quibus gaudent aliæ aliorum. *Salmantica duæ Cathedræ Theologicæ obtentæ.* *Gravis infamatio Societatis, ab homine docto & religioso.*

2. In India S. Franciscus Xaverius, anno 1546, Malacâ in Molucas insulas solvit: ubi primùm in Amboino tam Lusitanis, quàm ethnicis & Saracenis plurimam ac admodùm necessariàm tulit opem. Deinde Ternatenses Christianos excoluit, ethnicos fidei luce illustravit tanto successu: ut videretur in Molucis fructus major Apostolicis ejus laboribus respondere, quàm in reliqua India. Ad Mauricas insulas quin tenderet, præ cæteris barbaras & feras, multis & rationibus, & lacrymis inhibebant amici: at ipse illud Christi reponebat: *Qui voluerit animam suam salvam facere, perdet eam.* Si naves non adessent, se natatu ad illas perrecturum, dictitabat. Ivit ergo, & innumeram immanium hominum multitudinem Christo subegit. *Orland: hist. Soc: p.1. lib. 6 n. 102. & seqq.*

Eodem die obierunt.

3. Madriti in Hisp. anno 1605, P. Ludovicus Gusmanus, semel Boeticæ, bis Toletanæ Provinciæ Præpositus. Quamvis vitam ageret ad amussim religiosam accuratissimè compositam: non tamen eum vel tanta religio, vel officia præclarè gesta, vel Oratio ad horas 12. passim producta, tueri potuerunt, quin gravissimâ calumniâ appeteretur, & coram Ecclesiastico tribunali reus ageretur. Sed hoc aurum in tali camino clarescere debuit. Re severè examinata, pronunciavit Nuncius Apostolicus: Non solùm de innocentia P. Ludovici constare; sed ea de illo comperta esse, ut posset in Sanctorum numerum referri. Calumniatoribus suis impunitatem impetravit bonus Pater in tribunali humano: sed divinum pœnam non distulit. *Infamia gravis viri religiosissimi.* *Gloriosè absterso.* *Oratio pro calumniantibus.*

4. Græcij in Stiria anno 1619, P. Joannes Deckerius, Belga. Cùm in extremo agone suspiraret: *Veni Domine IESV, veni*, adderetq;: *Ego venio*: abijt; vir non minùs religiosa perfectione, quàm eminente doctrinâ clarus. A vespera Feriæ 5. Cænæ Domini, *Ieiunium rigidum.*

usq; ad prandium Paschatis jejunus perdurabat. Opus insigne chronologicum, per 3. Tomos fusum, annorum 40. studio elaboratum, cùm alij expeterent, alij supprimendum putarent, dixit: se sine ulla animi perturbatione in ignem conjecturum, si ita videretur Superioribus. Primus P. Joannes usus ea methodo Philosophiam, Theologiamq; tradendi, qua, tanquam commodiore, nunc passim utuntur scholæ.

5. Bruxellis in Belgio anno 1663, P. Gulielmus Stanihurstius, Belga. Vir fuit morum innocentiâ, mentisq; candore planè virgineus: qui in adolescentia, persimili cum S. Thoma procacitate impudentis fœminæ frustra tentatus; simile dicitur victoriæ præmium retulisse: ut nullum exinde carnis stimulum senserit. Purissimi animi nitorem ita spirabat vultus: ut ipsis hæreticis venerabilem fecerit. Ex eorum numero comitissa quædam, in secta sua pertinacissima, primo Patris Guilielmi conspectu ita est mutata, ut exclamârit: Si ullus est in mundo Sanctus, hic certè est. Informationem ergo ipsius in Fide & libens admisit, & facilis veritati manus dedit: quam nihil tam splendidè fortiterq; ac vitæ sanctitas commendat. *Sotvell. in Bibl. Soc.*

Modestia innocentis efficacia

XI. JANUARII.

Ferdinandi I. Imp. affectus erga Soc:

1. FErdinandus I, Caroli IV. Imperatoris fráter, ipsomet procurante, inauguratus est Aquisgrani Rex Romanorum, anno 1531, cùm jam esset Rex Hungariæ, & Bohemiæ. Quo affectu fuerit erga Societatem, testantur, erectum Collegium Viennense, munificentia pensionibus annuis extensa ad Romanam Societatem juvandam, Consilium datum Philippo II. Hispaniæ regi ad eam in Belgium recipiendam, institutum Pragæ Collegium, & assidua laborum Societatis commendatio. *Orland. hist. Soc: lib. 11. 15. & 16.*

Henricus IV. Rex Gall. zelosissimè agit pro Societate in senatu.

2. In Gallia quoq; inclytum nacta est Societas Patronum, imò Patrem, Henricum IV. Regem: quem alij rebus bello præclarè gestis dixerunt Magnum, nos forti & constanti in Societatem amore fateri debemus Maximum. Postquam pro illa in Galliam restituenda, non minore eloquentia, quàm zelo disseruisset in Senatu, atq; Harlæi Præsidis objecta 19. graviter confutâsset; ac nihilominus quidam assensum præbere tergiversarentur: hoc demum die, anno 1604, decretorium mandatum in scripto misit ad senatum: *Vt sine mora, & sine ulla appositione conditione, Decreti sui promulgatio, quam primùm fieret: expensa esse, examinataq; à se omnia; mandare, jubere, ut Societas suis in Gallia sedibus restituatur.* Et sic deniq; perfractæ sunt Alpes, multis annis maceratæ. *Imago I. Sæc. Soc. I. lib. 4. c. 7.*

Academia Mediolanensis tradita Soc.

Gregorii XIII liberalitas & magnificentia in extruendo Collegio Romano.

3. Anno 1573, aperta est Mediolani à S. Fundatore Carolo Borromæo, Academia, & Societati consignata. Romæ autem anno 1582, nomine Gregorij XIII. Pontif: Max. positus est Lapis primus novi Collegij à Cardinali S. Sixti, Boncompagno; promotaq; strenuè fabrica. Sed cùm jam in notabilem altitudinem provectam, invisisset Gregorius, judicavit nimis rudem, & dignitati Romani Pontificis non respondentem. Jussit ergo totam dirui, & eâ, quâ nunc conspicitur, magnificentiâ construi. Ut autem sortiretur debitam amplitudinem, ad coëmendas duas vicinas domorum insulas, impendit 47. aureorum millia. *Sacch. hist. Soc: p. 5. lib. 2. n. 19. & lib. 1 n. 52.* Voluit enim, ut Collegium illud non solùm esset Urbis, sed Orbis: in quo nimirum alerentur Viri Apostolici, in totum orbem dispergendi, & ex omni natione collecti. *Sacchin: p. 5 lib. 2. n. 19. & lib. 1. n. 51.*

Eodem

Eodem die obierunt.

4. In Brasilia, anno 1608, P. Franciscus Pintus, à barbaris Ibiapanis odio fidei trucidatus; sed postea in veneratione habitus, quod dicerent: se ipsius beneficio cælitus pluviam accepisse sitientibus agris. Hujus mortis gloriam prædixerat illi P. Josephus Anchieta, Brasiliæ Thaumaturgus: quando ægrotantem invisit, sanavit, jussitq; ad magnos labores pro DEo se parare. Addidit: *non levem manuum lotionem præcessuram, priusquam cælesti mensæ accumberet.* Nimirum non aquâ, sed sangvine lavandum, indicavit. Confestim ergo vestes illi porrigi præcepit, ac dixit: *Surge, age, atq; ad SS. Sacramentum te confer, gratias DEO pro sospitate hac redditurus.* Surrexit obedienter Franciscus, repentinò sanus, ac templum adijt, ut jussus erat. Postmodum ad barbaros Tapoias missus, inde per famem, sitim, frigora, impeditissimis itineribus ad Ibiapanos penetravit. Quos dum omni industria & labore Christo subjugare contendit, intentum recitandis horis Canonicis globus irruentium barbarorum trucidavit, maxillis confractis, oculis, cranio comminuto, atq; sacra supellectile direpta. *Ante conviviũ cæleste, qualis manuum lotio.*

5. Septæ in Mauritania anno 1580 P. Alexander Vallaregius, Italus, multis magnisq; in Europa, Asia & Africa pro DEI gloria, & animarum salute gestis, memorabilis. Aliquando morti jam proximo, cùm Sacræ unctionis Sacramentum applicatum esset, momento convaluit. In Indiam deinde & Japoniam profectus, maximo fructu ibi laboravit: sed cùm animo se tantùm sustentaret, fractis penitus corporis viribus; à S. Borgia Præposito Generali in Europam revocatus est. Nihil acerbius ea revocatione totâ vitâ sua sensit Vir Apostolicus: paruit tamen prorsus heroicâ Obedientiâ, feliciterq; in Europam redijt. Româ in Lusitaniam missus, cum Sebastiano rege in Africam trajecit, & in conflictu vexillum Crucifixi effigie insignitum militi Christiano in prima acie prætulit. Post infelix prælium captus à Mauris, duram servitutem per annum passus, tandem lytro persoluto, redijt in Lusitaniam: sed mox ab Henrico rege in Africam remissus, ad alios redimendos captivos, cùm peste afflatis indefessus ibi serviret; contracta lue ad præmia evocatus est. *Alegambe in Vict. Char.*

XII. JANUARII.

1. INdiarum Apostolus S. Xaverius, miraculo sedatâ horribili tempestate, Cocinum appulit anno 1548. Tanto ventorum furore, triduo toto jactatus est: ut similem expertus fuerit nunquam. Metu mortis imminentis fere exanimati tam nautæ, quàm cætera turba, cum in lamenta perpetua soluti essent: ipse animo serenus, divinis consolationibus affluebat tam largis liquidisq;: ut vix crederet, se majorum capacem; quemadmodum Romam scribens testatus est. Tandem post ardentes ad DEum fusas preces pro salute hominum & navis, prodiit in apertum, jussitq; sibi dari bolidis funiculum: cui decerptum ex ora infima vestis suæ fragmentum alligavit, demisitq; in mare dicens; DEus Pater, Fili, & Spiritûs Sancte, miserere hujus populi & mei. Quibus dictis, subitò posuerunt venti, rediitq; mari optata tranquillitas, navi cursus expeditus. *Bartoli in vita lib. 2. n. 39.* *S. Xaverii securitas in summa tempestate.* *Sedat tempestatem.*

2. Idem Sanctus Apostolus anno 1544. prolixam dedit Epistolam ad Societatem Europæam Cocino: qua docet 1. Quam methodum teneat ipse in instituendis Comorinensibus, qui præter nomen nihil habebant Christiani 2. Quomodo pueros bene infirmatos adhibeat in ministros Evangelii, & DEus per ipsos multa bona opere- *Methodusquam in prædicando tenuit S. Xaverius.*

peretur. 3. Quomodo perluſtratis & informatis pagis 30. ejus regionis, iterum redeat ad primum, & conſequenter ad alios, confirmandos, & ſolidandos in doctrina accepta. 4. Quòd ardeat circumcurſare omnes Europæ Academias, præſertim Pariſienſem, & inclamare: *Heu, quàm ingens animarum numerus veſtro vitio excluſus cœlo, deturbatur ad inferos!* 5. Quòd ſummam ceperit voluptatem ex nuncio de confirmata Societate à Chriſti Vicario. *Epiſtolarum Veterum lib. 1. epiſt. 5.*

Hæreticorum furor Regni.

3. Anno 1585. Rigæ in Livonia, ab hæreticis civibus ingens concitatus eſt tumultus, effractæ cuſtodiæ publicæ, graſſatum incendiis, jamq; vis ingens armatorum irruperat in cæmeterium ut trucidatis noſtris everterent Collegium: Sed DEI benignitate, & accurſu quatuor honeſtiorum civium mitigatus eſt furor, datumq; Sociis ſpatium ad ſecuriora ſe recipiendi. *Sacch. hiſt Soc. lib. 5. n. 89.*

Eodem die obierunt.

Concionator carbo ſit ignitus

4. Compluti in Hiſp. anno 1563, P. Antonius Madridius, Apoſtolicus Eccleſiaſtes. A paſtoritia vita ad ſcholas tranſgreſſus, partâ Theologiæ laureâ, in Societatem ſe recepit, egitq; Concionatorem tanto ſpiritu & ardore: ut *Carbo ignitus* diceretur; tanto fructu, ut una concione omnes proſtituti pudoris fœminas (aderant autem non paucæ) ad ſolidam conſtantemq; pœnitentiam permoverit. Ante concionem dirè flagris in ſe ſæviebat, quaſi ex ſilice ignes concionatorios excuſſurus: donec S. Franciſcus Borgia ſolus 15 ictus ipſi permitteret, valetudinis cauſâ, moneretque; reliquum obedientiæ daret. Crebrò ſe ipſum alloquebatur: *Morere tibi, perpetua DEI laus vita tua ſit.*

Antecencionem flagellatio.

Apparatus ad mortem.

5. Ibidem anno 1577, P. Petrus Manrique, qui ſpes & res ingentes mundo reliquerat, Libellum ſibi concinnaverat è ſelectis Pſalmorum & SS. Patrum ſententiis, quem vicinus morti, cujus tempus prædixerat, prælegi ſibi curavit. Moribundum contemplatus Dominicus Fernandez Coad: petiit: ut cœlo potitus, impetraret ſibi veniam brevi ſequendi. Promiſit Petrus, & intra menſes 4. ſecutus eſt Dominicus.

Secreta cordium aperta.

Vocatio ad Societatem.

6. In Mexicana Miſſione, anno 1621, P. Hieronymus Ramirez, ſtrenuiſſimus, in vinea Chriſti operarius. Tepegnanos & Parras primus Evangelii luce aſperſit. Convictorum Collegio cùm præeſſet, adoleſcentum corda præ oculis habere credebatur: ita non paucis ſecretiſſimas cogitationes detexit, atq; ad confeſſionem mittebat. Unde qui pravum aliquid moliebantur, cavebant in conſpectum ejus venire. Hæſitanti circa ſtatum vitæ amplectendum, adfuit vir veneranda ſpecie, monuitq; : DEI voluntatem eſſe, ut Societati JESU accederet.

XIII. JANUARII.

S. Ignatij ope liberatur juvenis diabolo mancipatus.

1. S. Ignatius anno 1613 è diaboli faucibus cælitus eripuit juvenem, Michaëlem Schrammeum. Miſſus hic fuit Herbipolim ad excolendum literis ſublimioribus animum: ſed paulò pòſt infelix in magum incidit magiſtrum; à quo ut quandam acciperet radicem, cujus virtute & ſeras quaſvis aperiret, & catenas ſolveret, & latentes in terra pecunias extraheret &c. diabolo ſe conſignavit dato chirographo. Compos factus thaumaturgæ radicis, cùm mirabilia operaretur, in ſuſpicionem peſſimæ artis ſe conjecit, & ſemel iterumq; vix furcam & gladios evitavit. Reverſus ergo in ſe, cùm modum quæreret extricandi ſe è laqueis Satanæ, ductus eſt Molshemium ad Patres Societatis: ut ope S. Ignatii, in ſimilibus caſibus jam ex-

ploratâ

ploratâ, recuperaret chirographum dæmoni traditum. Domi nostræ detentus, per dies 12 jejunio, cilicio, aliisq; corporis afflictionibus strenuè incubuit, ductusq; ad Sacellum S. Ignatii, jussus est in præsentia Suffraganei Argentoratensis dæmonem ejurare, & fidei facere professionem. Quod dum conaretur, à dæmone fere suffocatus est, voce interclusa. Reditum ergo ad jejunia aliasq; corporis macerationes & orationes: donec hac die, ardentiùs implorata ope S. Patris, tempore Sacrificii dæmoni extorta est syngrapha, quam altaris mappæ subjecit. *Bartolus in Vita S. Ign. lib. 5. num. 95.*

2. In Synodo Tridentina cùm anno 1547 ageretur de Sacramentis Ecclesiæ, jussi sunt hac die sententiam dicere Theologi Pontificii è Societate JESU, Lainius & Salmeron, recensendo & confutando sectariorum errores in ea materia. Præstitit hoc tam copiosè, comptè ac eruditè Lainius: ut cùm aliis Theologis vix hora concederetur ad dicendum; ipsi Præses Concilii ternas tribuerit horas. *Orlandin. par. 1. hist. Soc. lib. 7. n. 23.* *Lainii authoritas in Concilio Trident.*

Eodem die obierunt.

3. Genuæ in Italia anno 1606, P. Franciscus Adornus, qui S. Carolo Borromæo à sacris Confessionibus fuerat, in speciali amore & honore semper ab ipso habitus. Post mortem suam spectabilis ei factus S. Cardinalis, dixit: Bene secum agi; adjecitq;: Tu quoq; brevi accerseris. Procacem fœminam ad scelus solicitantem, castissimo ingenio elusit: quando, arte in Societate satis usitata, latrinæ sordibus fœdata facie, fœdiores illius amores in horrorem vertit. Cujus victoriæ temporale præmium videtur fuisse mira quædam pulchritudo, quam DEus demortui faciei afflavit. *Castitas turpi remedio servata.*

4. Potosini in India Occidentali, anno 1589, P. Bartholomæus Jacobi, magna magnæ charitatis victima cecidit, inter strenuam operam pestifera lue infectis præstitam. Nestor quidam Indicus, ob eloquentiæ dotem, videbatur. Ab Indis *Mizqui Simi*; id est, *lingva mellea* dicebatur. *Nestor Indicus.*

5. Romæ anno 1685. P. Daniel Bartolus, Italus. Postquam in præcipuis Italiæ urbibus non minùs zelosum, quàm disertum egit Ecclesiasten: ad conscribendas res gestas à Societate, applicatus, compluribus eam Spartam voluminibus exornavit, & Romanum Collegium Rector gubernavit. Libros ab illo in diversa materia editos, viginti recenset Soutvellus in Bibl. Soc. quos omnes insignis eruditio, elegantia & gravitas styli commendat: ut non minùs delectare, quàm docere videatur. *Styli elegantia & gravitas.*

XIV. JANUARII.

B. CONcessum est anno 1701 à sacra Rituum Congregatione, authoritate Clementis XI, Provinciæ Litvanæ S.J. Officiũ, hac die, sub ritu Duplicis majoris, jã nunc secundæ classis, unà cum Missa, de SS. Nomine JESU: quod speramus in universam Societatem propagandum, propter communem Titulum ejusdem Sacrosancti & salutiferi Nominis, & innumera maximaq; beneficia à bono JEsu percepta: de quibus videri potest Gomez par. 3. *Officium & Missa de SS. Nomine JEsu.*

2. S. Xaverius anno 1549 Cocinô dedit Epistolam ad S. Ignatium: quâ informat 1. de pravitate & indocilitate Indorum. 2. Eos, qui ad propagandum Evangelium mittendi sunt in Indiam, non tam literis multis, quàm virtutibus instructos esse debere, ma- *S. Xaverius describit dotes mittendorum*

in Indiam. maximè verò castimoniâ & humilitate. 3. petit: ut qui mittendus est Collegio Goano Rector, *sit inprimis singulari obedientiâ insignis: ut obsequio atq; humilitate benevolentiam sibi conciliet Magistratuum, Præpositorumq; Ecclesiasticorum. Deinde facilitate excellat, affabilisq; in congressu & sermone sit potiùs, quàm severus & gravis - omninoq; is non sit, qui timeri se, quàm amari malit.* subjungit paulò post: *Et sanè, ut mihi videtur, Societas IESV nihil aliud est, nisi Societas amoris atq; concordiæ; à qua profectò acerbitas ac timor servilis longissimè abhorret.* 4. Significat, se in Japoniam profecturum, ob spem maximam magni animarum lucri sibi injectam. Deniq; concludit: *Te ergo, Pater animæ meæ, summèq; mihi venerande, positis humi genibus (sic enim tibi hanc epistolam scribo) tanquam si præsentem intuerer, suppliciter oro: ne DEum pro me in Sanctis Sacrificiis tuis ac precibus obsecrare desistas &c.* Epistolarum Veterum lib. 2. epist. 9.

Societas est Societas amoris & concordiæ, judicio S. Xaverij. S. Xaverij reverentia erga S. Ignatium.

Eodem die obierunt.

Paupertas accurata. Stationes in cubiculo. 3. Duaci in Belgió anno 1614. P. Joannes de la Haye Servius; vir experrectæ semper & quæstuosæ in DEum fiduciæ; paupertatis verò tam rigidus amator, ut ne repertæ quidem unius aciculæ usum admitteret, nisi magna reverentiæ significatione petita facultate. Per cubiculum suum Imagines distribuerat pro stationibus frequentiùs obeundis, quas singulari pietate obibat.

Ars obliviscendi. Vestis annos 30 gestata. 4. Eboræ in Lusitania anno 1617. P. Martinus de Mello. Cùm Collegiis vel Provinciæ præesset, pollebat suavitate nulli suspecta, & arte oblivionis, qua delebat, quidquid ullus deliquisset, si tamen emendasset. Omnium omnino votorum & regularum, sed paupertatis potissimùm observantissimus, per totos triginta annos eâdem veste usus est, si vestis dici meruit, & non potiùs cento ex innumeris segmentis consarcinatus.

Studium assiduum. 5. Varsaviæ in Polonia anno 1695 P. Albertus Tylkowski, Polonus Ad omnem literaturam capax & promptum attulit ingenium: quod assiduo studio, & bibliothecarum diligenti excussione ita perfecit: ut in promptu haberet omnem ad quodvis edendum opus, eruditionem. Etiam in Prælatorum Ecclesiasticorum aulis, quibus adhærere jussus erat, tempus lucubrandi invenit; & si mensa, ut solet, esset prolixior, cum bona Prælati venia se recipiebat ad musæum suum. Edidit in varia materia opera & opuscula complura, quorum novemdecim recenset Soutvellus, *in bibl. Soc.* sed multò plura postea prodierunt.

XV. JANUARII.

Academia Hispalensis Suffragium pro libro Molinæ. 1. Hispalensis in Hisp. Academia anno 1602. egregiam dedit epistolam ad Clementem VIII. Pont. Max. pro libro P. Molinæ de Concordia Gratiæ & liberi arbitrij: de quo libro testatur; quòd cum Doctores Hispalenses frequenter lectitaverint, evolverint, excusserint, dignum censuerint, cujus doctrinam ipsi haurirent, & suis auditoribus propinarent; in publicis disputationibus defendendam proposuerint, magno omnium sapientum consensu, magna docentium laude, & doctrinæ æstimatione: ut quæ illis hactenus procul dubio visa est cum Sacri Concilij Tridentini Decretis mirificè consonans, atq; Sanctorum Patrum, Augustini præsertim, sententiis bene

munita

munita; tum etiam cum hominis libertate, cumq; DEI gratia egregiè consonans. *Ita illi.* Orant deniq; : ut antequam sua Sanctitas ad ferendum judicium accedat, velit illius Universitatis, & Theologiæ Professorum, de eo libro sententias, in Urbem mittendas, ponderare. *Eleuther. hist. de Auxil. lib. 2. cap: 13.*

2. Anno 1582. P. Antonius Possevinus, missu Summi Pontificis Gregorij XIII. adijt Poloniam & Moschoviam; ut negotium pacis tractaret inter Polonos & Moschos, quorum Dux gravi bello pressus à Stephano Rege, authoritatem Pontificis imploraverat ad pacem conciliandam. Possevinus ultrò citròq; commeans, qua erat industriâ, pacem deniq; feliciter confecit, cedente Moscho universâ, quam occupaverat, Livonia, Stephano autem reddente, quæ in Moschovia expugnârat, loca. Susceptum fuit id pacificationis negotium à Pontifice & Possevino, inductis Moschorum amplissimis pollicitationibus in favorem rei Catholicæ. Sed ubi confectum fuit, aliam prodidit mentem Moschus, tamque, durum & ferocem se præstitit Possevino causam Pontificis & Ecclesiæ agenti; ut parum abfuerit à supremo capitis periculo. Ad hanc obstinationem Moschi non parum contulerunt Angli quidam & Hollandi hæretici, Pontificem traducentes ut Antichristum. In reditu ex Moschovia Possevinus Rigæ accepit literas à Pontifice de fundando Vilnæ Seminario ad erudiendos Ruthenos & Moschos: quod paulò pòst institutum. *Sacch. hist. Soc: p. 5. lib: 2. n. 67. & seqq.*

Possevinus pacē conficit inter Polonos & Moschos.

Moschus partâ pace ferox.

Vilnensis Alumnatûs erectio.

Eodem die obierunt.

3. Lovanii in Belgio anno 1623. vir immortalitate, non uno titulo dignus, P. Leonardus Lessius, non tam vivere, quàm mori tandem desiit. Tam diris enim cruciatibus stomachi, colicæ, calculi, herniæ duplicis, aliorumq; morborum, à juventute ad sexagesimum nonum ætatis annum exagitatus semper fuit: ut fateretur ipse, morte graviora esse, & illis levius fore incendium, quo vivus conflagraret. Ferebat tamen ærumnas omnes incredibili patientia, excitabatq; se potissimum patientis Christi memoriâ, uti solitus illo Symbolo: *Amor meus Crucifixus est.* Miraculo igitur proximum videtur: tot & tam assiduos inter dolores, tot tamq; doctas, in varia materia, ab ipso confici potuisse lucubrationes, Theologis & Jurisperitis in summo pretio habitas. Doctrinam ejus de Prædestinatione & Auxiliis gratiæ notaverant quidem justò rigidiore censurâ Academiæ Lovaniensis & Duacena: sed paulò pòst sublata à Sixto V. Pont. Max. per Nuncium Apostol. eâ censurâ, majus pretium accessit doctrinæ Lessianæ.

Lessius morborum ergastulum.

Patientia heroica

Lessii doctrina de gratia auxilijs & prædestinatione indemnis.

4. Yamoritæ in nova Hispania annn 1635. magna zeli animarum, & sanctimoniæ relictâ famâ, obiit P. Petrus Cravina. Inter alia mira de illo relata, non postremum est; quòd Christianis confligentibus cum barbaris Indis, Capitaneus copiarum Christianarum Suarez, viderit Petrum longè dissitum, conflictui præsentem, atque

Absens confligit cum Christianis contra barbaros.



una manu Christi Crucifixi simulacrum attollentem, alterâ flagro armatâ se se cædentem. Et stetit penes Christianos victoria, à P. Petro jam antè promissa.

Gravis lucta viri innocentis in extremo agone.

Abnegatio sui necessaria ad conjunctionem cum DEO.

5. Vilnæ in Litvania anno 1657. P. Jacobus Brentus, post acrem cum Dæmone luctam in extremo agone, victor abiit. Nullius per omnem vitam gravis culpæ sibi conscium, aggressus tamen est seductor ille tantâ violentiâ; ut Pater Jacobus auditus sit exclamare: *Domine vim patior, responde pro me. Quàm execrabilis, quàm turpis, quàm malus est Dæmon!* Invisenti se cuidam è Patribus dixit: Quantam ego habui luctam cum Dæmone! Voluit me adducere ad spiritum blasphemiæ, sed jam DEI gratiâ superavi. Magistrum Novitiorum insigni prudentia & dexteritate egit, solitus monere Novitios: *Quò magis sine vobis eritis, eò magis cum DEO eritis.*

XVI. JANUARII.

Censorum libri Molinæ iniquum judicium.

Prædestinatio non est propter liberi arbitrij bonum usum.

1. ANno 1598 habitus est Romæ Conventus tertius Consultorum, seu Examinatorum Libri P. Molinæ; in quo conclusum: Unum ex 4. Molinæ principijs esse; *In particulari dari rationem Prædestinationis, bonum usum liberi arbitrij futurum.* Sed tantùm abest, ut in eo principio Molina suam doctrinam fundârit; ut potiùs oppositum constanter & evidentissimè tradiderit, ac miretur eam doctrinam sibi imponi: nam 1. p. q. 23. art. 4 disp: 1. membro 12. sic inquit: Non defuerunt, qui mihi tribuere voluerint, me asserere: dari causam Prædestinationis ex parte boni usus liberi arbitrij. Non possum non vehementer mirari eum, qui integrum opus nostrum legit, mihi eam tribuere opinionem: cùm frequentissimè in eo clamem, efficaciterq; ostendam; Prædestinationem non esse propter bonum usum liberi arbitrij prævisum, ne ut conditionem quidem sine qua non; sed pro sola libera voluntate DEI, qui sua dona distribuit, prout vult, & quibus vult. Ita Molina. *Eleuther. hist. de Auxil. lib. 2. cap. 8. & lib. 3. cap 3.*

Missio fructuosa.

2. In Siciliam appulit anno 1549. P. Jacobus Laynez, Diœcesim Montis Regalis rogatu Farnesij Cardinalis visitaturus, & concionibus ad populum operam daturus: quibus tantum profecit: ut non solùm in populo & proceribus insignem fecerit morum mutationem; sed etiam sexdecim prostituti pudoris mulierculas reduxerit ad frugem meliorem, Sanctimonialium cœtum ad religiosam promoverit observantiam, & Collegio Panormitano dederit initium; vir quàm ardens verbo, tam potens opere. *Orland. 1. Parte hist. Soc: lib. 9.*

Lucernenses Helveti extorquent, Collegium sibi concedi.

3. Anno 1577 Lucernenses in Helvetia, forti epistola ad Everardum Præpositum Generalem datâ, postulârunt, & impetrârunt Collegium. Nos, inquiebant, ij semper fuimus, sumusq; hodie, qui Catholicam fidem defendimus (quod sine jactantia dictum sit) adducta in discrimen dignitate, re,

vita

vita & sangvine: neq; id solùm in patria nostra, sed ubicunq; nostra opera expetatur. Æquum igitur est; ut qui religiosis laboribus summè contendunt, ut sustineant & amplificent veram fidem, pietatemq; Christianam; adsint nobis, qui idem profitemur, & efficimus armis, vitæq; periculo &c. Sic illi militari eloquentiâ. *Sacch. p. 4. in hist. Soc: lib. 5. n. 104.*

4. Anno 1697 finita est in Urbe Congregatio XIV. Generalis, sub P. Thyrso Gonzalez Præp. Gen. quæ inchoata fuerat anno præcedente 15. Novemb. Finita autem est, & celebrata, admodùm pacificè: cùm turbulentam fore, alij timuerint, alij sperârint; & Acatholici etiam ad ejus exitum arrecti fuerint. *Congregatio Generalis XIV finita.*

Eodem die obierunt.

5. Romæ anno 1620. P. Stephanus Benassai, pestifera lue contracta in Pontificiis triremibus, quibus singulari charitate deserviebat, exultabundus supremum agonem absolvit. *O bene est, beate est, Patres,* ingeminabat; *in Paradisum, in Paradisum imus!* Eodem planè, quò decessit, tempore in Collegio Romano, spectandum se præbuit cuidam è Sociis in domo Probationis, in veste cándida, vultu hilari, & copiosa luce circumfusum. Degentem adhuc in sæculo, Archiepiscopali dignitate ornare parabat Paulus V. Pont. Max. sed ille elegit abjectus esse, in minima Societate JESU in qua homo quinquagenarius lingvam Illyricam à primis elementis; condidicit; ut populis illis erudiendis idoneum se præberet. Romæ eximia illius charitas eluxit in Ægyptiis doctrinâ Christianâ erudiendis, & in gremium Ecclesiæ deportandis. *Mors jucunda.* *Lingvarum studium.*

6. Eberspergæ in Germania, anno 1621. P. Georgius Hoffer: Inter alia religiosæ pietatis exercitia, illud etiam in more habebat: ut post preces Canonicas absolutas, illa semper è Litaniis communibus Verba subjungeret: *A subitanea & improvisa morte libera nos Domine.* Et verò dum pro more domi Litaniæ dicerentur, ille mortem obiit, certè non improvisam: de qua diebus singulis tam solicitus erat. *Ad mortem apparatus.*

7. Meliaporæ in India anno 1656. P. Robertus Nobilius, seu de Nobilibus Italus. Applicatus Missioni Madurensi, inprimis tres præcipuas illarum gentium lingvas tam limatè didicit; ut ad omnium stuporem cultissimè loqueretur Tamulicè, Badagicè, & Grandonicè. Deinde ut Brachmanas supremi Ordinis, Christo lucrarentur; rigidissimum ipsorum vivendi modum & habitum assumpsit, non solùm carnibus, verùm & piscibus perpetuò abstinendo. Quæ conformatio, quàm fuit fructuosa, tam visa est non paucis indecens; ideoq; copiosa bono Patri oblata est materia patiendi. At ubi ille suam agendi rationem, ut erat insigniter excultus Theologiâ, copiosius exposuit: à partibus ipsius steterunt non Archiepiscopi tantùm, verùm & Gregorius XV. Pont. Max. Sic viri Apostolici semper habent & quod agant, & quod patiantur. *Soutvellus in Bibl. Soc.* *Lingvarum peritia.*

XVII. JANUARII.

Bulla contra Apostatas à Societate extensa.

I. ANno 1565. Pius V. Pont: Max. confirmavit, & extendit Privilegia Societatis, à Paulo III. & Pio IV. concessa, contra Apostatas: constituitq; 1. Nullum, post emissa Vota religiosa, sub quovis prætextu, vel indulto, posse exire è Societate, absq; licentia obtenta specialiter à Superiore suo. 2. Neminem posse absq; licentia simili transire ad quemvis alium Ordinem Religiosum, præter Carthusiensium. 3. Transeuntes absq; licentia legitima ad alium Ordinem, tam ipsi, quàm qui eos recipiunt, sunt ipso facto excommunicati: nec possunt absolvi, nisi à Papa, aut à Superiore Societatis. 4. Qui voluerint transire ad Carthusienses, debent id facere infra tres menses, à die, quo à Societate recesserunt. Qui verò licentiam obtinuerunt, ad alium Religiosum Ordinem transeundi; debent talem Ordinem actualiter ingredi, infra tempus eis à superiore Societatis assignatum: & si in talibus Religionibus permanere nollent, vel non possent; absq; ulla morâ ad Societatem regredi tenentur, sub pœna Excommunicationis præfatæ; quam tam ipsi religiosi transeuntes, quàm illos recipientes, vel eis auxilium, consilium, vel favorem præstantes incurrent. 5. Transeuntes sine licentia ad alios Ordines post emissa vota, vel alibi in sæculo commorantes deserta Societate, potest Generalis & alii immediati Superiores Societatis, etiam adhibito brachio sæculari, & non servatâ formâ judicij, ad Societatem revocare, capere & incarcerare, ac debitæ pœnitentiæ subjicere authoritate Apostolica. 6. Communicantur Societati omnia Privilegia aliorum Ordinum, quo ad modum procedendi contra apostatas. *Bull: Soc.* Constitutio Pij V. incipit: *Æquum reputamus &c.*

Expeditio infausta in Peruviam.

2. Anno 1574 Socij tredecim ex Hispania solverunt in Peru viam cum 40 ex Ord. Præd. Sed postridie ingruente tempestate, fractoq; gubernaculo, hausta deniq; navis est, quæ plurimos vehebat; naufragi tamen omnes in aliam, quæ propè erat, navim recepti, evaserunt in portum Gaditanum, meliorem paulò pòst tentaturi fortunam. *Sacch, p. 4. lib. 2. n. 137.*

3. Feliciore usi sunt navigatione in eandem Americam anno 1691 Missionarij 44 è Societate. Cùm enim hoc die Gadibus solvissent, sexta Aprilis ejusdem Anni prosperrimè Paraquáriam, ad quam excolendam missi erant, attigerunt, nemine desiderato. *Ex Relatione P. Antonii Sepp. impressa Norimbergæ.*

Eodem

Eodem die obierunt.

3. Potosii in America Peruana, anno 1620, P. Jacobus Alvarez de Paz, notum inter celebriores Ascetas nomen solidissimis ejus lucubrationibus magnum pondus divinitus accessit: quando visus est inter scribendum cœlesti fulgore circumfusus, & adstante quodam viro gravissimo, quæ scribebat in aurem excipere. Voto se adstrinxit de omni etiam veniali peccato plenè voluntariè non admittendo. Quotidie tamen priùs ad Confessionem, quàm ad aram accedebat: ubi visus est amplexum à Christo accipere.

P. Iacobi Alvarez scripta Ascetica, cœlitus illustrata, & inspirata. Votum de vitandis peccatis venialibus. Amplexus à Christo acceptus inter sacrificandum.

4. In Paraquaria nobilis pro fide & animarum salute victima cecidit anno 1639. P. Didacus de Alfaro: ad quam mortem sibi prævisam & amico prædictam, se per ascetica unius mensis exercitia secessu accuratissimo præparaverat.

Ad mortem præparatio per exercitia spiritualia.

5. Romæ, anno 1559, principem Romanæ juventutis Robertum Cardinalem Nobilium mors immatura sustulit. Devoverat se Societati sed non sinebatur aulam cum Domo probationis permutare. Vitam ergo & aulam suam ad normam Societatis & Collegii Romani accuratè composuit, miráq; humilitate, & obedientia se Præposito Generali submisit. Brevem vitæ cursum, nec excedentem octo supra decem, annos, heroicâ patientiâ in supremo morbo extendit. Moriens supremam, maximèque memorabilem magnis & parvis, edidit vocem: *Humilitas, Humilitas, Humilitas*!

Card. Nobilis spiritu in Soc. Humilitatis commendatio.

6. Viennæ Austriæ P. Carolus Musart, Belga, anno 1653. Vir fuit ad omnium, præcipuè tamen vilioris conditionis hominum, obsequia factus, quàmvis Theologiæ laureâ exornatus. Tractandis juvenum animis, atq; ad omnem virtutem formandis, singularem prodebat industriam & efficaciam. In eum finem complura edidit pia opuscula; Soutvellus in Bibl. Soc. unum supra viginti numerat.

Iuvenum informatio & pauperum.

7. Romæ anno 1687. P. Silvester Maurus, Italus, vir quàm modesti, tam subtilis ingenii; Aristotelis in philosophicis, & D. Thomæ Aquinatis in Theologicis observantissimus. Unde Aristotelis Opera omnia, cum Paraphrasi edidit Tomis 6. in 4. Theologicâ verò opuscula complura, sententiæ D. Thomæ strictè inhærentia. Doctrinæ tamen excellentiam superavit studium perfectionis religiosæ.

Observantia D. Thomæ & Aristotelis.

XVIII. JANUARII.

I. Finita est anno 1594. Congregatio V. Generalis, quæ prima fuit habita superstite Generali, sic volente Clemente VIII. Celebravit illam P. Claudius Aquaviva, Præpositus Generalis, à 3. Novemb. anni 1593. ad 18. Januarij anni sequentis. Inter cætera declaratum est in ea Congregatione *Decr. 5.* Verba illa Formulæ votorum simplicium: *Et promitto, eandem Societatem me ingressurum &c.* Verè & propriè habere rationem voti, & habuisse; & ab omnibus censeri debere Votum peculiare, à tribus alijs in eadem formula contentis distinctum, quo quis se obligat ad acceptandum gradum Professorum vel Coadjutorum Formatorum, prout Præposito ad majus DEI obsequium fore videbitur. Prohibitum quoq́ severè Decreto 47. ne nostri ullo modo se immisceant in negotia politica

Promissis ingrediendi Societatem, in formula votorum simplicium, est verum Votum

Negotia secularia principū graviter vetita.

ftatûs, etiam invitati & illecti. Quod decretum firmatum & aggravatum eſt alio, ſcilicet 79, ubi in Virtute S. Obedientiæ, & ſub pœna inhabilitatis ad quævis officia, & dignitates, ſeu prælationes, vocisq; tam activæ, quàm paſſivæ privationis: ne quiſquam publicis & ſæcularibus principum negotijs, quæ ad rationem Statûs (ut vocant) pertinent, ulla ratione ſe immiſceat. Superioribus autem commendatum: ut ſi quos ad id propenſos adverterint; Provincialem quamprimùm commonefaciant, ut eos loco mutet, ſi illic ſit occaſio, vel periculum, ſe ejuſmodi implicationibus irretiendi. *Ex Decretis ejusdem Congreg.*

Eodem die obierunt.

Pœnitentia etiam Martyribus non negligenda.

2. In India Orientali, ad urbem Dabul. Vincentius Alvarus cùm Goam peteret, ſtudiis altioribus operam daturus, à Mahometanis piratis interceptus eſt. Cùm pro aliis captivis lytrum facilè admiſiſſent, pro hoc ſe admiſſuros negabant; quòd hujuſmodi homines in Mahometem, ejuſq; legem iniquiores eſſent. Acceptâ mortis ſententiâ, inter geſtientis animi argumenta pœnitentiæ oblitus non eſt, eeciditque Pſalmum quinquageſimum decantans, anno 1606. Corpus in mare abjectum.

Officium Ecclesiast. triplex quotidie recitatum.

3. Viennæ in Auſtria piè deceſſit anno 1627. P. Joannes Coboncelius, Carniolus: Eccleſiaſticis Breviarii Romani precibus adeò non gravatus; ut quotidie officio diei alia duo adjiceret, alterum de S. Spiritu, vel SS. Euchariſtiæ Sacramento, alterum de S. Barbara V. M. Duobus quotidie Sacrificiis intererat, præter illud, quod ipſe faciebat. Eodem, quo obiit, tempore, cuidam 26 leucis Viennâ diſſito, clara luce ac vigili, ante meridiem conſpectus eſt pileo atq; baculo inſtructus, quaſi ad iter æternitatis accinctus, hilaris & vultu amabilis.

Animas defunct. juvandi ſtudium.

4. In Anglia anno 1645. P. Franciſcus Gardinerus, Anglus pii candidiq; laude ingenii amabilis. Vindicandis animabus è Purgatorii flammis mirificè addictus, muτuam ab ipſis opem confidentiſſimè in omnibus periculis, & arduis negotiis ſperabat; nec fefellit ipſum ſpes ſua. Fuit, cùm ſacrum Viaticum ad ægrum deferens, incidit in apparitores; qui neſcio quid ſuſpicati, hominem tenuerunt, & occultum quidpiam ſcrutantes, veſtibus omnibus uſq; ad lineam ſubuculam exuerunt. Tum ille ad Chriſtum converſus, *Salva jam te ipſum, mi DEus, nam ego ultra non poſſum*; ſimulque parvulam pyxidem intra volam manûs recepit; nec quiſquam inſpexit illam. Sic non raro minùs ſuſpecta ſunt, quæ aperta.

XIX. JANUARII.

Cum principibus reverenter & fidenter agendum.

1. INdiarum Apoſtolus S. Xaverius, anno 1545. Cocinô epiſtolam dedit ad Joannem III. Luſitaniæ regem, quâ fortiter & reverenter promovet cauſam Indorum converſorum & convertendorum ad fidem Chriſtianam. Statim in capite epiſtolæ ſic ponit: Domine. Sic velim habeat Majeſtas tua, itaq; ſecum, quæſo, reputet: DEum Dominum noſtrum Tibi potiſſimùm, præ cunctis, qui uſpiam ſunt, Chriſtianis principibus, harum Indiarum Imperium

rium tribuisse; ut experimentum tui caperet, probaretq;: qua fide commissum negotium gereres; quoq; officio grati animi beneficijs responderes. Neq; in hoc tam spectâsse, ut regium tuum fiscum ditaret proventu pretiosorum fructuum è terris exteris, & importatione gazæ peregrinæ: quàm ut suggerendis occasionibus heroicorum laborum, virtuti ac religioni tuæ benignam materiam offerret &c. Claudit epistolam: Adjuva me, quæso, Domine tuis orationibus: postulando à DEo Domino nostro pro me idem, quod ego vicissim pro Majestate tua postulo: nempe ut in hac vita det Tibi gratiam sentiendi, & agendi id, quod in momento Tuæ mortis gauderes Te fecisse. *Epist. novarum lib. 3. epist. 10.*

Cur ditiones ipsis commissæ?

In vita agendum, de quo in morte non doleamus.

2. Anno 1561 P. Consalvus Silveria potentissimum in Africa regem Monomotapæ, cum Matre ipsius baptizavit. Impulit hominem in lustrales aquas DEipara V. cujus effigiem humili cultu pridie veneratus erat. Nam semisopito Regi quinq; circiter noctibus spectabilem sese exhibuit, summaq; benignitate ipsum affari visa est, sed lingvâ incognitâ. Valde igitur anxius rex, quod sermonem cæli Reginæ non intelligeret, accersit P. Consalvum, & queritur de imperitia sua. At Pater reponit: eam lingvam cælestem esse, nec intelligi, nisi ab ijs, qui Reginæ illius Filium agnoscerent DEum, legemq; ejus amplecterentur. Operata est id ea responsio: ut rex de Lege Christi & mysterijs fidei doceri voluerit, & post dies aliquot, satis instructus, lustralibus aquis cum matre expiatus est. Secuti paulò pòst ad sacrum fontem Procerum ultra trecentos. *Sacch. hist. Soc: p. 2. lib. 5. n. 224 &c.*

Rex Monomotapa baptizatus

Deipara V. benignitas.

Eodem die obierunt.

3. Romæ anno 1565. P. Jacobus Laynez, Hispanus, Secundus Societatis Præpositus Generalis, Vir ingenio maximo, prudentiâ, & doctrinâ summâ, innocentia & sanctimonia vitæ singulari, modestiâ, & morum svavitate suprà, quàm dici potest amabilis. Condendæ ac instruendæ Societati S. Ignatio primarius adjutor fuit. Italiam fere totam zelosissimis concionibus, maximoq; fructu percurrit, nec cessavit à concionandi munere, etiam in regimine Societatis universæ. A Pio IV. in Galliam cum Estensi Card. legatus, Theodorum Bezam, Petrum Martyrem, aliosq; hæreticorum antesignanos, Catholicis insultantes, in publico Regni conventu repressit, domuit, mutosq; reddidit. Ad Sacram Tridentinam Synodum ter, à tribus Pontificibus, expeditus tanquam Apostolicæ Sedis Theologus, primum inter Theologos locum tenuit, tantaq; sacri illius consessus approbatione, admiratione, acclamatione disputavit: ut passim Theologorum Princeps, oraculum Spiritûs S. Arca utriusq; Theologiæ prædicaretur. Post oblatam à Paulo IV, & humillimè repudiatam Cardinalitiam dignitatem, eodem Paulo defuncto, complurium, ex purpurato Ecclesiæ Senatu lectissimorum, suffragia meruit pro summa in terris dignitate. At Laynio satis fuit, meruisse.

P. Laynez quantus?

In condenda Societate adjutor primarius

In Gallia contra hæreticos potens.

In Concilio Trid. Theologus nemini secundus

Pro Pontificatu candidatus

4. Novo-

4. Novocomi in Italia P. Edmundus Augerius, Gallus, Caroli IX & Henrici III, Regum Galliæ, Confessarius & Ecclesiastes Apostolicus, ad Ecclesiam triumphantem transiit, anno 1591. clarus conversorum hæreticorum manubiis. Quadraginta, & ampliùs (quidam ad septuaginta extendunt) hæreticorum millia, cum 40, hetorodoxis ministris, ad Ecclesiam Christi reduxisse traditur, longè pluribus vacillantibus in fide, confirmatis; ut non immeritò vocatus sit, Pater Patriæ, Conservator fidei, salutis publicæ restitutor, torrens eloquentiæ Gallicanæ. Thesaurus dicendi illi fere fuerunt Isaias & Paulus. A 4. sæculis parem illi Ecclesiasten Franciam non habuisse dicebatur. Moribundus auditâ cœlesti Symphoniâ, *Abeamus ergo, Abeamus* ajebat; & abiit stipatus splendidissimâ cælitum coronâ, ut cuidam ostensum divinitus, præcedente & præcinente numerosa parvulorum turmâ, quorum Sodalitatem olim instituerat in Gallia.

Conversorum à P. Augerio multitudo.

Concionatorū thesaurus primarius.

XX. JANUARII.

1. DIsceptatio XIII. de Doctrina P. Ludovici Molinæ, habita est anno 1603 coram Clemente VIII. Quæstiones propositæ sunt duæ. 1. An Molina & Cassianus eodem modo exponant locum illum Pauli 1. Cor. 10. *Fidelis DEus, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis?* 2. An Molina & Cassianus conveniant in hac Conclusione: *Ante receptionem gratiæ servanda est laus libero arbitrio?* Ad utrumq; respondit P. Arrubal pro Molina, negativè, *Primum* probavit: quia Cassianus docet: quòd DEus non patiatur tentari homines supra id, quod possunt viribus naturæ; Molina autem explicat; quod DEus non patiatur nos tentari supra id, quod possumus virtute gratiæ à DEo donatæ. Utriusq; sensum deducit ex textibus eorum. Alterum probavit: quia Cassianus dicit, ante receptionem omnis gratiæ prævenientis esse in libero arbitrio laudem operis pij, & idonei ad Justificationem: quod negat Molina. Probavit utrumq; ex allegatis utriusque locis. *Eleuther. hist. de Auxil. lib. 5. cap. 17.*

Molina Cassiano non consentit.

2. Disceptatio XXIV. de eadem Molinæ Concordia habita est coram eodem Pontifice anno 1604; in qua quidem à Pontifice propositæ fuerunt quæstiones 5. uno die resolvendæ: sed cùm P. Ferdinandus de Bastida ex parte Societatis, de duabus primis disseruisset totis duabus horis, nec quidquam superfluum dixisset; reliquæ tres quæstiones servatæ sunt in aliud tempus. Prima quæstio fuit: *An sit de expressa S. Augustini sententia, aut saltem de ejus mente, vel potiùs contra ejus doctrinam: quòd interna DEi vocatio ad fidem, licet donum DEi sit, multùm tamen pendeat à libero arbitrio ejus, qui vocatur?* Altera, *An interna excitatio fidelis ad pœnitentiam, quàm maximè pendeat à ministris Ecclesiæ, atq; à libero arbitrio?* Ad 1. respondit Bastida: Sententiam S. Augustini, & Molinæ esse: quòd interna Dei voca-

Molina concordat cum S. Augustino.

vocatio ad fidem nullo modo pendeat ab actu liberi arbitrij ejus, qui vocatur, tanquam à Causa meritoria; pendeat tamen ordinariè tanquam à dispositione prævia; scilicet ab actu, quo infidelis liberè vult audire prædicantem. Ad 2. respondit ex mente S. Augustini & Molinæ, affirmativè; scilicet secundùm cursum ordinarium. Utrumq; dilucidè & solidè probavit ex eorum doctrina. *Eleuther. lib. 5. cap. 23.*

3. Lutetiam Parisiorum hoc die, anno 1590 attigit P. Robertus Bellarminus, nondum Cardinalis, datus à Pontifice Sixto V. socius Legato Henrico Cajetano Cardinali in Galliam misso ad componendam tempestatem, ferventem inter Principes Catholicos, & Henricum IV. regem Navarræ, tunc adhuc Acatholicum. Ibi largè cumulavit gloriam editis libris, & sapientiæ eximiæ famâ partam: quando nullo modo adduci potuit à Legato Cardinale, ut politicis quibusdam negotiis, quæ agitabantur, sese immisceret: imò ex consessu Procerum, cui ipsum adesse voluit Legatus, dextrè se subduxit, & in angulum recepit. Urgenti Cardinali, ut adesset; liberè & candidè respondit: se ad ea tantùm tractanda missum esse, quæ Religionem concernerent. Quo responso non solùm non offendit; sed plurimùm auxit opinionem de se conceptam, præsertim apud Cardinalem, & Senatûs Parisiensis Præsidem Segnerium. *Petrasancta in Vita Bellarmini lib. 2. c. 9.*

Bellarminus fugit negotia sæcularia.

Eodem die obierunt.

4. Macai, in insula Sinensi, anno 1606, P. Alexander Valignanus, Orientalium Indiarum zelosissimus Provincialis & Visitator per annos 33. Trium principum Japonicorum legatos ad Gregorium XIII. expedivit Romam. Immensis itinerum tractibus & periculis emensis, rem Indicam & Sinensem Missionem stupendâ industriâ & constantiâ feliciter promovit, atq; nascentis ibi Ecclesiæ fastos magno suo nomine, & labore implevit; contra omnia pericula & incommoda indefesso orandi, & sese affli-ctandi studio munitus.

P. Valignani labores in promovenda Ecclesiâ Iaponiæ & Sinarum.

5. Ibidem anno 1615 Mancius Taichieu Coadjutor, Japon, fidei causâ, quam picturâ sacrarum imaginum promovebat, ejectus è patria quantumvis æger, navigationis incommodis fractus occubuit.

Pictura apta ad promovendam religionē.

6. Pechini apud Sinas anno 1688. P. Joannes Verbiest, Belga. Successit in munere Præsidis Mathematum, & gubernatione Societatis in illo imperio Patri Joanni Adamo Schal, Herculi Atlas. Imperatoris singulari favore & authoritate officii sui prudenter utebatur, ad firmandam & propagandam rem Christianam: adversariorum injurias beneficentiâ ulcisci maluit; qua arte plurimùm profecit, & legis Christianæ sanctitatem luculenter demonstravit.

Ars firmandi & propagandi rem Catholicā.

XXI. JANUARII.

Bonus usus gratiæ non provenit à solo libero arbitrio, sed etiam à gratia præveniente & adjuvante.

1. CElebrata est coram Clemente VIII, anno 1605, disceptatio trigesima septima in causa Molinæ. Ad propositam quæstionem, *An bonus usus auxiliorum divinorum proveniat à sola innata libertate hominis: & quæ de hoc sit Sententia S. Augustini & Molinæ?* respondit P. Ferdinandus Bastida: provenire eum non à sola libertate innata hominis, sed etiam à gratia præveniente, & Concomitante atq; adjuvante; non autem ab aliqua gratia physicè prædeterminante. Illæ enim gratiæ omninò necessariæ sunt juxta S. Augustinum & Molinam: ista non solùm non necessaria, sed noxia libertati. Quod latissimè probavit. *Eleuther. lib. 5. hist. de Auxil. c. 51.*

P. Alex. Gottifredus electus Generalis.

2. Anno 1651 electus est in Præpositum Generalem IX. Societatis P. Alexander Gottifredus, Italus, illustri & peruetusta stirpe ortus. A teneris annis militiæ Clericali adscriptus, eam morum maturitatem induit, & vitæ innocentiam, quæ futurum Præpositum Generalem deceret. Ad Societatem evolare illi non licuit, nisi post multas victorias de parentibus, cognatis, & Prælatis, Religiosisq; relatas, & ab ipso summo Pontifice obtentam veniam; ut invitis etiam parentibus Societati se addicere posset. Cardinalis Perbenedictus, in cujus ædibus diu multumq; explorata fuit Alexandri Vocatio, perspecta Juvenis indole atq; constantiâ, abeunti dixit: *Vade, age, feliciter ad Societatem JESU, cujus futurus aliquando es Præpositus Generalis.* Fuit; sed ferè tantùm ad explendam hujus Vaticinij fidem. Nondum enim elapsis mensibus duobus ab electione, sublatus est. *Sotvell. in Bibl. Soc.*

Citò defunctus.

Cantus Catechismi gratus Indis.

3. Ex India epistolam hac die dedit S. Xaverius Romam ad Societatem: qua refert inprimis labores suos, & eorum fructus in insulis Molucis, per Catechismi traditionem, adhibito cantu. Tantus, inquit, Neophytorum animis divinarum laudum carmina decantandi injectus est ardor: ut Molucenses pueri in plateis, puellæ ac mulieres in tectis, agricolæ in campis, piscator in mari, pro obscœnis ac vecordibus cantilenis, Christianæ Fidei canerent rudimenta. Narrat deinde, quantis periculis & incommodis perfunctus sit in Insulis Mauricis quantisq simul inter illa perfunctus sit cæli delicijs. Deniq; exponit: quomodo Malacæ instituerit, civitate volente: ut sub noctem certus homo cum laterna & tintinabulo urbem obiret, altumq; inclamaret: ut pro Defunctis, & Existentibus in peccato mortali orarent. *Epist. veterum lib. 2. epist. 6.*

Nocturna oratio pro defunctis, & existentibus in peccato mortali.

Eodem

Eodem die obierunt.

4. Romæ, anno 1612. Paulinus Cecottus Coadjutor. Inter cæteras religiosas dotes, ita orationis dono excellebat: ut crederetur facile impetraturus, quidquid peteret. Unde cùm P. Mutii Vitellesci vita à medicis jam pro deplorata haberetur; à Claudio Aquaviva Præposito Generali jussus est Paulinus tam diu orationi insistere, donec extra periculum poneretur infirmus. Paruit ille, atq; octo integris horis ardenti orationi datis, lætus surrexit: sensitq; eodem tempore Tusculi decumbens P. Mutius plurimum levamenti, ac pòst plenè convaluit. S. P. Ignatii reliquiis cùm plurimos sanaret morbos Paulinus, rogatus admovit easdem Blondi cujusdam, desertoris Societatis cæco oculo: sed contrarium, DEo vindice, accidit: contactu enim reliquiarum desertor ille alterum quoq; oculum amisit. *Orationis efficacia.* *Reliquiæ S. Ignatij excæcant desertorem Societatis.*

5. Lovanii in Belgio, anno 1653, P. Jodocus Schapelinck Belga, meritus rarum illud elogium, quod *non offenderit in Verbo.* Nec bene de se, nec malè de alio locutus unquam, verba omnia in statera prudentiæ, humilitatis & charitatis appendebat; semper intentus, quo modo corpus exueret, soloq; spiritu viveret. *In loquendo cautela.*

6. Oseæ in Hispania, anno 1646, P. Raymundus de Funes, vir ad stuporem omnium semper idem vultu & animo, in prosperis & adversis, imò nec voce impetu quodam elatâ, vel fractâ. Memorabile est ejus effatum, quo affirmavit: *eum qui se ibi virtuti studeret, debere libenter annos decem de vita sibi detrahere, vel pati ut detrahantur.* *Æquanimitas* *Virtuti studendum etiam cũ vita jactura.*

XXII. JANUARII.

1. P. Petrus Faber, cùm visitâsset Belgium, rediit Coloniam anno 1543. In itinere Leodium, Trajectum, Aquisgranum usq; adeò suis concionibus concitavit: ut ex iis urbibus plurimi ad eum Coloniam se venturos reciperent, pro ulteriore instructione per Exercitia Spiritualia, & opportuna consilia. Coloniæ primarium illi negotium erat cum Archiepiscopo & Electore Hermano, in fide nutante, imò jam labante, sustentando. Is absente Fabro, advocârat è Germania Superiore Bucerum, Melanchtonem, Pistorium, Sarcerium, & id genus portenta, ad diœcesim suam novis dogmatibus imbuendam. A quorum pestilenti lue cùm diœcesim omnem non posset servare immunem Faber: in id intentus totis viribus fuit: ut ipsam servaret Civitatem Coloniensem. Nondum enim novatores illi suam pestem palàm inspirare Coloniensibus ausi fuerant. Plurimis ergo locis ardentes, doctissimasq; habet conciones ad auditores lectissimos, veterem fidem firmat, mores reformat, Sacramentorum crebriorem usum inducit, & frequentibus cum pseudoministris Evangelij novi congressibus, arrogantiam eorum retundit, inscitiam prodit, & facessere cogit: ut meritò fidelium vox fuerit: Nisi Fabri vigiliæ intervenissent, perituram funditus Coloniæ fidem fuisse. *Orland. part. 2. hist. Soc. lib. 4.* *P. Fabri labor Coloniæ pro fide servanda.*

In Iaponia religio Christiana cælitus defensa.

2. In Japonia cùm felici Sociorum labore regio Omurensis tota Christo accessisset; graviter commovit ea res Satanam, & vicinum regem Riosogem: qui valido exercitu Principem Omuræ Bartholomæum aggressus, insignem hac die cladem accepit, cùm Bartholomæus non plures sex millibus sub signis, Cruce insignibus, haberet. Fassi sunt hostes, non à sex millibus, sed ab ingenti exercitu, pro Christianis pugnante, se cladem accepisse. *Sacch. hist. Soc: p. 4. lib. 6. n. 315.*

Eodem die obierunt.

Obedientia cæca.

Aqua cribro hausta non effluit.

3. Grannatæ in Hispania, anno 1585. Jacobus de Yevenes Coadjutor, S. Joannis de DEo olim discipulus, & in ministerio pauperum ægrorum Socius, innocentiâ vitæ, orationis, & obedientiæ, quam cæcam vocant, studio insignis. Jussus haustam cribro adferre aquam, hausit; nec gutta effluxit. Visus in angulo culinæ non semel inter orandum à terra sublimis.

Mors musica.

4. Bilbili in Hispania, eodem anno, P. Matthæus Albenosa, vir placidissimi ingenii, & teneræ erga omnes charitatis. In supremo morbo à DEipara V. quam exquisitè semper coluerat, cum S. Petro visitatus & recreatus, expirantem lingvam in hæc ultima verba cantu solvit: *Videant te oculi mei, dulcis & bone IESV; videant te oculi mei: & ecce me, ut statim emoriar.* Cecinit, & vixit.

Coronatus ferro athleta Christi.

5. Varsaviæ in Polonia, anno 1614. P. Martinus Costensis, Polonus, evocatus est ad percipiendam coronam Justitiæ, pro vita religiosissimè acta, & pro ferrea corona librarum sexdecim, quâ, interceptus ab hæreticis, oneratus fuit. Inerant circulo ferreo duo cornua ferrea, quæ clavus adstringebat, caputq; constringebat. Sic coronatus, ventos, nives, imbres, frigoraq;, inter dolores & ludibria, integro Semestri egregiè sustinuit.

Imber parcit itineranti.

Orationis assiduitas.

6. Limæ in America Peruana, anno 1649, P. Joannis Almeidæ, Brasili, Apostolicos labores coronavit DEus. Indis magister, medicus, Servus, frater & omnia fuit. Itinera & plurima, & maxima, & difficillima, non nisi baculo nixus, emensus est. Eunti aliquando ad ægrum cœlo pluvio, imber pepercit, siccumq; dimisit. Spiritu prophetiæ crebro afflatus hominibus admirationi fuit; at Angelis jucundo spectaculo, quando viderunt diurnis laboribus fessum, pernoctantem in oratione DEI, à qua callum in genibus contraxerat.

XXIII. JANUARII.

Censores libri Molinæ non probantur Pontifici.

1. CLemens VIII. anno 1601, Consultores seu Examinatores libri Molinæ, quos valdè variantes in judicijs suis deprehenderat, acciri jussit, unà cum Cardinalibus Bernerio & Bellarmino; præsentesq; his verbis compellavit. Censuras vestras biennio, & ampliùs elaboratas ac recognitas, Jesuitæ probare nolunt: multa Molinæ afficta conqueruntur, nihilq; ab eo assertum dicunt, quod Pelagianismi meritò notari possit. Tum Antonium Bovium, unum ex illis, digito monstrans, Regens quoq; Carmelitarum

tarum, inquit, prolixam mihi nudius tertius Molinæ defensionem exhibuit; quâ nihil in ejus Concordiâ fidei repugnans scriptum obtendit. Rem itaq; præsentibus Prædicatoribus ac Jesuitis, iterum expendi volo, ac diligentiùs inquiri: quibus in Capitibus Molina Pelagianis ac Semipelagianis assentiatur. Quâ sententiâ satis ostendit Pontifex, Examinatores nec ipsi, nec causæ, nec muneri suo fecisse satis. Quod postmodum ex iis, quæ contigerunt, manifestissimè patuit. *Eleuther. hist. de Auxil. lib. 3. cap. 19 & seqq.*

Nova discussio doctrinæ P. Molinæ.

Eodem die obierunt.

2. Ategnete in Hispania, anno 1646. P. Joannes de Cassarubios; singularum exequiarum frequentia & celebritate elatus, ob insignem sanctimoniæ opinionem, quam diuturno virtutum religiosarum studio, usq; ad annum ætatis 97, religiosæ vitæ sexagesimum quartum, & quibusdam divinis gratiis, quas gratis datas dicunt, comparaverat. Mortificatio & oratio maximè spectabilem fecerunt, cui senex horas octo impendebat quotidie; dormiebatq; & parum & vestitus, ut expeditior prosiliret ad orationem. Omnes insigni respectu & reverentia honorabat, dicebatq; *In hoc non dari parvitatem materiæ.*

Orationis studium.
Reverentia erga omnes.

3. Oeniponti Gaspar Gelosus, Coadjutor: inter cujus egregias dotes singulariter eluxit accurata lingvæ custodia; quam ut coërceret, antequam se ad Socios, pro more, à mensa conferret, ad animum colloquio relaxandum; solebat in Imaginem Christi orbem judicantis attentiorem defigere obtutum, & expendere: quàm strictam olim redditurus esset rationem de singulis verbis, & horæ momentis transactis.

Lingua custodia.
Iudicij Divini metus.

4. In Collegio Narensi, in Sicilia, anno 1624. magnum sui desiderium reliquit P. Gaspar Paranymphus, Siculus, vir in Missionibus, & aliàs, potens opere & sermone, ab ipsa V. DEipara coram quodam laudatus ob insignem paupertatis cultum. Negabat se concionari posse, sinè cilicio, cui acrem sui verberationem jungebat. Visus inter dicendum splendor è Crucifixo in illius faciem evibratus: habebantq; ejus conciones semper aliquid de Christo patiente. Morientem cœlestis musica recreavit, conspexitq; non nemo gloriosum ferri in cœlum.

Paupertatis studium à B. V. laudatum.
Concionator cilicio horridus, sed cœlesti splendore illustratus.

5. Antverpiæ in Belgio anno 1629. P. Andreas Schottus, Belga, solida virtute, & multa eruditione conspicuus; quâ etiam apud herodoxos eximia sibi comparavit elogia. Fere libris scribendis ætatem provectiorem consumpsit: septem supra quinquaginta in varia materia typis editos recenset Soutvellus *in Biblioth.* Multum lucis contulit SS. Patrum aliorumq; Auctorum veterum scriptis, adjectis doctissimis notis.

Libri numerosi editi.

6. Parisiis anno 1640. P. Jacobus Salianus, Gallus, Historicus celebris. Historiam Ecclesiasticam locupletavit sex operosis Tomis Annalium, à Mundo condito usq; ad mortem Christi; quos ipsemet insigni compendio collegit in Epitomen unius Tomi in folio; quæ facit Tomum septimum. Octavum dant libri de Amore & Timore DEI ab eodem editi; sicut & Ars placendi DEo, & Enchridion Chronologicum. Eluxerunt in eo per omnem vitam Modestia, Mansuetudo, contemptus sui, Religiosæ disciplinæ amor, labor indefessus,

Saliani Annales Mundi.

XXIV.

XXIV. JANUARII.

Sinensem metropolim Pechinum feliciter adit P. Riccius.

1. P Matthæus Riccius, qui meritò Sinensium Apostoli elogio honorari potest, secundò adijt Pechinum, Metropolim Orientalem ejusdem Imperij, anno 1601. Cùm enim prima expeditio irrita fuisset propter bellum Sinis illatum à Japonibus, ideoq; P. Matthæus Nanchinū redire debuisset: ubi minimè sperabatur, allatum est Imperatoris mandatum, ut quantocius cum muneribus suis adesset. Inciderat enim ei ex improviso memoria supplicis libelli in prima expeditione sibi porrecti; in quo præter alia munera offerenda, horariæ machinæ fuerunt affabrè elaboratæ. Quæsivit ergo Imperator: ubi esset campana illa, quæ nemine movente, sonum ederet? Cùm Eunuchus, qui perpetuus est illius comes, respondisset: ad libellum illum nondum esse factum rescriptum regium: jussit statim rescribi, & P. Matthæum advocari. Adfuit, quàm potuit celerrimè, sumptibus regiis itinere longissimo confecto. Obtulit præter duas horarias machinas, & alia Europæa munera, imaginem valdè elegantem Christi Salvatoris. Quam ubi Imperator vidit, obstupefactus exclamavit: *DEus vivus est iste!* Et hoc nomen perpetuum mansit Imagini illi; & Patres Nostri vulgò appellabant ut *Illi, qui Regi DEum vivum obtulerunt.* His muneribus delinito rege, ut semper ad manum essent, qui horarias machinas, & clauicymbalum (quod etiam oblatum, nec unquam Sinis auditum fuerat) moderari possent, tolerati sunt Nostri primò ad tempus: deinde DEo favente, quamvis post plurimas tribulationes, permissi sunt Pechini stabile figere domicilium, cum maximo rei Christianæ, & gentis illius commodo. *Trigautius de Exped. Sinensi l. 4. c. 12.*

Horologiū conciliat ingressū in regiam.

Ex imagine Salvatoris agnoscitur DEus Vivus.

Domicilium stabile concesū P. Riccio apud Sinas.

S. Xaverius è Iaponia revertitur in Indiā.

2. S. Franciscus Xaverius, postquam annos duos cum dimidio in Japonia impendisset Evangelij prædicationi, relictis ibi quibusdam Sociorum, reversus est in Indiam, Cocinum: ut Collegia ac domos Societatis inspiceret, Missionarios ordinaret, expediretq; in varias regiones, præsertim Japoniam. *Epist. veterum, lib. 4. ep 1.*

Eodem die obierunt.

Senex Sacerdos Coadjutorum officijs fungitur

3. Forolivij in Italia anno 1608. P. Laurentius Brixianus, plenus dierum, & Sancti nomine vulgò honoratus. Cùm alijs laboribus non sufficeret grandævus, Coadjutorum temporalium munia alacris obibat, toto 15. annorum spatio ad mensam lector, & in triclinio instruendo occupatus; nunquam reus violati silentij.

A B. V. curatus, ut posset in Societatem recipi.

4. Bastoniæ in Gallia, anno 1639. P. Thomas Cornierus, Anglis pro præmio Apostolicorum laborum abiit. E tyrocinio Societatis ob gravem & incurabilem morbum dimissus, à DEipara V. curari meruit, atq; in Societatem iterum recipi: in qua, cùm strenuissimus Missionarius usq; ad annum ætatis 77. desudâsset, redeunte morbo illo,

cujus

cujus causâ è tyrocinio expeditus fuit, piè decessit, trium votorum Professus, cùm quartum oblatum vir humillimus non admisisset. *Professio 4. Votorum humiliter repudiata.*

5. Viennæ Austriæ anno 1624 P. Martinus Becanus, Belga. Celeberrimum reddidit facilis quædam in interpretando D. Thoma Aquinate, Fideiq; controversiis enodandis, perspicuitas, brevitas, & soliditas, quam religiosa modestia insigniter ornabat. Unde à Mathia Imperatore evocatus est ad Academiam Viennensem illustrandam: à Cæsare autem Ferdinando assumptus, ut sibi esset à Confessionibus, mirificè & Cæsari & aulæ, imò Nobilitati toti, etiam heterodoxæ, satisfecit: quòd nihil attingeret negotiorum politicorum. Cum externis brevia amabat colloquia; satiùs existimans, sui desiderium, quàm fastidium relinquere; & tempus lucrari, quàm fallere. Edidit plurima contra Acatholicos opuscula; quæ postea duobus Tomis comprehensa prodierunt. Celebre est ejus Controversiarum Fidei Manuale, & Compendium ejus. *Soutvellus in Bibl: Soc.* *Aulicus intaminatus.* *Sermo brevis cum externis.*

XXV. JANUARII.

1. URbanus VIII. anno 1631, Constitutionem Pauli V. reservantis summo Pontifici duo vota simplicia Professorum Societatis, post solemnem Professionem edi solita, scilicet Votum speciale de Paupertate, & aliud de non admittendis dignitatibus extra Societatem, ampliavit: ut comprehendantur etiam dignitates & officia sæcularia jurisdictionem habentia: nec quisquam, qui aliàs generalem habet facultatem dispensandi, commutandi & relaxandi Vota, possit in illis dispensare: sed solus Summus Pontifex. *Bullar. Societ: & Bullarium Commune Constit: Urbani 173. tom. 5.* *Vota paupertatis & de non admittendis dignitatibus.*

2. S. Xaverius anno 1549 Cocinô epistolam dedit in Lusitaniam ad P. Simonem Rodericium, in qua præter alia significat: sibi ratum fixumq; esse, adire Japoniam, quantumvis per plurima pericula. *Non est enim*, inquit, *alius fructus animi major in hac ærumnosa vita, quàm vivere in magnis moriendi periculis; quorum adeundorum unica & vera causa fuerit solus DEi amor; & ei gratificandi, dilatandæq; nostræ sanctæ Religionis sincerum studium. Suavius, mihi crede, homini est, in hisce laboribus versari, quàm sinè illis pacatè otioseq; vivere.* Epist: veterum, lib: 5. ep. 10. *Pericula propter Deum suscepta, jucũda.*

3. Dies hic Conversioni S. Pauli sacer, suggerit; quod contigit nostro P. Joanni Fernandez, ad concionem dicturo, & jam eunti. Adfuit enim Apostolus, & latinè illum allocutus, dixit: *Eja Joannes, esto bono animo: ambo enim hac horâ simul concionabimur.* Et visus est totâ illâ horâ præsens ei adesse in Cathedra. *Nadasi in Indice Memoriali.* *S. Paulus simul cum P. Fernandez cõcionatur.*

Eodem die obierunt.

4. In Anglia, anno 1621. P. Robertus Pechamus, Anglus, post reorum ergastula, & ærumnas, fidei causâ non semel fortiter toleratas, supremo morbo conflictatus,

Moribundus à IESV & MARIA evocatq. tus, jamq; Sacramentis procuratus, rogavit: num in Sacro, quod celebrabatur, Sacerdos jam consecrâsset? Ubi audiit consecrâsse: *Itaq;*, inquiebat, *moriendum est; vocant me IESVS & MARIA*; & placidè expiravit.

Multorum laborum felix præmium carcer. 5. Ibidem anno 1652, egregius fidei pugil, P. Joannes Wortingus, & ipse Anglus, è carcere, quem annis aliquot infractus sustinuit, in libertatem triumphantium filiorum DEI assertus est; postquam periculosissimas illas Missiones, per annos totos 46, admiranda prudentia, dexteritate & zelo obivit.

Vocatio ad Societatem per B. V. 6. Gandiæ in Hispania anno 1570, Franciscus Hernandez, Coadjutor, mortem Sanctam, certòq; prævisam & prædictam oppetiit; olim à DEIpara V. illustri Majestate conspicua, ab ovium grege, quem pascebat, ad Societatem Filii sui disertè vocatus, & Murciam ad nostros expeditus; quibus, Coadjutoribus potissimùm, insigne Religiosæ vitæ exemplar reliquit.

XXVI. JANUARII.

S. Xaverius regem Lusitaniæ fidenter admonet de morte. S. Xaverius anno 1549 dedit Cocinô epistolam ad Joannem III. Lusitaniæ regem, conquerendo de crudo agendi modo ipsius Præfectorum in India, cum Neophytis. In fine monet, ut sibi maturè consulat, ob mortem imminentem, additq; : Regna & principatus transeunt. His nova succedet, & inopinatissima facies rerum, planè qualis nè cogitatione quidem ac suspicione prima, Majestati tuæ unquam in mentem venerit. Videbis enim Te per mortem spoliatum regnis, & possessionibus ejectum cunctis, in alia longè diversa contrudi terribilia & tenebrosa regna &c. *Epist. vet. l. 5 ep. 12*

2. Congregatio VII. Generalis finita est anno 1616: in qua cum Pontifex Paulus V, ex occasione dimissi cujusdam Sacerdotis, petentis à Societate alimenta, per Cardinalem Bellarminum proposuisset; ut videret Congregatio, quid facto opus esset circa dimissos è Societate Sacerdotes, qui nec patrimonium, nec beneficium habent, unde sustententur: post seriam discussionem declaravit Congregatio *Decreto 3.*; Societatem nullatenus teneri ad præstanda hujusmodi dimissis alimenta, Tum quia Sacerdotes, qui *Societas non tenetur dimissis præstare alimenta.* dimittuntur vel propter culpam suam, vel propter importunas preces, ita sunt instructi & naturalibus & acquisitis dotibus: ut facilè sibi comparare possint beneficium, si vitam Sacerdote dignam agant: tum quia Societas magnos sumptus impendit in illos literis, & probis moribus excolendis; & eorum operâ uti non potest ipsorum vitio & voluntate; tum quia per talia alimenta sterneretur alijs via ad defectionem; tum quia Fundatores & benefactores non instituerunt Collegia aliasq; domos, ut earum proventibus alerentur dimissi, sed idonei Jesuitæ. Accedit quod universaliter Judex non teneatur alere à se damnatos, & beneficio vel alijs bonis privatos: nec præ-

ſtent ſuis dimiſſis aliæ Religiones; & Parlamentum Toloſanum, petente alimenta dimiſſo quodam Sacerdote, decidit: iniquum poſtulare. Clemens quoq; VIII, & alij Pontifices, in ſimili cauſa nihil impoſuerunt Societati. Quibus informatus Pontifex, acquievit. *Ex Decretis Congreg. Gen.*

Eodem die obierunt.

3. Oropeſæ in Hiſpania, anno 1567. P. Antonius Cordova, profunda ſolidaq; humilitate, quàm illuſtriſſimis natalibus, clarior. Illa impellente, non ſolùm regimine Collegii in Societate ſe abdicavit, & infimæ Grammatices claſſi docendæ ſe addixit: verùm & purpuræ Eccleſiaſticæ, ad quam à Carolo V. Cæſare promovebatur, ſe ſubduxit; tamque heroica contemptus ſui aſſiduè argumenta edebat: ut non minùs ſæcularibus, quàm religioſis ſtupori eſſet. Poſt mortem mirabili ſplendore circumfuſus apparuit. *Contemptus inſignis ſui & honorum.*

4. Ingolſtadii in Germania, anno 1647, Ignatius Soier, Scholaſticus, Germanus, heroica morte occubuit, cùm latè graſſante peſtifera lue, ſe in victimam obtuliſſet DEo, ut Collegium ſervaretur illæſum. Voto potita eſt tam generoſa charitas. Solus peſte ſublatus eſt Ignatius, toto Collegio ſalvo. *Pro incolumitate Collegij ſe devovet, & cadit ſcholaſtius.*

5. Quebeci in Nova Francia anno 1673. P. Hieronymus Lallement, Gallus. Quanto ardore Miſſionem Canadenſem in America expetiit; eodem ad illam ſe accinxit, impetratâ licentiâ. Eodem enim die, quo Nuncium accepit de impetrata facultate, munus Rectoris, quo fungebatur in Collegio Flexienſi, poſt laudatè gubernatum Bleſenſe, abdicavit, & feſtinatò ad mare contendit, ne fortè elaberetur occaſio tranſmittendi in Americam. Viginti, & amplius annos conſumpſit in cultura ardui illius novalis: ſolebat autem Socios in Apoſtolicis illis laboribus animare, dicendo: *Macti, ô Patres: laboremus DEO, quamdiu vivimus: quia tota æternitate quieſcemus.* Quievit tandem octogenarius Confeſſor, Martyrii laureâ, quam ardentiſſimè appetebat, reſervatâ nepoti ipſius P. Gabrieli Lallement; de quo 17 Martii. *Soutvellus in bibl. Soc.* *Miſſionis ardua cupido.* *Laborum ſolatium.*

XXVII. JANUARII.

1. ALexander VII. anno 1657 humaniſſimis literis gratias egit Sereniſſimæ Reipub: Venetæ, pro reſtituta in ditionem ſuam Societate ad inſtantiam ſuam. Ipſi verò Alexandro pro adhibita in eo negotio ſolicitudine ſummas pariter ac humillimas, ſolemni decreto, egit gratias Congregatio Generalis XI, nomine totius Societatis, cujus Sacrificia & preces pro ſua Sanctitate devotiſſimè obtulit eidem. *Decret: 26. & 33.* *Reſtitutio Societatis in ditionem Venetam per Alexand. VII.*

2. Diſceptatio decima quarta in cauſa Molinæ habita eſt coram Clemente VIII, anno 1603, in qua ad quæſtionem: An in hac propoſitione; *Nihil aliud requiritur ad donum perſeverantiæ, quàm gratia habitualis & ſufficiens*; Caſſianus & Molina conveniant? reſpondit P. Arrubal, latum & multiplex eſſe inter utrumq; diſcrimen; oſtenditq; ex Molina; ipſum, non *Donum perſeverantiæ requir*

rit gratiam efficacē, non tamen prædeterminantem. non solùm sufficientem, sed efficacem requirere gratiam ad donum perseverantiæ: non tamen gratiam physicè prædeterminantem. *Eleuther. de Auxil. lib. 5. cap. 18.*

Conversio multarū gentium in India. 3. S. Franciscus Xaverius epistolâ ad Societatem Europæam datâ anno 1545, significavit: se in regno Travancoridis recenter ampliùs, quàm decem millia unius mensis spatio, per baptismum expiâsse; ad insulam Manariam alium expedivisse Sacerdotem, qui petentibus baptismum, satisfaceret; paulò pòst autem multos ex recentibus Christianis, odio fidei interfectos esse à rege Japhanatapaniæ; in insula Ceilano principem, regni hæredem à rege interfectum esse, quod Christiana Sacra suscepisset; in regno Macazariensi tres dynastas cum subditis suis ad Christum accessisse. Deniq; affirmat, sperare se: quòd hoc anno ad centum millia Indorum, Christo sit lucraturus. *Epist. veterum, lib. 1. epist. 8.*

4. Insignem erga Missionarios nostros tesseram edidit hoc die Imperator Sinensis Camhi, anno 1700; quando rogatus à P. Joanne Gerbillon Gallo, ut facultatem & subsidium gratiosum conferret pro ædificanda nova Ecclesia, quæ esset futura tertia Pekini, & cessura in usum Patrum Missionariorum Gallorum: facilè annuit; sed convocatos Patres omnes Pekini residentes, graviter monuit; ut cùm essent filii Religionis unius, simultates omnes, ex spiritu nationali ortas deponerent. Promisit deinde munificentiam suam ad erigendam novam Ecclesiam, sed quæ non Gallorum duntaxat, aut Italorum, aut Lusitanorum esset, sed omnium è Societate JEsu. Addidit: se nostros numerare in suis, & se dispositurum de ipsis & rebus ipsorum, & prout viderit magis expedire ad obsequium suum, & commodum. Gratias humiles egerunt Patres, inclinato novies capite, lætiq; discesserunt. *Ex literis P. Kiliani Stumpf 1700, 5. Febr. Pekino datis.*

Eodem die obierunt.

Patientia stupenda. 4. Romæ, anno 1597, P. Stephanus Tuccius, affligendi sui, & dolores tolerandi studio stupendus. Somnum perbrevem super nudo assere capiebat; nec vestes unquam deposuit, nisi cùm flagris in corpus sæviendum esset. Voluntariis tormentis accessit enata illi in cervice Natta, quæ in molem capitis intumuit atque nervos, fauces & os ita contraxit: ut famem non aliter, quàm ardore calidi panis & coctarum carnium, solari posset. Premebat tamen dolores mirando silentio, optabatq; his multò majora, & ipsa Purificatorii tormenta æternum pati amore JESU. Audita ejus morte, Clemens VIII. Pont. Max. dixit: *Ergo demum mortuus est Sanctus?*

Patiendi ardor

Grammatica tradita annis 36. 5. Hispali in Hispania anno 1600, P. Hieronymus de Zara, Hispanus, virtutum religiosarum splendore illustris, maximè autem insigni humilitate & patientia, in docenda

docenda per annos 36. Grammatica, ad percipiendum in cœlo minerval promiſſum abiit.

6. Neapoli anno 1644. P. Bernardus de Ponte: cujus operantis ad aram facies, & aliàs totum corpus, viſum eſt cœleſti ſplendore circumfuſum, atq; à terra ſublime. Lauretum cùm pedes iret, & oppidò feſſus in antro quodam paulisper quieſceret, adfuit illi DEipara V. & ad ſudorem abſtergendum, byſſum porrexit. *B. V. peregrino noſtro ad ſudorem abſtergendum byſſum porrigit.*

7. In Mindanao inſula, anno 1621 heroa morte in odium fidei cecidit P. Joannes del Campo, Hiſpanus, eximia dicendi facultate, actuoſâ induſtriâ, amabili conſvetudine multiſq; animarum lucris præſtans. Templi fabricæ intentum, telis lanceisq; barbari confecêre. *Victima pro fide.*

XXVIII. JANUARII.

1. PAulus V. Pont. Max. anno 1621, munere Papali & vitâ defunctus, gratiſſimam ſui memoriam reliquit Societati: tum ob novam Inſtituti & Privilegiorum Societatis Confirmationem, Conſtitutionum Gregorij XIII. & XIV. atq; Decretorum quorundam Societatis contra perturbatores, approbationem, per Conſtitut: *Quantum Religio Societatis &c.* anno 1606. editam: tum ob Controverſias de Auxiliis Gratiæ Divinæ, inter Societatem, & Sacrum Prædicatorum Ordinem compoſitas, permiſſâ utriq; parti Sententiâ ſuâ, conceſſâq; Doctrinæ P. Ludovici Molinæ, plena indemnitate. Fuit quidem ea æmulorum quorundam præſumptio: ut non ſint veriti confingere & vulgare quandam ejuſdem Pauli V. Conſtitutionem, ſeu Decretum, quo doctrina Molinæ & Societatis damnatur, & configitur: ſed detectâ impoſturâ, declaravit Innocentius X, nullam omninò hujuſmodi Conſtitutioni eſſe fidem adhibendam; neq; eam ab alterutra parte, ſeu à quocunq; alio allegari poſſe, vel debere. Conſtitionem recitat *Eleutherius in Præfat. hiſtoriæ de Auxil. pag. 52.* *Paulus V. finit Controverſias de Auxiliis Gratiæ. Molinæ doctrina indemnis evadit.*

2. S. Xaverius anno 1545 ex India epiſtolam dedit ad S. Ignatium, petendo: ut plures operas expediat in Indiam; etiamſi ſcientiis minùs valeant, modò ſint animo reſoluto ad labores & pericula ferenda. Nonnunquam enim, inquit, DEi beneficio, ejuſdem causâ, capitis diſcrimen eſt ſubeundum, quod ſalva charitate vitari non poteſt. Sed meminiſſe debent, nos natos eſſe mortales: nihil autem optabiliùs Chriſtiano, quàm mortem oppetere pro Chriſto &c. *Epiſt. vet. lib. 1. ep. 10.* *Viris Apoſtolicis mors formidabilis non eſt.*

Eodem die obierunt.

3. Nancii in Lotharingia, anno 1643, P. Joannes Bonvetus, mortem oppetijt, qualem optavit. Per annos 25. quot hebdomadis, quantum per Eccleſiæ leges licebat, unum de V. DEipara ſacrum faciebat in eum finem; ut Sacramentis rite munitus, & nemini gravis moreretur; in quem finem etiam, pluribus ante mortem annis, quotidie *Mors nemini gravis optata & impetrata.*

tidie unam coram SS. Eucharistiæ Sacramento horam orationi impendebat. Utrumque cumulatè impetravit. Nam sacris operatus, & subita ægritudine correptus, iterumque epulo Divino refectus, intra 8. horas vivere desiit; vir semper sibi similis, nec unquam aut lætitiâ efferri, aut mœrore dejici visus.

Æquanimitas

4. In Naxo, maris Mediterranei insula, anno 1651, mense Januario, sed incerto die, heroicam animam Charitati litavit P. Franciscus Albertus, Gallus, vir insignis literaturæ virtutisq;, & Orientalium lingvarum apprimè peritus. Cùm enim epidemico malo afflatæ fœminæ Græcus Sacerdos opem ferre recusaret: P. Franciscus intrepidus adiit ægram, morientem Christianis sacris munivit, & in charitatis præmium pretiosam retulit mortem. Moribundum cœlestis lux horæ unius spatio circumfulsit: corpus exanime suavissimum sparsit odorem, animæ cœlestis tessera.

XXIX. JANUARII.

1. S. Indiarum Apostolus Xaverius ad S. Ignatium Cocinô dedit literas, anno 1552. Inscriptio est: *Meo in Christo Sancto Patri Ignatio.* Orditur epistolam sic: Verissimè Pater mi, accepi modò Malacæ, huc appellens è Japonia, literas tuæ Sanctæ Charitatis: quæ quoniam de vita & valetudine tam chari & venerabilis mihi capitis, quod optabam, docuerunt: scit DEus Dominus noster, quanta animum meum voluptate compleverint. Multas equidem in iis jucundè legi, suavitatem spirantes tuam pietatemq; sententias, quas & identidem, fructu animi mei præcipuo retracto, mente versans, & quodammodo regusto, præsertim autem illa extrema verba, quibus velut charitatis quodam sigillo, Epistolam obsignâsti: *Totus tuus, adeò ut nullo unquam tempore oblivisci tui possim, Ignatius.* Quæ ego, ut illic cum dulcissimis lacrymis legi, ita & flens hìc describo &c. *Epist. vet. lib. 5. ep. 17.*

S. Xaverij erga S. Ignatium amor & reverentia.

S. Ignatij erga S. Xaverium amor.

2. Aliam eodem die & anno dedit idem Sanctus Epistolam ad Societatem Europæam, qua prolixè agit de Japonia, & moribus ritibusq; Japonum (quos in fine epistolæ *delicias suas* appellat) atq; de laboribus suis & eorum fructu in illis terris, in quibus primus ipse Evangelium prædicavit. Quamvis verò totus in Japonum salutem effusus esset: postquam tamen didicit, Japones à Sinensibus accepisse Deos & sacra sua, & ab ipsismet Japonibus amandaretur ad Sinas, ut primùm ipsis persuaderet Evangelium suum: ingentes concepit animos eam gentem adeundi, nec priùs id conari, quàm vivere, desijt. *Epist. lib. 4. ep. 1.*

Iapones deliciæ S. Xaverij.

Sinas adire cupit.

3. In China anno 1700 iterum vocati ad Imperatorem Socij omnes Pekini residentes, cùm ad palatium accurrissent; Imperator singulis dono dedit duo volumina panni serici, & argenti uncias 50. Negavit P. Rector, se tantam suæ Majestatis munificentiam paucos ante dies expertos, posse

manum

manum extendere ad nova munera. Quod libenter audivit ille, jussit tamen oblata acceptare. Gratijs amplissimis actis, rogavit P. Rector: ut liceret hæc dona regia novæ Ecclesiæ fabricæ dedicare. Assensit pronissimus Imperator, ostenditq; id sibi fore gratissimum. *Ex literis P. Kiliani Stumpf Anno 1700 Pekino datis.*

Eodem die obierunt.

4. Bivonæ in Sicilia, anno 1619, P. Salvator Susa, egregius sui victor. Plenus morborum quàmvis esset, nihil tamen peculiare, quo foveretur, admisit. Ut se per-vinceret, exemplo S. Xaverii, fœdam saniem, ex ulcere hominis cancro laborantis, generose exsuxit; ægrumq; insigni hac sui victoriâ persanavit.

Sanies ex ulcere hausta, & æger sanatus.

5. Ingolstadii in Germania, anno 1625 pro gloriosorum laborum præmio migravit P. Jacobus Gretserus, Germanus, fortissimus pro fide Catholica athleta, hereticorum domitor & malleus, quos mirâ diligentiâ & constantiâ per omnem vitam acerrimè insectatus est plurimis & eruditissimis scriptis. Alegambe in Bibliotheca Societatis recenset ejus duodecim supra centum, partim Tomos, partim libros, & Opuscula edita in varia materia, præsertim contra heterodoxos. Scribendis tot libris, ac insuper instruendis assiduè per pagos rudibus, satis suppetebat illi temporis: quia nihil illius perdidit, verborum ac somni parcissimus. Singularem viri eruditionem par ornabat humilitas, quâ repulit cives suos, optantes ejus effigiem quam in Curia sua reservarent ad posterorum venerationem. At Gretserus non sine stomacho reposuit: tum demum illos suam habituros imaginem, si pictum in tabula asinum haberent.

Hæreticorum malleus Gretserus.
Librorum editorum copia.
Contemptus sui

6. In Mindanao, Insulâ Philippinâ, anno 1648, cruenta morte sublatus est P. Franciscus Paliola, Italus; in odium fidei gladiis lanceisq; confixus à barbaris, concitatis à quodam apostata, quem fidei & Ecclesiæ restituere nitebatur. Fidei odium etiam in Sacram supellectilem barbaros concitavit, ligneamq; Christi Crucifixi effigiem columnæ alligatam, fustibus dirè cæciderunt, prodideruntque: quæ esset furoris sui causa.

Victima pro fide.

XXX. JANUARII.

1. CLemens VIII, antea Hippolytus Aldobrandinus, Florentinus, creatus est Pontifex, anno 1592. Visus est quibusdam minùs affectus Societati, imò prosperis ejus progressibus adversari. Quæ fama cùm ad ipsum delata esset, ingenti animi sensu erupit in hæc verba: *Qui dixerit, me adversari Societati JESU, mentitur planè: semper enim existimavi, Societatem JESU esse brachium dextrum Ecclesiæ.* Ita testatur Christoph. Avendanno Carmelita, Tom. de Sanctis. Serm. de S. Ignat. & Xav. discur. 3. Et Suar. tom. 4. de Relig. lib. 1. cap. 7. Repetiit hoc elogium idem Clemens Pont. Max. quando anno 1600 Patribus ex universa Societate congregatis, pedibusq; suis affusis, contestatus est: *Amo Societatem, atq; unicè charam habeo, eamq; Dextrum Ecclesiæ brachium meritò profiteor & profitebor.* Imag. 1. Sæc.

Societas dextrum Brachiū Ecclesiæ, ex oraculo Clem. VIII.

Soc.

Soc: lib. 5. cap. 9. Eundem affectum testatus est re ipsa: quando missis ad Sigismundum Bathoreum, Transylvaniæ principem Legatis, strenuè institit: ut Societas, quam hæretici proscripserant, reciperetur iterum in Transilvaniam. *Ibid.*

Eodem die obierunt.

2. Madriti in Hispania, anno 1573, P. Antonius Araosius, S. P. N. Ignatio non minùs virtute, quàm sangvine junctus, magni nominis in Societate Provincialis, Commissarius & Assistens, ac Ecclesiastes. Cùm ad populum diceret, Angelus dicebatur; ad moribundos juvandos singulari gratiâ & industriâ valuit. A Philippo II. Rege Hisp. aulaq; tota avidissimè audiebatur. Notatus est subinde 14 horas per diem, noctemq; orationi dedisse.

Ramus aridus ex obedientia rigatus, efflorescit. Arbor obedientiæ.

3. Avenione in Gallia, anno 1633, P. Joannes Pujolus Gallus, celebris tyronum Societatis Magister. Eorum unum, Sebastianum Davin, ut in obedientia cæca exerceret, jussit: ut jacentem in horto siccum ramum tamdiu irrigaret, dum viridantibus foliis efflorescerет. Paruit Sebastianus, & DEus incrementum dedit, ramo illo, tandem germinante, atq; in ignotæ indolis arborem excrescente; quæ diu superstes, *Arbor obedientiæ* vocabatur, donec fabricæ locum ut daret, excisa est, digna, quæ in omnium religiosorum non tam hortis, quàm cordibus reflorescat.

Victima fidei in carcere.

4. Manchestriæ in Anglia, anno 1645, P. Richardus Bradlæus, Anglus, operarius navissimus, carceris, in quem fidei causa conjectus fuerat, ærumnis confectus, in libertatem triumphantium Filiorum DEI assertus est.

In patibulo.

5. Corcagiæ in Hibernia anno 1580, eandem ob causam P. Edmundus Donatus, Hibernus, post graves carceris ærumnas & cruciatus, quòd Reginam agnoscere nollet caput Ecclesiæ strangulatus, & mox excarnificatus, è patibulo prosiliit in cœlum, à capite omnis Ecclesiæ Christo coronandus.

XXXI. JANUARII.

P. Angelus Tamburinus electus in Generalem.

1. ANno 1706 felicissimis auspicijs electus est in Præpositum Generalem Societatis P. Michaël Angelus Tamburinus, etiam ante obitum P. Thyrsi, Vicarius Generalis, qui in Congregatione XIV. Generali munere Secretarij laudatissimè functus fuerat. Continuet illi favens cælum regimen, addatq; grandia meritorum incrementa.

Vota duo post Professionem edi solita, Pontifici reservata.

2. Paulus V. Pont. Max. dispensationem in duobus votis simplicibus, de Paupertate non relaxanda, & non ambienda vel admittenda dignitate extra Societatem, quæ Professi emittunt, reservavit Papæ, anno 1618. per Breve incip. *Ex incumbenti.* quod ampliavit Urbanus VIII. ut sup. 25. Januarij.

3. In India anno 1559 Societas Damani novam Sedem accepit. Oppugnaturus eam urbem Prorex Indiæ Constantinus, inter alios Religiosos comitari classem voluit P. Consalvum Silveriam, Indiæ tunc Provincialem. Præsidiarij barbari cùm exponi viderent copias Lusitanas, non expectantes con-

congressum diffugerunt. Occupata sine prælio urbe, Consalvus recta ad fanum Mahometanũ tetendit, illudq; potestate à Pontifice accepta, expiavit, & Sacrificium victori DEo sine mora obtulit; cùm præter ipsum nemo aliorũ Sacerdotum esset jejunus. Quo factum, ut Prorex Societati ædem illam adjudicaret, tanquam primò occupatam à Provinciali Silveria. Is, ut eam Sedem in Collegium paulò pòst evasuram ornaret, muniretq;: è duabus thecis reliquiarijs S. Xaverij, quæ apud ipsum erant, alteram Damanensibus Socijs obtulit, alteram Cocinensi Collegio dono misit. In hac ænea theca, reverenter aperta, repertum est aliud nihil, præter exiguas S. Thomæ Apostoli reliquias, formulam Professionis Votorum solemnium, & Nomen S. Ignatij in scheda ex epistola quadam S. Patris resecta. Hic fuit Magni Indiarum Apostoli thesaurus. *Sacchin, p. 2. hist: Soc, lib. 3. n. 111. & 120.*

Thecæ reliquiariæ S. Xaverij

Nomen S. Ignatii inter reliquias gestabat S. Xaverius.

Eodem die obierunt.

4. Romæ, anno 1615, P. Claudius Aquaviva, Quintus Soc. Præpositus Generalis, difficillimis temporibus illi tuendæ, propagandæ, & saluberrimis instructionibus atq; Epistolis dirigendæ, à DEo & DEipara datus. Rexit Societatem annis 34. inter plurimas gravissimasq; ejusdemq; impetitiones, semper animo infractus, & prudentiâ stupendus. Noctu orantem solatus est aliquando Christus: *Noli timere, quia ego tecum sum.* Archiepiscopatum Neapolitanum à Clemente VIII. sibi ingestum, constanter repudiavit. S. Philippus Nerius testatus est, à se visum multo lumine perfusum cælitus; alii inter precandum, sublimem in àëre per semihoram conspexêre. Accepto per Cardinalem Bellarminum imminentis mortis nuncio, Ambrosianum illud reposuit: *Mori non timeo, nec vivere erubesco; quia bonum Dominum habemus.* Defuncti funus incredibili dynastarum, religiosorum, populiq; concursu celebratum est.

Providentia Divina erga Societatem.

Christi favor erga Claudium Gen.

Mors sine metu.

5. Gadibus in Hisp. anno 1649, magnam animam in obsequio pestiferorum posuit P. Sancius de Mendoza, Hispanus, generis claritudine, humilitatis studio, qua multis annis in tradenda pueris Grammatica laboravit, missionibus institutis, & heroica charitate memorabilis.

Victima charitatis.

6. Eadem pretiosa morte Leodij occubuit anno 1643, Edmundus Renart Coadjutor, Belga; qui vigesies caput suum devovit obsequio peste tactorum, vigesies victor evasit, donec tandem eidem malo gloriosè succubuit.

Pestiferæ luis vigesies victor.

7. Græcii in Styria anno 1651. P. Franciscus Amicus, Italus, pro laureola cœlesti capienda evolavit; quam editis novem eruditis Tomis Theologicis, meruisse visus est. Vir, quàm eruditus & ingeniosus, tam candidus & simplex; qui præter DEum & literarum studia, ignorare cætera omnia videbatur. *Soutvell. in bibl. Soc.*

Sapientia simplex.

8. Monasterij in Germania anno 1668 P. Hermannus Busenbaum, Germanus. Post operam diligentem positam in docendis scholis Humanioribus, Philosophiâ, & Theologiâ tam Scholastica, quàm Morali, in arbitrum conscientiæ datus Celsissimo Principi & Episcopo Monasteriensi, egregiis virtutum ornamentis aulam illustravit: nec minore exemplo fructuq; Collegia gubernavit, Hildesiense, & bis Monasteriense.

Busenbaum Theol. Moralu. Sed nihil tam celebrem fecit toto orbe literario, ac edita in lucem *Medulla Theologia Moralis*, quàm exigua mole, tam grandis eruditione morali: quam vix alius quispiam tam feliciter in tantillum compendium còégit. Libri hujus pretium nihil tam disertè testari potest, ac sæpissimè in variis regionibus frequentata ejusdem reimpressio. Soutvellus in bibl. Soc. affirmat, jam tunc quinquies & quadragesies è prælo prodiisse.

I. FEBRUARII.

Expeditio prima in Brasiliam. 1. ANno 1549 facta est prima Expeditio Societatis in Brasiliam, ad gentem immaniter barbaram, & carnibus humanis assuetam. Iverunt cum Emmanuele Nobrega Socij 5, ad labores Apostolicos & mortem cruentam paratissimi. Cùm, rege Joanne mandante, urbs nova, Salvatoris dicta, conderetur: Nostri pro excitando templo DEiparæ V. Adjutrici, suis humeris aquam, ligna, cæteramq; materiam comportârunt, excalceati & seminudi, nondum ulla in eorum victum, & amictum à rege decretâ pecuniâ, adeoq; victum sæpè ostiatim corrogantes. *Paupertas & labor operariorum Evangel.* Non tamen propterea negligebant Lusitanis & barbaris spiritualem impendere operam doctrinâ & Sacramentorum administratione. Cùm è Lusitania Sacerdos appulisset idoneus, qui Parochi munere fungeretur, tam operosè constructam ædem sacram illi consignârunt; ipsi extra urbem inter barbarorum tuguria sedem sibi delegerunt, non sine magno apertoq; vitæ discrimine; *Periculorum contemptus.* totiq; incubuerunt in cicurandos barbaros. Qui antequam baptismi fierent capaces, infantes moribundos venabantur, quorum magnam copiam lustralibus aquis tinctam ad cælum expediverunt, pro parentibus futuros oratores. *Orlandinus hist. Soc: lib. 9. n. 85. & seqq.*

Institutum Societ: & Vota simplicia confirmantur. 2. Gregorius XIII. Pont. Max. Societatis Institutum, Privilegia & Constitutiones confirmavit, declaravitq;: Vota simplicia post biennium Tyrocinij emissa, veros facere Religiosos. Constitut: *Quantò fructuosiùs.* anno 1582. Pontificatûs sui undecimo. *Bullar. Soc.*

Prima Vota S. Borgiæ. 3. S. Franciscus Borgia, tum adhuc Dux Gandiæ, emisit Vota Societatis è formula, quæ servatur in Archivo Romano. *Nadasi in Indice Mem.*

Cracovia Domus Professa & Probationis inchoata. 4. Cracoviæ in Polonia anno 1583, operâ Stephani Regis, Roberti Bologneti Nuncij Apostolici, & nostri Antonij Possevini, tandem obtenta est à Societate certa, eaq; duplex Sedes. Pro domo Professa concessum illi est hoc die, probante Pontifice, templum S. Barbaræ: pro Domo Probationis templum S. Stephani, cedente, imò offerente Thoma Plaza Parocho. Academici, quanquam multùm reluctati, Possevini dexteritate mitigati, tandem etiam in Collegium consenserunt. *Sacchin. hist. Soc: p. 5. l. 3. n. 60 & seq.*

5. In

5. In Ægypto Missionarij nostri à Pontifice expediti, Joannes Bapt. Elianus, & Franciscus Saxus, anno 1584, iterum disceptârunt cum Patriarcha & Episcopis Cophtorum, qui sunt Christiani Ægyptij, sed Dioscori & Eutychetis erroribus depravati. Eò tandem illos deduxerunt: ut faterentur, Christum esse verum DEum & Hominem, duasq; in ipso esse naturas, Divinam & Humanam. Sed mox totum dissipatum est negotium, fugiente clàm Patriarcha in solitudinem. *Sach. ibid. p. 5. lib. 4. n. 45.* *In Ægypto irritum negotium conversionis.*

Eodem die obierunt.

6. In India Occidentali apud Cirupas, anno 1632, P. Julius Pasqualis, Italus, & P. Emmanuel Martinez, Lusitanus; Sagittis venenatis in odium fidei à barbaris confixi: quòd ipsos lege Christiana à brutalibus arcerent voluptatibus. Uterq; multâ virtute religiosa ad honorem Martyrii se disposuerat: P. Julium, etiam in vita, quædam miraculi speciem habentia commendârunt. *Victima pro fide.*

7. Londini in Anglia, anno 1645. P. Henricus Mors, Anglus, post carceris ærumnas triennales, & iteratas ex Anglia ejectiones, cùm nihilominus pro Apostolicis laboribus, & morte pro fide oppetenda rediisset: tandem voti reus, comprehensus, suspensus, & sectus est. Accepto mortis nuncio, exultans in DEo salutari suo, exclamavit: *Veni, mi IESV dulcissimè, ut devinctus tibi, à te nulla æternitate avellar! Venite vincula, crates, tormenta, laniena mortis, venite! IESV amore placetis.* Ita Mors mortem lacessivit, & superavit. *Patris Mors cruenta & jucunda mors.* *Desiderium patiendi.*

8. In America, anno 1619, Petrus de Vega, Coadjutor, Hispanus, qui, ut Societati esset utilior, Sexagenarius artem sutoriam didicit, & navissimè exercuit. Postquam prædixisset; se non nisi extremo vitæ die decubiturum; pro stipendio laborum abiit, prout prædixerat. *Sexagenarius artem sutoriā discit & exercet.*

9. Villaregii in Hisp. anno 1606. P. Joannes Ponce, Hispanus, ducis de Arcos filius, sed à splendore generis sui tam alienus: ut illius mentionem facere nunquam sit auditus. Unde & illa regii Vatis verba, quæ etiam fere extrema ipsi fuerunt, identidem regustabat: *Elegi abjectus esse in domo DEi mei magis, quàm habitare in tabernaculis peccatorum.* Ægros tractabat tenerrimo affectu, & exquisita accuratione, cibosq; illis ipse coquebat. Mortem suam, quam prædixerat, eo expectabat apparatu: ut Religiosus quidam, qui intererat, Abbas, diceret: nihil simile se unquam vidisse; prolixúmq; inde in concione funebri habuerit dicendi argumentum. *Humilitatis studium.*

II. FEBRUARII.

1. ANno 1621 Ostrogij in Polonia, ope DEiparæ V. & S. Ignatij à dæmone liberata est nobilis fœmina hæretica: unde tantum accessit gloriæ religioni Catholicæ, quantum dedecoris sectæ Calvinianæ. Cùm ministri ejus sectæ nihil auderent tentare, Societatis Patribus eam committendam duxerunt. Rogatus Rector Collegij, quæsivit primùm: an apud ipsos indubitatum esset, fœminam à dæmone obsessam esse? Affirmantibus illis *Energumena hæretica liberata.*

communi assensu; quòd lingvis varijs, quas nunquam didicerat, loqueretur, occulta & valde remota panderet &c: institit Rector, ut ipsi primùm Evangelium suum super ipsam recitarent, deinde Ruthenorum Schismaticorum opem implorarent, deniq; si neutri proficerent, ad se recurrerent. Sed cùm conditio non admitteretur, & preces cumularentur, voluit Rector adferri Institutionum Calvini libros, & fœminæ applicari: quos illa summa aviditate excipiebat, amplectebatur, & osculis lambebat. At ubi Rector clàm icunculam aliquam S. Ignatij libro inseruit, & fœminæ restituit: vociferari illa, ululare, & apertè fateri, non posse à se tolerari insertam imaginem. Post cumulatas preces; jejunia, & exorcismos, jussus dæmon profari, à quo pellendus esset: DEiparam V. & S. Ignatium contemptim nominavit. Ergo ipso solemni festo Purificationis Marianæ, in templo Societatis, ad aram DEiparæ & S. Ignatij, coram ingenti hominum multitudine (hæretici clàm id fieri flagitabant) exorcismi fortiùs vibrantur, DEipara & S. Ignatius ardentiùs invocantur: ac tandem impurus hospes hospitio exturbatur. Fœmina solo allisa, cùm animos resumpsisset, ejurato Calvino Catholicis accessit. *Bartoli in Vita S. Ignatij lib. 4 n. 21.*

Hæretici non audent adhibere exorcismos.

Calvini libros deosculatur dæmon.

Imaginem S. Ignatij horret.

Eodem die obierunt.

2. Limæ in America Peruana, anno 1577. P. Joannes de Zuniga, inter dulces, quos occinebat, hymnos, defunctus. Etiam in ætate non provecta, tam maturæ solidæq; virtutis erat: ut necdum Sacerdos, Limano Collegio præfuerit Rector. Eguit tamen ipse moderatore; ne in corpus suum, licet Virginitatis honore conspicuum, æquo inclementiùs sæviret. In suprema ægritudine, per dies 40, quibus æger decubuit, per omnia Urbis cœnobia pro eo in vita retinendo, variis quà precibus, quà corporis afflictationibus, fuit supplicatum non sine fructu. Mœstum de valetudine aliquantùm recreata, & morte dilata, invisit DEipara V. promisitq; ; proximo sibi festo die migraturum: & migravit.

Rector Collegij ante Sacerdotium.

Supplicatio pro sanitate Patris Zuniga.

Mœstum ob mortem dilatã solatur DEipara.

3. In missione Guincensi valde ardua, anno 1612, Apostolicis laboribus fractus P. Balthasar Bareira, Lusitanus, quievit in Domino eadem die, qua anno 1583, illustris victoriæ auctor fuit Lusitanis. In hoc viro Apostolico placuit Domino renovare exemplum Moysis, oratione profligantis Amalecitas. Cùm enim Paulus Diaz, à P. Balthasare animatus, cum 300 tantùm Lusitanis, paucis verò Æthiopum auxiliaribus manipulis, movisset contra duodecies centena Angolanorum millia; ineunte acerrimo prælio, Pater in tabernaculum se abdidit, & manibus menteq; in cœlum sublatis, pro pugnantibus ardenter orabat: factumq; est, ut ipso animum in oratione vel intendente, vel remittente, eadem esset prælii facies, nunc prævalentibus, nunc cedentibus Lusitanis. Philippus II. Rex accitum in Hispaniam P. Balthasarem, multo honore & gratiis variis, pro illarum gentium salute, cumulavit.

Oratione P. Bareiræ profligantur barbari.

4. Romæ, anno 1652, P. Hieronymus Ansaldus, Sardus, piè decessit; monitus aliquando à DEipara V. ut ne tam parcus esset, ac verecundus in petendo; sed fiden-

Non parcè petendum à Deo & Deipara.

tior deinceps plurã postularet. Inter sacrificandum visus elevari, & nube lucida circumdari, Christo cor suum aperto P. Hieronymi pectori inserente. *Christus cor suum inserit sacrificanti*

5. Valentiæ in Hispania anno 1658, cursum suum feliciter consummavit P. Hieronymus Lopez, indefessus & planè Apostolicus per universam Hispaniam, atque insulas Majoricam & Yuicam, Missionarius; quas incredibili Zelo & fructu percursabat, Jubilæi gratiam secum circumferens, & ubiq; generalium Confessionum, & solennissimi Actûs contritionis author; cooperante Domino signis & prodigiis, usq; ad mortui cujusdam suscitationem. Multa & imitanda & admiranda exhibet typis edita ejus vita. *Actus contritionis & Confessiones Generales promotæ.*

III. FEBRUARII.

1. POst partam heri à Lusitanis gloriosissimam & prodigiosam victoriam de barbaris Angolanis, seu Ambundijs, postero & sequentibus aliquot diebus conspecta est in cælo Crux ingens & lucidissima, terris Angolanorum imminens: sive ut pateret barbaris, quâ virtute prostrati essent; sive ut omen acciperent Fidei Christianæ feliciùs ibi propagandæ, Christiani, authore P. Barreira, decreverunt quotannis, recurrente die Purificatæ DEiparæ, triumphalem illam pugnam gratâ memoriâ recolere. Philippus verò II, rex Hisp. & Lusitan: edicto mandavit Prætori suo & Præfectis in terris illis: ut nihil notabilis momenti susciperent agendum, nisi consulto Barreira, tanquam Viro spiritu DEi pleno. *Sacch. p. 5. lib. 3. n. 166 & seqq.* *Crux in cœlo visa.* *Gratitudo pro victoria.*

2. In Germania cùm hesterno die, anno 1561, Trevirense Collegium DEiparam V. delegisset studiorum suorum Præsidem ac Patronam: ipsius auspicijs hodie datum est illis initium insigni celebritate, in frequenti nobilitatis, & Magistratuum corona, proludentibus compta oratione Professoribus. Præsens erat Everardus Mercurianus tunc Provincialis, cui placuit, omnium scholarum, etiam Theologiæ, lectiones simul inchoari, ad majorem Collegio conciliandam authoritatem: quod permisit in corpus Academiæ cooptari, salvis tamen legibus Societatis. *Idem p. 2. lib. 5. n. 172.* *Deipara studiorum publicorum Patrona electa.*

Eodem die obierunt.

3. In Florida, Americana regione, anno 1571, insignes pro fide victimæ, P. Ludovicus Quiros cum Joanne Bapt. Mendez, & Gabriele Solis novitiis; Sagittis perempti à quodam Caciquio Ludovico apostata, qui in Hispania simulatè baptismum susceperat, quem P. Ludovicus operosè ad Ecclesiam reducere laborabat. *Victimæ 3. pro fide.*

4. Ferrariæ in Italia anno 1607, Joannes Petrus Divitia Coadjutor jejuniis aliisq; macerationibus exesas corporis exuvias posuit, laborandi & orandi studio eximius. Horam, quæ recreationis est à mensa, cum bona superiorum gratia, ad SS. Sacramenti aram supplex transigebat, ejusdemq; ter in hebdomadam sumendi copiam habebat; nunquam accessit ad focum, vel culçitram, aut linteamina pro somno admisit, nec nisi uno cibi genere vescebatur. *Recreationis hora coram Venerabili traducta.* *Uno cibi genere contentus.*

5. Novellariæ in Italia anno 1620 Josephus Braccus, Italus, Coadjutor Temporalis. Indifferentiam ad quævis munia & obsequia quotidie petebat à DEo, dicebatque: *Sine illa Religionis Paradisum esse Infernum.* Addebat: DEi vocem in superioribus agnoscendam; eamq; per Officiales inferiores ad nos descendere tanquam per fistulas ligneas; per Rectores tanquam per argenteas; per Provinciales tanquam per fistulas aureas, per Generalem tamquàm per auream, gemmis distinctam. Omnes morbi supremi dolores animabus Purgatorii donavit, lætusq; sustinuit, quidquid sentiebat ab igne sacro, quo tota illi pellis per omne corpus exusta est.

Indifferentia necessaria.

Vox DEi per Superiores.

IV. FEBRUARII.

1. S. Indiarum Apostolus Xaverius, anno 1552, literis datis ad P. Paulum (fortè Camertem) mandavit: ut cum P. Michaële de Morales accederet Illust: Episcopum, eiq; traderet præfatum P. Michaëlem, tanquam religiosis votis à se absolutum, & ratione Ordinis Sacerdotalis Episcopo jam plenè subjectum. Franciscum Gonzalez etiam jussit, sibi res habere suas, voluitq;: ut cum dimissis nostri nullam haberent communicationem, etiam per colloquia. Adolescentem Thomam Gonzalez, admissionem ad Societatem, expetentem, amandavit ad nosocomium, ut ibi ægrotis serviret, usq; ad adventum suum. *Epist. novarum lib. 5.*

S. Xaverius duos è Societate dimittit.

Adolescentem non admittit, nisi in nosocomio probatū.

2. In India Orientali cùm ineunte anno 1560 P. Consalvus Silveria navigationem ad Cafres, immanem & perfidam Africæ gentem, instituisset: hoc die feliciter Mozambicum, Africæ regionem, tenuit. Quo erat Apostolico spiritu, nauticam turbam, & variæ conditionis homines, qui eadem vehebantur navi, ita ad pietatem instruxit: ut navis illa religiosi cœnobij formam præ se ferret. Non fœda vel impia dicta, non jurgia audiebantur. Diem auspicabantur & claudebant omnes, decantatis Cælitum Litaniis. Manè de gradibus Perfectionum DEiparæ, quos tredecim numerabat, sermonem instituebat Consalvus, jucundè dicens: quòd sicut Gubernator navis continuò intentus esset in Cynosuram, & ejus gradus; ita sibi, & cuivis pio, diligenter observandos esse gradus Excellentiarum DEiparæ, tanquam suæ Cynosuræ, seu Stellæ altioris poli. Deinde miscebantur pia colloquia, tradebatur doctrina Christiana, ministrabatur infirmis; nec quidquam omittebatur, unde aliquid spiritualis lucelli capi posset. *Sacch. p. 2. hist. Soc: lib. 4. 210.*

Expeditio ad Cafres.

Pietatis exercitia in diuturna navigatione.

Eodem die obierunt.

3. Ezyæ in Hisp. anno 1638. P. Augustinus de Espinosa. Tandem mors finem illi fecit tormentorum, quibus corpus suum dirè, ingeniosè ac irremissibiliter cruciabat. Sæcularis altioris perfectionis studiosos perscitè tractabat, suadebatq; inpri-

Mortificatio corporis rigida.

mis diligentem & conſtantem piorum librorum lectionem, eoq; medio integras familias ad egregiam virtutem deducebat. Defuncti etiam illius operâ non raró utebantur; inter quos externus quidam ipſi ante mortem confeſſus, & ante dies aliquot ſepultus, eum media nocte in cubiculo convenit, atq; ex Collegio eduxit (conſcio Rectore) in domum ſuam; ubi P. Auguſtino chartam dedit, cum nominibus creditorum, quibus in vita non ſatisfecerat; tantumq; auri addidit, quantum neceſſe erat, rogans Patrem: ut debita omnia extingveret, reſiduum in alia pia opera converteret. Poſt 8. dies rediit defunctus, & pro rebus fideliter expeditis gratias egit. Cùm oculos haberet ægerrimos P. Auguſtinus, affirmaretq; medicus fore, ut oculorum uſum planè perderet, ſi domo foras prodiret: juſſus ſubinde per occaſionem à ſuperiore, negotii quidpiam extra Collegium conficere, dixit id, quod medicus affirmârat; adjecit tamen, ſe ire paratum, ſi porrò ita vellet ſuperior. Hoc perſiſtente in ſententia, abiit ille, & cæcus domum rediit, vixitq; triennio; lætus tamen, quòd lucis & oculorum uſum ex occaſione obedientiæ amiſiſſet.

Lectio librorũ ſpiritualium utiliſſima.

Defunctus petit pro debitis à ſe relictis ſatisfieri.

Obedientia heroica cum oculorũ amiſſione.

4. Anicii in Gallia, anno 1623, P. Marcellinus Bompar, Gallus, multa magnaque virtute pretioſam mortem meritus, eandem invenit inter milites peſtifera lue laborantes, quorum animabus ſerviebat.

Victima charitatis.

5. In Valcenſi Germaniæ Reſidentia, anno 1646, P. Matthæus Cuberus, Germanus. Cùm adhuc adoleſcens graviter ægrotaret, per quietem ei DEipara V. apparuit, & *Convaleſces*, inquiebat, *fili: per te multa bona Filius meus operabitur*. Societatem ingreſſus, patrem ſuum hæreticum, & fratres germanos tres, pagoſq; integros Eccleſiæ Chriſti reſtituit vir zeloſiſſimus, & omnino talis, qualem futurum DEipara prædixerat.

Operarius inſignis.

V. FEBRUARII.

1. P. Petrus Caniſius, anno 1548, eximium heroicæ obedientiæ ſpecimen dedit. Miſſurus in Siciliam S. P. Ignatius operarios è Societate, periclitari voluit Sociorum, qui Romæ degebant, reſolutionem indifferentem ad quævis officia & loca. Scripto igitur propoſuit illis, & ſcripto à ſingulis reſponderi ſibi voluit poſt triduum per ardentem orationem conſulto Deo: 1. An omnino indifferentes eſſent, ad eundum in Siciliam, & manendum in urbe, vel ubicunq; demum vellet Superior? 2. An, ſi eundum ſit in Siciliam, parati eſſent ad tractanda ſive literaria, ſive ſervilia officia, ita: ut & docti vellent labore manuum occupari; & indocti quaſvis docere ſcientias & artes liberales, quantum in ipſis eſſet? 3. Si docendum fuerit, an parati eſſent agere, vel diſcipulos ſub quovis profeſſore, & in arte quacunq; vel magiſtros in quavis diſciplina? 4. An, quidquid injungetur, habituri ſint pro meliore & convenientiore ad DEi gloriam, ſenſum ſuum & voluntatem plenè ſubjiciendo & conformando judicio & voluntati Superioris. Ad has propoſitiones ſcripto reſpondit hac die P. Caniſius: ſe omnino indifferentem eſſe ad manendum Romæ, vel eundum in Siciliam, vel in Indiam &c. Quodſi

Obedientiam Sociorum explorat S. Ignatius.

P. Caniſii heroica reſolutio.

in

in Siciliam eundum sit, paratum se esse ad quodvis officium, sive Coqui, hortulani, ostiarij, &c. sive professoris in quacunq; disciplina, licèt sibi ignota. Votum addidit: se nullam habiturum curam commoditatum suarum, & intellectum atq; voluntatem suam plenè resignare Superiori suo. Tam liberali Canisij, & aliorum Sociorum omnium, resolutione mirè lætus S. Pater, duodecim ex diversis nationibus expedivit in Siciliam, inter quos erat Canisius; cui Rhetorica cathedra assignata est in Collegio Mamertino. Ad hanc promptissimè se dimisit ille Canisius, qui cùm Coloniæ Agrippinæ disceret Theologiam, jam sacras Literas maximo plausu explicabat in eadem Academia, universi Cleri nomine legatione fungebatur ad Cæsarem Carolum V, & contra Archiepiscopum Coloniensem Hermannum hæreticum gloriosè decertabat: ille Canisius, qui in Concilio Tridentino Bononiam translato, jam dixerat doctissimè sententiam, & à summis Ecclesiæ Præsulibus ad maximè ardua adhibebatur negotia &c. Sed his omnibus potior ei erat Obedientia. *Orland. hist. Soc: lib. 8. n. 8. & seqq.*

Rhetoricâ docere jubetur post Theologiā traditam &c.

Eodem die obierunt.

SS. tres Martyres Japones.

2. Nangasachi in Japonia, anno 1597, trias SS. Martyrum Japonum, Paulus Michi, Joannes de Goto, Jacobus Kysai. Crux illis currus triumphalis fuit, quem lanceis per latera adactis, tinxerunt purpurâ sangvinis. *Paulus*, è sorte scholasticorum, nobile genus virtute, ac prædicandi zelo atq; insigni facundia illustravit, quam & in carcere, & in ipsa cruce, miro ardore, nec sine fructu exercuit. *Joannes*, & ipse scholasticis accensendus, floridus 19 annorum adolescens, Catechistam tunc agens, patri suo præsenti, & filii martyris cruore asperso, precatoriam DEiparæ V. corollam, quâ usus fuerat, donavit. *Iacobus* è classe coadjutorum temporalium, jam annis 64, meritisq; gravis, incredibili gestiit lætitiâ, quòd se Crucis Christi participem videret; solitus aliàs ejusdem Patientis historiam in libello secum gestare, eamque quotidiè meditatè legere. Honoravit DEus mortem servorum suorum variis prodigiis; Urbanus VIII. Pontifex Max. authentica in Martyrum catalogum relatione.

Corona precatoria.

Patientis Christi historia

Victima pro fide.

3. Punicale in India Orientali, anno 1552. P. Paulus Vallius, à S. Xaverio ut *insigni perfectione & virtute vir* celebratus. Cùm pro concione diceret, à barbaris Badagis captus, atq; diuturnâ inediâ, & carceris ærumnis extinctus est.

Theologia Martinonis.

4. Burdigalæ in Gallia anno 1662. P. Joannes Martinon, Gallus, Theologus ingenio, eruditione atq; virtute excellens. Theologiam Scholasticam universam Tomis 5. editis comprehendit, & illustravit; diligens & accuratus in referendo, brevis pariterq; clarus in exponendo, acutus & prudens in discernendo. Fœtus ingenii sui, quamvis suspicerentur ab aliis, tam amabat moderatè: ut, cùm laboriosa quæpiam lucubratio intercidisset, æquissimo animo tulerit jacturam, dixeritq: : *Salva animæ salute, nihil esse, cujus detrimentum moveat hominem.* Soutvell. in bibl. Soc.

Scripta nostra moderatè amanda.

VI. FEBRUARII.

1. P. Matthæus Riccius anno 1600 feliciter reversus est Nanchinum regiam olim Sinarum urbem, populi frequentiâ & ædificiorum splendore, nulli vel in Europa, vel apud ipsos Sinas secundam; ex qua anno præterito turpiter ejectus fuerat. Cùm enim mœstus urbe excessisset, & curarum plenus in somnum incidisset: Salvator noster spectandum se illi exhibuit, ac ferè totidem verbis, sicut antè S. Ignatio, favorem protectionemq; promisit: *Ego in utraq; urbe regia* (scilicet Nanchini & Pechini) *tibi propitius ero.* Non vanum fuisse somnium docuit eventus. Reversus enim anno prædicto Nanchinum, omnia alia invenit; proceres & summos Magistratus tam pronos habuit in sua vota: ut non solùm certatim, cum amplissimis muneribus hospitem inviserent, & ad eam urbem incolendam prolixè invitarent: sed etiam domicilium ultro obtruderent; nec erat, qui advenæ negotium facesseret, quem cernebant omnes sic honorari à summis. Ergo P. Matthæus secundis utendum ventis censuit, propitioq; DEo sedem Nanchini fixit, in magnum Societatis Seminarium evasuram. *Trig aut. de Exped. in Sinas lib. 4. c. 4. & lib. 3. c. 10.*

Christus promittit, se propitium futurũ P. Riccio.

Nanchini fundatur domicilium Societatis

2. Rigæ in Livonia iterum tumultuatum est ab hæreticis anno 1586, contra nostros & Senatum. Arguebatur iste, quasi Rectori Collegii scripto promisisset Armamentarium civitatis Societati tradendum. Non defuit unus & alter testis, magis suspicionibus, quâm probationibus instructus. Rector ergo Collegij Rubenus datur in custodiam, è qua, postquam satis se purgavit, dimissus quidem est: sed postea turbis renovatis, Senatores duo torti & necati sunt; quod Collegium civitatis regi tradidissent, Jesuitis tradendum, & Cathedralem quoq; Ecclesiam promisissent. *Sacch. p. 5. hist. Soc: lib. 6. n. 29. & seqq.*

Rigenses turbæ

Eodem die obierunt.

3. Romæ, anno 1612, P. Christophorus Clavius, Germanus, sæculi sui Euclides. Correctum Calendarium Ecclesiasticum, jussu Gregorii XIII. strenuè vindicavit contra impugnatores: Quantus eminuit ingenio, eruditione, per 5. Mathematicum Tomos sparsa: tantus virtute fuit Clavius, præsertim solida humilitate, quâ neminem unquam sibi, se omnibus semper postposuit. Non minorem oculorum suorum, quàm majorum Cœli luminarium, curam habuit. Cùm aliquando per patentem cubiculi fenestram prospiciens in plateam, fortè incidisset in fœminæ conspectum: fortuitum illum oculorum errorem tam severè castigavit: ut fenestrâ solidè obseratâ, nunquam per omnem vitam prospectum in plateam sibi licere voluerit.

P. Clavius vindicat Calendarium novum.

Curiositas oculorum severè punita.

4. Punicale, in India Orientali, anno 1600, P. Henricus Henriquez, Lusitanus, pluri-

Labor diuturnus in excolendis Indis. plurimarum animarum piscatione dives, quas per annos 53 lucratus est in gemmifera illa regione, quam oram Piscariam vocant. Apostoli Commoriensium elogium decumanis laboribus meruit. Tam liquidis è cœlo voluptatibus diffluebat, quàm duris in terra calamitatibus premebatur. Sepulchrum ejus gloriosum fecerunt lampades & anathemata appensa pro beneficiis, per illum à DEO impetratis.

Virtus honorata post mortem. 5. Flexiæ in Gallia, anno 1654, P. Joannes de la Chausee, Gallus. Ad Societatem mirabili casu accitus fuit. Per licentiam antecineralium dierum cum undecim insignis nobilitatis Sociis personatus, atq; in choreas effusus, vidit tertium decimum Saltatorem repente cæteris immistum. Corripuit omnes non levis pavor, præsertim quando sequenti die malus genius inter exorcismos Joannem indigitans, inclamavit: *Calamistratus ille meus est; meus est, ni caveat. Ego hesterni timoris causa fui; ego decimum tertium Saltatorem egi.* Perculsus Joannes, ut sibi consuleret, ad Societatem se recepit, atq; in ea aliam personam, imò Christum, induit, potissimùm per heroicam patientiam.

Choreis antecineralibus miscet se Dæmon.

Maturè consulendum saluti.

VII. FEBRUARII.

1. Congregatio IV. Generalis inchoata est anno 1581, à P. Oliverio Manareo, Vicario Generali, post obitum P. Everardi Mercuriani, indicta: in qua felicissimis auspicijs electus est in Præpositum Generalem P. Claudius Aquaviva, planè necessarius temporibus illis. Ante electionem turbatum est non leviter, ob levissima quædam indicia ambitûs, quæ videbantur cadere in Vicarium Generalem Oliverium Manareum. Sed cùm hæc non probarent, & nihilominus Congregatio declarare vellet, quantopere id vitium abominaretur; decretum est: ut Oliverius officiū Vicarij retineret quidem & exerceret, cum jure suffragij activi; suffragio tamen passivo careret. Quo perlibenter ipse caruit, & jam antè ultro illo cessit, ut turbatis rebus rediret serenum. Oliverium in medium progressum, sic locutum refert Sacchinus: *Multarum, Patres, conscius equidem mihi sum culparum, propter quas non modò honore, sed ne sancta quidem hac Societate, dignum me agnosco, atq; profiteor: cæterùm cujus criminis reus agor, ab eo me abesse longissimè, testis est mihi conscientia mea, & qui intuetur corda, vivosq; ac mortuos, judicaturus est, Christus JESUS; testes, ut opinor, è vobis plurimi, qui me nôstis. Infamia tamen omni sum dignus multis nominibus; neq; eam neq; ullam pœnam recuso aut deprecor, dummodo Societatis dignitas & tranquillitas salva sit. Agite igitur, create Præpositum Generalem huic oneri parem: Ego quidquid juris per leges mihi tanquam Professo debetur, eo omni, pacis causâ, hoc ipso loco prudens, volensq; quàm optima ratione, cedo, abdicoq; me.* Re tota paulò post ad Gregorium XIII. Pontificem delata, postquam omnia, quæ contra Oliverium allata erant, scripto sibi tradita, diligenter exami-

Vicarius Gen. ambitûs accusatur.

Privatur suffragio passivo.

examinavit, Claudio jam electo Generali accito, sic pronunciavit: *Renuncia Congregationi, me causam hanc diligenter cognovisse, & scripta illa incendisse: Porrò Oliverium mihi planè bonum virum videri; istos verò Patres (qui negotium facessiverant) ultra quàm Constitutiones permitterent, longè progressos.* Sic suus honor Oliverio restitutus, & deinceps honorifica munera Provincialis & Visitatoris in varijs Provincijs demandata. *Sacch. hist. Soc. p. 5. lib. 1. n. 16. & seqq.* *A Gregorio XIII. innocens pronunciatur.*

Eodem die obierunt.

2. Punicale, in India Orientali, anno 1549, prima è Societate pro fide victima P. Antonius Criminalis, Italus, à barbaris Badagis impulsu Brachmanum, non ferentium stragem idolorum suorum, lanceis confixus incerto die; hodie tamen recolitur natalis ejus in vitam immortalem, quando natus est in mundum. A S. Xaverio, scribente ad S. Ignatium, laudatus est ut vir Sanctus, ac omnibus charissimus, talesq; plures desideravit pro Indiis. Totam Commorinensem Provinciam, quæ ipsi demandata fuit, singulis mensibus, nudipes, per ducenta, & ampliùs, passuum millia percursabat, incredibili animarum zelo impellente. Quotidie tricies, sæpe quadragies, positis humi genibus, precabatur. *Primus è Societate pro fide cæsus.* *Zelus Apostolicus.* *Oratio frequens.*

3. Albenaci, in Gallia, anno 1593, in odium fidei aliæ duæ ceciderunt hostiæ, P. Jacobus Salesius, & Guilielmus Saltamochius, Coadjutor, Gallus, uterq;. Ab hæreticis capti, longa fame sitiq; cruciati, variisq; aliis ærumnis vexati, tandem trucidati sunt. Pater Jacobus primùm sclopo trajectus, mox inter orandum pro occisoribus, ferro in pectus addacto, confossus est: Guilielmus prostratum Patrem amplexus, pugionibus necatus; cadavera per dies 6. jacuêre inhumata. Ad hanc palmam egregiè se paravit uterq;. P. Salesius, licèt variis morbis continuò obnoxius, labórabat ut valens: Ubi ubi esset, aliquem è Sociis deligebat, qui ipsum de erratis admoneret. Cubiculi januam pulsante quopiam, curvatis genibus dicebat: *Intra DEus meus, intra animam meam*. SS. Eucharistiam fere horis singulis adorabat, petebatq; copiam Martyrii à Rege Martyrum, bono JESU, cujus amor semper illi erat in corde & ore, sive prædicanti, sive familiariter colloquenti. *Victima gemina pro fide.* *Corrector defectuum.* *SS. Eucharistia fere in horas adorata.*

4. In Gallia anno 1610 P. Simon Riviere, Gallus. Quâm amicus humilitati, tam constans hostis fuit vanæ gloriæ. Ultimis septem vitæ annis ad officia Coadjutorum temporalium descendit. Etiam morienti sæpe in ore fuit: *Fugiamus vanam gloriam.* Et illud Apostoli sæpe sibi inculcari voluit: *Absit mihi gloriari, nisi in Cruce D. N. JESU Christi.* Post octiduum prædixerat sibi obitum, & obiit. *Vana gloria fugienda.*

VIII. FEBRUARII.

1. ANno 1550 creatus est Pontifex Max: Julius III, antè Joannes Maria de monte, seu Montanus, Cardinalis Prænestinus: qui ut in Tridentino Concilio, cui Sedis Apost. Legatus præsidebat, prolixè Societati faverat; sic in Pontificatu, quanti eam faceret, & verbis declaravit & rebus. Institutum Societatis à Paulo III. approbatum, sua authoritate confirmavit, & quæ in *Julius III Pontifex creatus.*

Institutum Societatis confirmat & declarat.

S. Ignatium præcepto obedientiæ jubet petere à se etiam temporalia necessaria.

Reverentia erga ipsum.

Pauli Bullâ obscuriora, variamq; admittere interpretationem, ad Ignatij mentem declaravit. Incipit Bulla, *Exposcit debitum pastoralis officij &c.* Spiritualibus gratiis temporalia subsidia liberaliter adjecit: & S. P. Ignatium spiritualia tantùm petentem pro animarum bono, præcepto Obedientiæ adstrinxit: ut in angustijs Domus Professæ Romanæ ad se fidenter & sine verecundia accederet: monuitq; unum de familiaribus suis: ut eum de Domo illa sublevanda subinde admoneret. Præfectum cubiculi suiadmonuit: ut quoties ad se se Ignatius accederet, omnes ei confestim paterent aditus; neq; sineret præ foribus morari, quàmvis aliquid negotij cum Cardinalibus haberet Pontifex. *Orland. hist. Soc: p. 1. lib. 10. & 14.*

2. Anno 1581, inchoatâ Congregatione IV. Generali, Vicarius Generalis Oliverius Manaræus cum alijs aliquot deputatis Patribus, Gregorium XIII. Pontificem Max. pro more adijt, benedictionem petiturus pro felici electione Præpositi Generalis. Pontifex exceptis paternè Patribus, magnificè in laudes Societatis excurrit, atq; inter alia: *Sanctus hic Ordo vester*, inquit, *ac verè inquam Sanctus, toto jam Orbe terrarum propagatus est; ubiq; Collegia & domicilia habetis, Regna & Provincias, & orbem totum vos regitis &c.* Quæ postrema verba paulò post iterum repetijt. *Sacchin. hist. Soc: p. 5. lib. 1. n. 13.* Nimirum Orbem regit Societas non imperio & authoritate; sed opportuna directione in spiritualibus.

Eodem die obierunt.

Victima pro fide.

3. Ozacæ in Japonia, anno 1636, P. Didacus Yuki, Japon. Pro fide totius tridui suspendium, prono in foveam capite, toleravit, certavitq; fortis usq; ad mortem, imò morte fortior. Proscriptis, Daifusamæ Imperatoris edicto, è Japonia Sociis, perstitit ipse in patria, dissimulatâ personâ, magnis pro re Christiana itineribus, magnis laboribus exantlatis per ipsos 20 annos. Nullius unquam usus est hospitio, ne ulli noceret; errabat per sylvas, è quibus opportunè prodibat ad juvandos Christianos, solis agrestibus herbis victitans.

Apostolici labores charitate, paupertate, patientia ornati.

Victima 5. pro fide.

4. In Florida, Americana regione, anno 1571, à fidei desertore aliisq; barbaris trucidati sunt, & concisi, P. Joannes Bapt. Segura Hispanus, cum 4. Sociis, Gabriele Gomez, Petro de Linares, Sanctio Savallio & Christophoro Rotundo. Sævitum in Sacram supellectilem, præsertim in Imaginem Crucifixi; ut appareret magis, quo impulsu in eam cædem exarserint homicidæ.

Agnus idem & leo.

5. Trigueri in Hispania, anno 1566, piè decessit P. Joannes Leonius, Hispanus, mortis Nuncio ea animi exultatione accepto, ut nunciantis medici manum poposcerit ad osculum. Ob suavissimam morum facilitatem Agnus dictus. Vox tamen ipsius in Sacra cathedra, vox leonis erat, ad percellendos animos. Alterius P. Joannis Leonii, Belgæ, mentionem facit Alegambe in Bibliotheca Societatis; qui ad propagandum DEiparæ V. cultum, & animos adolescentum teneriore pietate imbuendos,

dos, primus Romæ instituit anno 1563 Sodalitatem Marianam, quam deinde Parisios promovit, nunc per universæ Societatis domos & Collegia felicissimè diffusam cernimus, cum incredibili fructu, & sedis Apostolicæ approbatione. Obiit diem suum Taurini; annus & dies obitûs non exprimuntur. *Institutor Sodalitatũ Marianarum in Collegijs Soc.*

6. Pragæ in Bohemia anno 1692 P. Mathias Tanner, Bohemus, virtute, eruditione & Theologiæ laureâ clarus. Præter alia edidit insignia duo opera, *Societatem usq; ad sanguinis profusionem militantem*; & *Societatem Apostolorum imitatricem*. Utrumque Tomum elegantibus iconibus exornavit, & magna parte se ipsum expressit. *Tanneri opera de Societate.*

IX. FEBRUARII.

1. ANno 1621, post obitum Pauli V. Pont. Max. ipso die ingressûs Cardinalium in Conclave, qui erant quinquaginta duo, raro consensu creatus est Pontifex Gregorius XV, antea Alexander Ludovisius dictus, Archiepiscopus Bononiensis, & Presbyter Cardinalis *Spondanus an: 1621*. Canonizavit Sanctos Ignatium & Xaverium, concessitq; Indultum, recitandi Officium, & Missam celebrandi de B. Aloysio Gonzaga. *Bullar. Comm.* *Gregorius XV. creatur Pontifex.*

2. In Gallia anno 1565, tempore Conventûs Poisaci, in quo tractabatur de componendis gravissimis turbis inter Catholicos & dissidentes; præclaram Ecclesiæ Catholicæ navavit operam P. Jacobus Laynez Præpositus Generalis, à Pontifice illuc expeditus cum Cardinali Farnesio. Hæreticorũ ministrorum arrogantiam, præsumentium in Conventu illo Augusto sedere, cum Catholici Doctores starent, compressit; Reginam regnantem, ne interesset disputationibus inter Catholicos & hæreticos, quas non intelligebat, admonuit, & impetravit; Sacrosanctum Missæ Sacrificium egregiè declaravit; Conciones per Adventum Domini magno cum fructu habuit; Collegiorum Academicorum Rectores, Religiosorum Ordinum Superiores, Prælatos & Principes, specialiter Condæum, indefessus conveniebat, & ad tuendam Religionis integritatem animabat; ne templa hæreticis concederentur, libello Reginæ oblato zelosissimo institit; hæreticorum pertinacissimos & violentos conatus infregit; Societatem in Gallia recipi impetravit; ea deniq; gessit, quæ ab uno homine fieri posse, vix esset credibile. *Sacch. hist. Soc: p. 2, lib. 5. & 6.* *P. Laynez Præp. Gen. ingentes & fructuosi labores.*

Eodem die obierunt.

3. Romæ, anno 1645, P. Mutius Vitellescus, Italus, genere illustris, sed virtute magis, ac regimine felici universæ Societatis. Præpositorum Generalium ad admirabilitatem usq; longè suavissimus, sibi semper simillimus, ad levamentum afflictorum mirè dexter, ac perspicax agendorum. Apertæ illi semper ad quemvis audiendum aures, patientia multò majore, quàm sperari posset ab homine adeò occupato; erectus animus, & quantùm citra injuriam Instituti licebat, indulgens; honorare *Patris Mutij Gen. suavitas & æquanimitas.*

omnes illi planè congenitum: quibus dotibus mirum quantum sibi omnium corda devinxerit. Nihil mediocre in illo apparebat, sive adolescens studiis operam daret, jam tum singulari morum innocentiâ conspicuus, sive Philosophiam ac Theologiam Romæ doceret, sive pro concione diceret, Assistens Italiæ, sive Provincias, Romanam & Neapolitanam, ac deniq; Societatem totam annis 35 gubernaret. Vocationem ad Societatem quantopere æstimârit, non obscurè prodidit, solitus diem 15 Augusti, quo ingressus est, præmissa pridie in triclinio flagellatione sui, quamdiu per ætatem licuit, celebrare, eoq; die aliquem recipere in Societatem.

Gratitudo pro beneficio vocationis in Societatem.

4. Gadibus in Hisp. anno 1649, Charitatis victima insignis, cecidit P. Joannes Avellanda, Anglus, postquam pestifera lue tactis mira sedulitate servivit. Angelica illi innocentia micabat ex vultu oculisq; modestissimis. Etiam sæculares sedulò operam dabant, ut videre sacrificantem possent: tam sanctè sancta tractabat. Præter P. Joannem occubuerunt eodem anno, in eodem obsequio 17 è Societate in diversis locis. *Alegambe in Victim.*

Victima Charitatis. Modestia & pietas in sacrificando.

5. Turnone in Gallia, anno 1617, mortem oppetiit P. Gaspar Masius, Gallus, adeò non improvisam; ut rogatus, quid facturus esset, si eunti ad scholas, vel recreationem nunciaretur; post horam moriendum esse? respondit: *Se tum etiam, ex obedientiæ destinatione, ad scholas, vel recreationem, iturum.*

Ad mortem omni hora paratus

6. Compluti in Hisp. anno 1651 immaturâ morte sublatus est P. Franciscus de Oviedo religiosa pietate, & doctrinæ soliditate, quam ejus opera Philosophica & Theologica testantur, celeberrimus. Peracto enim insolita devotione divino sacrificio, ac lectione in schola tradita, regressus in cubiculum, concidit & exspiravit. *Soutvellus in bibl. Soc.*

Mors Franc. Oviedi.

X. FEBRUARII.

1. OPportunè anno 1553 in Japonia Amangucio Bungum redijt P. Balthasar Gagus, qui rem Christianam in terris illis curabat. Arma enim contra regem Bungi, Christianis apprimè faventem, corripuerant rebelles quidam Procerum. Misit ergo Gagus Joannem Fernandium, lingvæ Japonicæ peritiorem, qui regem erigeret, firmaretq; spe auxilij sibi adfuturi à DEo, quem Xaverius ipsi prædicaverat, & cujus ministros semper authoritate protexerat. Animatus rex irruit in rebelles, eosq; internecione delevit. Cùm autem domibus eorum ignis injiceretur, is ultra limites progressus, etiam innocentûm ædes corripuit, atq; inter alias domum amici, apud quem Patres supellectilem sacram & profanam deposuerant. Ea tamen discretione, moderante cælo, usum est insatiabile elementum: ut, cùm cæteras domûs partes in cinerem redegisset, solum illud cubiculum Patrum reliquerit intactum. Quæ res plurimùm valuit ad illustrandos ethnicos, & firmandos neophytos. *Orland. hist. Soc: lib. 13. n. 92. & seqq.*

Victoria præclara regis Bungi in Iapon. faventis Christianis.

Ignis parcit cubiculo Patrum in Iaponia.

2. Anno 1605 Cardinalis Perronius (Eminentissimus non solùm dignitate

gnitate sacra, sed doctrinâ, & dogmatum Ecclesiæ contra hæreticos propugnatione) epistolam dedit ad Cardinalem Bellarminum, Archiepiscopum tunc Capuanum: qua se luculenter purgavit à calumnia sibi impacta: quasi minùs æstimaret editas ab ipso Controversias Fidei, tanquam operosas in adducendis hæreticorum argumentis, sed imbelles in confutandis; dixissetq;: Futurum Ecclesiæ utilius, si controversias istas numquam imprimi permisisset. Ad quod sic respondet dictus Cardinalis: *Hæc horribilis, & ab ipso parente mendacij effusa criminatio affecit animum meum stupore inenarrabili; meq; afflixit tantò acerbiùs, quantò certior ego sum: non vocem modò, sed ne cogitationem quidem ullam esse in me hujus mendacij ream. Imò & quæ dixeram, & quæ cogitaveram antea, ubicunq; demum vixi, eò collineârunt semper: ut ostenderem à me pluris æstimari Opus Controversiarum Bellarmini: quàm opus aliud quodcunq;, quod pro Ecclesiæ defensione vel à millesimo anno in lucem prodierit.* Hæc & plura similia sapientissimus & zelosissimus Cardinalis. *Petrasancta in Vita Bellarm. lib. 2. cap. 7.* Vide infrà 12. Febr. Et sanè si authoritatem Controversiarum Bellarmini extenuaverimus: quod Opus ostendemus, quod solidius tueatur Fidei dogmata, & pejus oderunt, impugnâruntq; hæretici?

Card. Perronij judicium gravissimum de Controversiis Bellarmini editis.

Eodem die obierunt.

3. Novocomi in Italia, anno 1610, P. Carolus Carlantinus, potens Verbo, sed maximè lacrymis, cùm Sacro pœnitentiæ tribunali præsideret. Multos habuit filios lacrymarum, quibus corda obdurata molliebat, & accendebat. Fuit, quando templum adiens in foribus ejusdem offendit hominem sclopo occulto, aliisq; armis instructum, ut inimicum suum trucidaret. Sceleratâ hominis cogitatione divinitus cognitâ; *Quid tu,* inquit P. Carolus, *hic spectas miser? quid meditaris infelix? Veni sequere me, & confitere de peccatis.* Apprehensumq; manu duxit ad sacrum tribunal. Attonitus ille, ac pene mente motus, ubi animum collegit, ritè confessus, dissidium omne solvit, mundoq; nuncium remisit. Non defuit & gratia sanitatum, & potestas in spiritus malignos, ac veneficia, Servo DEi; tantusq; erat in omnium opinione: ut nobiles ac docti quidem vel de solea ejus calceamenti aliquid sibi postulârint.

Mira conversio homicidæ vindictam spirantis.

4. Vesontione, in Lothoringia, anno 1638, religiosè decessit P. Leonardus Perinus, Lotharingus, cujus Sanctimoniæ tanta fuit opinio; ut obeuntem è quadam urbe in genua procumbentes cives, quaquâ ibat, orarent; bene sibi ut precaretur. Obedientia illi ad extemporalitatem prompta, ita; ut conciones pro singulis Adventus diebus habendas, ex tempore, nulla præmissa præparatione, nihil excusans vel prætendens, susceperit: & cùm Theologiam doceret, ad docendam Rhetoricam lubens descenderit, eoq; munere per annos plures laudatè functus, iterum ad conciones, tum ad Theologiam iterum redierit.

Reverentia viri verè religiosi

Indifferentia specialis ad quodlibet munus.

5. Lugduni in Gallia, anno 1656, P. Franciscus Daix, Gallus, in conspectum

SS. Trinitatis cultus. Visitatio Ven. Euchar. Sanguinis quotidiana profusio. Erga S. Scripturas reverentia.

optatissimum divinæ Triadis, ut credere licet, evocatus est, cujus cultui erat addictissimus, uti & Ven: Eucharistiæ; quam die nocteq; frequenter visebat, & quoties ad portam accersitus erat, non prius redibat ad cubiculum, quàm illâ visitatâ & adoratâ. Cruciandi corporis sui studiosissimus, molestum sibi fore diem ajebat, quo sanguinis aliquid non libaret Christo: si Martyr esse non possit, debere se tamen passionum Christi aliquatenus esse participem. S. Scripturæ quotidie Capita aliquot perlegebat flexis genibus, & capite apertò, prophetiæ dono & aliis gratiis gratìs datis à DEO honoratus.

XI. FEBRUARII.

Medicina periti socij possunt subvenire infirmis citra adustionem & incisionem.

1. ANno 1576 Gregorius XIII. Pont. Max. concessit: ut ex Societate medicinæ periti mederi possint ægris citra adustionem & incisionem &c. Breve incip. *Unigeniti DEi Filij.* Concedit igitur: ut Religiosi præfati id absq; aliquarum censurarum, seu pœnarum incursu, & conscientiæ scrupulo valeant exercere de Superiorum suorum licentia, quibuscunq; personis infirmis, citra tamen adustionem, vel incisionem per se ipsos faciendam quando tamen medici sæculares commodè haberi non possunt. Non obstantibus quibusvis Constitutionibus, &c. *Bullar. Societ.*

Judicium Cardin. Mantuani de P. Lainio.

2. Anno 1563 Præpositus Generalis Societatis Lainius, cùm in Tridentino Concilio Theologum Principificum magno plausu ageret, ita Præsidis Concilij, Cardinalis Mantuani, sibi ac Societati cor devinxit: ut imperare sibi non potuerit, quin illum expediret Mantuam, cujus urbis erat Episcopus, ad fundandum ibi Collegium, & ordinandam diœcesim. Tridento itaq; profectus, pari celeritate ac felicitate, commissa expedivit, ad populum & sacras Virgines pios sermones habuit, rebusq; confectis, nono die Tridentum redijt. *Sacchin. hist. Soc. p. 5. lib. 7. n. 1.*

Expeditio in Africam.

3. In Africæ regionem Angolanam expediti sunt anno 1574 Socij 4. quamvis unum, antea missum, in custodia detineret rex barbarus, Patrem Franciscum Goveam. Triplex ibi hominum genus repererunt, Lusitanos, ethnicos, & advenas ex vicino regno Congi Christianos, sed qui præter nomen vix aliquid Christiani habebant. A carnibus abstinebant nunquam, inclementioris cæli obtentu: cùmq; videbant Patres in Quadragesima aliisq; diebus vetitis abstinentes, dicebant: paulò pòst scabie & elephantiasi correptum iri. Sed isti constanter Ecclesiæ præceptis morem gerentes, ac nihilominùs sani, ipso exemplo suo absurdam consuetudinem sustulêre. *Sacchin. p. 4. lib. 3. n. 191.*

Jejunium Quadrag. sanctè & salubriter observatum.

Eodem die obierunt.

4. Valentiæ in Hisp. anno 1606, P. Michaël à Fontibus, operarius strenuissimus

in Ame-

in America Peruana. Apostolicis laboribus fesso, aliquando spectandam se dedit DEipara V. (quam ille religiosissimè ac ingeniosè colebat) promisitq́; : hujusmodi labores & ærumnas illi loco purgatorii futuras, ut sine mora cœlum adire possit. Cujus promissi gratiam quavis feriâ secunda certis mortificationibus recolebat. Religiosus quidam ex sacra D. Francisci familia, singulari virtute eminens, testatus est, P. Michaëlis animam cœlos conscendentem, obviam habuisse DEiparam V. cum Apostolorum Principe, S. Joanne, & S. Ignatio, quæ suismet manibus splendidam coronam beatæ illi animæ imposuit.

Labores Apostolici liberant à Purgatorio.

B. V. Clientem suum deducit ad cœlum & coronat.

5. Namurci in Belgio, P. Joannes de Renesse, Belga, in Societatem & Animas defunctorum beneficentissimus. Placuit Divinæ Bonitati in illo adumbrare vetus illud patientiæ miraculum, Divum Job. Nam & P. Joannes incredibili fortitudine animi sustinuit, tum horrendam nobilissimæ familiæ suæ & fratris ruinam atq́; cathastrophen; tum ingentes & diuturnos morbidi corporis dolores, tum acerbissimos animi scrupulos & mortis futuriq́; judicii terrores. At sub vitæ fidem serenissima animi tranquillitate potitus, nihil magis, quàm dissolvi expetiit, obiitq́; inter ea gestientis animi argumenta: ut DEus præteritas ærumnas cumulatè ipsi compensâsse, etiam in hac vita, videretur.

Patientia fortis.

6. Ulyssiponem Lusitaniæ principem urbem cùm anno 1599 atrox pestis depopularetur, expositi sunt complures è Sociis diversarum lingvarum, qui popularibus suis, ægris & valentibus, solatio essent & auxilio. Sex illorum in ea fatali, imò triumphali, arena ceciderunt variis temporibus; hoc die P. Calixtus à Motta, vir impiger, & zelo ardens animarum.

XII. FEBRUARII.

1. ANno 1605 cùm in urbe fama iniquissima, sparsa ab invidis gloriæ Card. Bellarmini percrebuisset: quasi Card. Perronius utilius Ecclesiæ existimâsset, si Controversiæ Fidei Roberti Bellarmini in lucem non prodiissent: petiit urgentibus literis Bellarminus jam Cardinalis; ut Cardinalis de Joyeuse, intimus Card. Perronij, opportunè exquireret hac super re sententiam ipsius. Fecit Joyeuse, quod rogatus fuerat, prædictoq́; anno & die respondit Bellarmino: *Blasphemiam adeò immanem* (hoc enim nomine appellare vocem illam criminosissimam voluit) *à Card. Perronio proficisci non potuisse.* Statim enim ac hujus famæ mentionem in familiari sermone apud ipsum fecit, ita consternatum affirmavit; *ut ferè linqui animo visus sit*; nec ipse, Joyeuse, unquam viderit hominem, *vel magis perturbatum, vel indolentem gravius.* Quomodo ipse Card. Perronius se purgaverit, recole dicta 10. Februarij; & vide Petrasanctam, utriusq́; Epistolam recitantem, cum summa Controversiarum Bellarmini commendatione, *lib. 2. Vitæ Bellarmini, cap. 7.* Advertant ad hoc maximorum ac doctissimorum Ecclesiæ Prælatorum judicium, communemq́; etiam heterodoxorum sententiam

Bellarmini controversiarum æstimatio vindicata.

tentiam, moderni quidam ſcioli; quibus deſipit Bellarminus, quem vel non largiùs guſtârunt, quàm canis Nilum, vel non capiunt. Advertant ad graviſſimum judicium Card. Barronij, qui ad Ann: 53. n 32. Controverſias Bellarmini appellat *Nobiliſſimum planè opus, quod inſtar turris illius, quam David ædificavit cum propugnaculis, ex qua mille pendent clypei, & omnis armatura fortium, in Eccleſia habeatur.*

Laynii reditus Romam ex Gallia.

2. Anno 1564 Lainius, Præpoſitus Generalis, à Conventu Poiſiaco in Gallia, Religionis causâ celebrato, redijt Romam, plenus meritorum & gloriæ ibi partæ prudentiâ, eruditione, & zelo ſingulari.

Turba in Hiſpania externa & interna.

3. In Hiſpania anno 1587 magnam injecerunt ſolicitudinem Præpoſito Generali Claudio & univerſæ Societati, non ſolùm Quæſitores ſacri, qui ex levibus indicijs quoſdam noſtrorum conjecerunt in carceres: ſed etiam, & multò magis, degeneres quidam, capitoſi, & rerum novarum cupidi Socij, quorum caput Dionyſius Vaſquius, publicè criminantes tum rationem gubernationis, tum ipſum Inſtitutum. Horum ſolicitatione inducti Quæſitores, Provinciali Caſtellæ mandârunt hoc die, ſub pœna Excommunicationis, ut intra menſem, omnia Exemplaria Inſtituti, Privilegiorum & Rationis ſtudiorum, quotquot eſſent in Provincias Hiſpaniæ, ad ipſos deferrentur. Prohibuerunt inſuper; ne quiſquam ſine ipſorum licentia proficiſceretur extra Hiſpaniam. Rebus tam afflictis, recurrit poſt DEum, ad Pontificem Sixtum; quem ita benevolum invenit: ut gravibus literis ſupremum Quæſitorem, Cardinalem Quirogam, & Libros omnes reſtituere, & totam cauſam ad ſe remittere, ſub pœna Depoſitionis ab Officio & privatione Cardinalatûs juſſerit. Sic compoſitis motibus externis, etiam Domeſticis ſeditioſis injecta cura eſt, religioſius componendi mores ſuos. *Sacchin. p. 5. lib. 7. n. 80 & ſeqq.*

Eodem die obierunt.

Rector juvenis, ſed maturus. Contemptꝰ ſui inſolitus. Induſtria ſacè hominum erudiendi. Zelꝰ animarũ. Facilior ſecularium quàm ſpiritualium converſio.

4. Ulyſſipone in Luſitania, anno 1571, P. Alphonſus Nunnius Barretus, Collegii primùm Eborenſis, deinde Ulyſſiponenſis Rector, licèt 27 annos ætatis vix numeraret. In tyrocinio Societatis ardentiore ſui contemptûs ſtudio abreptus vili lacerna tectus ac nudipes, in forum Conimbricenſe prodiit, infami columnæ ſeſe alligavit, altaq; voce miſericordiam à JESU, infami columnæ adſtricto, imploravit, ſtupente Urbe. Infimam bajulorum fæcem, craſſâ divinorum inſcitiâ laborantem, ut contracta familiaritate, opportuniùs ſuaviùsq; erudiret, ſimili illis cultu corporis inſtructus, tanquam unus ex ipſis cum ipſis agebat, probeq; inſtructos ad confeſſionem adducebat. Sacerdoti obſcænâ vitâ infami, famulum ſe addixit, ut opportunis monitis eum ad ſaniorem mentem traduceret. Cùm nihil profeciſſet, converſus ad complicem mulierculam, tanto verborum pondere cum illa egit, ut ad expian-

dam

dam vitam totam, & constantem emendationem eam adduxerit.

5. Neapoli, anno 1581, P. Christophorus Rodriquez, Lusitanus, Missiones suas perarduas beato fine conclusit. Magnis itineribus laboribusq; fidei promovendæ causâ susceptis, celebris, Cayrum & Alexandriam adiit, à Pio V. ad magna quæq; adhibitus. In navali Joannis Austriaci contra Turcas expeditione, militi pugnanti medios inter hostium globos, intrepidus effigiem Crucifixi præferebat, & victoriam cruenta sui flagellatione sæpius repetitâ, conciliare studebat. Provinciæ cùm præesset, Collegia visitabat pedes, Sarcinulæ suæ bajulus, nec alio, quàm emendicato viatico usus.

Missionarius excellens.

Provincialis pauper & humilis.

6. Rigæ in Livonia, anno 1611, florens, sed in brevi consummatus, juvenis Jacobus Mlocki, Scholasticus, natione Litvanus, raptus est splendido cœli Reginæ curru. DEiparam V. præcipua veneratione prosecutus, ab eadem imminere sibi mortem celerem, didicit. In extremo morbo, valetudinarii ministro dixit: Magnos hic habemus hospites: en gloriosam Cœli Reginam splendido advectam curru, quo animas in cœlum avehere solet. In agone oculos in Crucifixum, digitum in abducturam se DEiparam intendens, feliciter ut credere licet, avectus est.

B. V. clientes suos cœlo invehit.

XIII. FEBRUARII.

1. ANno 1557 Andreas Oviedus, è Societate assumptus ad Episcopatum, ac deinde Patriarcharum Æthiopiæ, cùm feliciter appulsus esset cum Patriarcha Joanne Nunnio Barreto, Goam in India: relicto ibi Patriarcha, solvit hoc die in Æthiopiam, ut exploraret animũ Claudij Imperatoris; quantum propendeat ad suscipiendum Patriarcham legitimum, & ad unionem cum Ecclesia Romana. Non obscura enim dederat ejus propensionis argumenta: quibus permotus rex Lusitaniæ, impetravit à Summo Pontifice consecrationem, & missionem in Æthiopiam, unius Patriarchæ, & duorum Episcoporũ è Societate. S. etiam P. Ignatius ad dictum Imp. Claudium zelosissimas dedit literas (quas recitat Orlandinus p. 1. hist. Soc. lib. 15. n. 105 & seq.) quibus ei commendabat dictam Unionem, & Prælatos ab Apostolica Sede expeditos. Sed homo perfidus, ubi rem seriò agi vidit; & Patriarcham non admisit, & Episcopum Oviedum, quantocius excedere regno jussit. Perstitit ille tamen: & paulò pòst vidit Claudium malè pereuntem cum exercitu profligato à Mahometanis anno 1559. *Soutvell. in Bibliotb. Soc. sub Nomine Andreæ Oviedi.*

Patriarcha Æthiopiæ & Episcopi è Societate.

S. Ignatij literæ ad Imperatorem Æthiopiæ.

Hæretici & Schismatici Orientales perfidi.

Eodem die obierunt.

2. Neapoli, anno 1585, P. Alphonsus Salmeron, Hispanus, unus è decem primis fundamentalibus Societatis lapidibus. Missionibus compluribus & gravissimis à Summis Pontificibus fuit applicatus. A Paulo III. in Hiberniam expeditus, cum Nuncii Apostolici potestate; à Paulo IV. in Belgium & Poloniam; ter ad Concilium Tridentinum ut Theologus Pontificius; ubi summi ingenii & incredibilis eruditio-

P. Alphonsus Salmeron Missionarius Apostolicus, & Theologus.

nis specimen dedit. Coram Pio V in verno jejunio, jussus conciones habuit magna cum satisfactione. Collegium & Provinciam Neapolitanam fundavit, primus rexit, & gliscentes ibi Lutheri errores scriptis & concionibus compressit. Eruditionem suam sacram, per XVI Tomos in Evangelia, & reliquum Testamentum novum, diffudit, typis sæpiùs repetitis, obiitq; magno amplissimæ civitatis mœrore, vir pari eminens pietate, zelo, & sapientiâ.

Eruditio ejus summa in concilio Trident. & editis 16. Tomis.

Festinandum in via perfectionis.

Operarius in defessus.

Incommodorũ tolerantia.

3. Collegio Theatino in Italia, anno 1626, ereptus est morte maturè prævisa, P. Ignatius de Juliis. Biduo ante supremum morbum, coram Ven: Eucharistia ardentiùs oranti allapsa est clara vox: *Festina Ignati. festina: quoniam perpauci tibi supersunt dies.* Dum valeret tot unus obibat officia; quot, illo defuncto, tribus gravandis Sacerdotibus sufficiebant. Singulari pollebat industria ad disponendos moribundos: ut passim, etiam illi, qui aliàs alieno à Societate animo erant, P Ignatii operam pro illo articulo expeterent. Ad ignem nulla illum hyemis sævitia, ad frigidæ levamentum nullus æstatis ardor, ad lectulum nulla corporis lassitudo compellere potuit.

Sitis diu tolerata.

4. Vallisoleti in Hisp. anno 1585, Sancius de Ausa, Novitius, Hispanus. In diuturno 80 dierum morbo, cùm ingenti siti æstuaret, atq; ad manum semper haberet frigidam; nunquam eâ linguam refrigeravit, ardorem sitis Christo in cruce sitienti offerens. Biduo ante mortem Salvator ei apparuit, qualis in cruce sitibundus pependerat: cui Sancius, *Domine mi, sumne inter electos tuos?* Affirmante Domino, subdidit ille: *Domine accipiesne me tecum?* Tum Christus; *Ita fili, accipiam te mecum.* Sic Sancius post longam sitim abiit ad torrentem voluptatis æternæ.

XIV. FEBRUARII.

Iter Apostolicũ.

Donum linguarum in S. Xaverio.

Vaticiniũ duplex.

1. ANno 1546 S. Xaverius Malacâ discedens in Amboinum, seu Molucas insulas, hodie in earum conspectum venit, postquam turbam nauticam, idolis addictam, ad Christum convertit, & baptismo expiavit. Erant nimirum sermones, quos ad ipsos habebat, miraculo armati. Cùm enim essent lingvarum diversarum, omnes ipsum suo sermone loquentem audiebant; vel si Lusitano sermone uteretur, omnes ipsum intelligebant, acsi patrio ipsorum sermone loqueretur. Duplex eo in itinere edidit vaticinium; & de Molucis insulis altero die in conspectum venturis; & de securitate à piratis. In scapham enim majoris navigij dimisso Xaverio, ut in Amboinum exscenderet (nam navis in Bandam insulam pergebat) apparuerunt duo prædatoria navigia, quæ in scapham plenis velis involabant. Sed repentè valido vento exorto in altum rejecta est, piratæ verò extra conspectum abacti. Cùm nihilominùs timeretur, ne piratæ per insidias navim invaderent: securos esse jussit vectores Xaverius; nihil mali eventurum asseverans. Et verò feliciter commodeq; Amboinum tenuerunt. *Bartoli in Vita lib. 2. n. 10.*

Eodem die obierunt.

2. Lovanii in Belgio, anno 1589. P. Joannes Hamelius, Belga, inter prima Bel-

gii lumina sua ætate habitus, Collega P. Lessii in Theologia tradenda. Peste contracta à moribundo, quem disponebat ad supremam luctam, sublatus est. Angeli apparitione primùm recreatus. Eodem anno Barcinonæ in Hispania sex è nostris occubuerunt in eodem pestiferorum obsequio: Vilnæ in Litvania duo. *Victima charitatis.*

3. In Zebu, insula Philippina, anno 1627, Gaspar de Garay, Coadjutor, Hispanus, svavissima morte defunctus est, post vitam asperrimè actam. Singulis hebdomadis ter inediâ se macerabat; nullum diem sine linea cruenta, per acrem flagellationem, elabi patiebatur; nullus, ne in supremo quidem morbo, culcitræ aut lineæ supellectilis, usus, quàmvis in sæculo insignem inter varias commoditates egerit navarchum. Extremis 12 vitæ annis captus oculorum luce, quidquid in templo sacrificiorum erat, devotissimè audiebat. *Mortificatio constans.*

4. Coloniæ Agrippinæ anno 1656 P. Hermannus Baving, Germanus. Cùm provinciam gubernaret Rheni inferioris, & aliàs, Magistros impensè hortabatur: ut inter discipulos, S. Angeli Custodis cultum studiosè promoverent. Ipse & moribus & vultu, & perpetua animi serenitate Angelum egregiè repræsentabat. Ter quotidie, ut minimùm, Coronam DEiparæ V. recitabat: Litanias verò ejusdem toties, quoties vel minima ei dabatur temporis non occupati aliis negotiis particula. *Angeli Cust. cultus.* *DEip. V. cultus.*

XV. FEBRUARII.

1. ANdreas Oviedus, Episcopus Hieropolitanus è Societate JEsu, anno 1557 Goâ solvit in Æthiopiam: ut res & ingenia Æthiopiæ exploraret, & Patriarchæ Joanni Nunnio Barreto, accessum sterneret ad Imperatorem illius gentis. Socios secum duxit quinq;. Ut Baroam attigit, quod est oppidum imperij Abassyni, subjectum Principi Isaaco Barnagazio: is obviàm egressus, perhumaniter & magno honore excepit Episcopum. Populi verò ea fuit gratulatio, isq; ad manus ei deosculandas concursus, ut inde velut è secundo hospitio præcipere liceret lætum totius rei eventum. Permultis ibi ministrata Sacramenta Baptismi & Confirmationis, & sancta Dominicæ Passionis hebdomada solemnissimè celebrata. Reassumpto itinere, cùm octiduum processum esset, vir primarius regis jussu cum jumentis occurrit ad deferenda Episcopi & comitum impedimenta. Cùm verò unius tantùm diei itinere abesset à castris regiis (in castris enim passim rex habitat non in urbe) misso nuncio vetiti sunt ulterius procedere, donec rex ipse advocaret. Post triduum, feriâ tertiâ Pentecostes, advocavit, rursusq; ad ictum sclopeti jussit subsistere, eodemq; loco figere tentoria: quæ Lusitani Comites Episcopi eleganti specie fixerunt. Altero die multi ex aula nobiles & regis cognati adfuêre, deducturi Episcopum ad regium tentorium. Ibi post multam moram cùm datus esset accessus ad regem, seu Imperatorem Abassynorum Claudium: Episcopus eidem reverenter tradidit literas Patriarchæ, atq; Indiæ *Expeditio in Æthiopiam Episcopi Oviedi.* *Ritus excipiendi hospites.*

diæ Proregis. Accepit eas amicè; non ita tamen, quin aversum à Religione orthodoxa proderet animum, sectæ Dioscori cum tota gente addictus. Institit Episcopus: ut conventum suorum Doctorum cogeret, in quo de rebus fidei ageretur. Coactus sine mora, sed hominum quàm obesi cerebri, tam pertinacium in errore suo. Rex ipse præstabat omnibus, & ingenio & rerum fidei peritiâ: ipse, quæ alicujus momenti erant, objiciebat; ipse à nostris objecta, quæ poterat, solvere nitebatur. Quæ dum geruntur, adest nuncius, Turcas in Abassiam validis copiis irrupisse. Sic Religionis curâ dissolutâ, solicitudo omnis ad bellum gerendum est translata. Patriarcha interim Nunnius Goæ expectabat solicitus legationis eventum, & Indis curandis incumbebat. *Sacch. hist. Soc. p. 2, lib. 1. n. 140, & seqq.*

Legatio & spes dissipata.

Eodem die obierunt.

Fratres 5. in Societate. *Vocatio in Indiam.*

2. Salmanticæ in Hisp. anno 1599. P. Josephus à Costa, Hispanus. Quintus fuit è quinq; fratribus, qui Societati nomen dederunt, cæteris minor ætate non ingenio & virtute. Tradendis lectionibus Theologicis intento spectabilem se dedit Angelus, cubiculum ingressus, ac manu incensam facem gestans. *Sic*, ajebat, *tu in Indijs resplendebis.* P. Josephus hac face accensus, dum se totum offert DEO in holocaustum, ecce adsunt S. Borgiæ, tunc Præpositi Generalis literæ, quibus in Indiam destinabatur. Ivit, atq; in India occidentali talem tantumq; egit in scholis, in concionali pulpito, in scribendis libris, in consiliis, in provinciis gubernandis; qualem quantumq; summi quiq;, in India & Hispania (ad quam revocatus fuit) suspexerunt, & mirati sunt.

Novæ vestis obsequiis culinaribus initiata.

3. Parisiis, anno 1626, P. Antonius Sucquet, Belga, cùm Româ in provinciam rediret, vitæ mortalis terminum invenit; vir à Collegiorum, domûs Probationis, & Provinciæ totius, prudenti gubernatione, modestiâ, mirâq; pietate laudatus. Paupertatis amantissimo si nova vestis obtruderetur, ad illam humilitate sive expiandam, sive consecrandam potiùs, quàm primùm ad culinam descendebat, atq; ollis purgandis operam dabat.

Victimæ duæ pro fide.

4. Rubeaci in Alsatia, anno 1634. P. Jacobus Mayering, & Andreas Martini, Coadjutor, Germani ambo, è templo extracti ab hæreticis, sclopis trajecti, & ferro trucidati, in odium fidei, gloriosè occubuerunt.

XVI. FEBRUARII.

Obsequia humilia aptissima ad Conversionem animarum.

1. MAgnus Indiarum Apostolus Xaverius, anno 1546 Amboinum, seu Moluccas, celebres insulas ob aromatum copiam, attigit, non absterritus amicorum terroribus & incolarum ferina barbarie. Quam ut cicuraret, non tam verbis, quàm charitatis operibus agendum putavit. Ipse igitur ægrotos invisere, solari, fovere; pauperes pascere, vitâ functos sepelire, valentes docere, & omnibus omnia fieri; præsertim ijs, qui ob irruptionem barbarorum ex insula Mauro, in montium speluncas se receperant.

His

His ardentis charitatis carbonibus non poterant non incalescere cruda capita, & dissolvi rigentia corda. Proinde & se dociles exhibebant, & infantes ad fontem lustralem prompti ferebant. *Bartoli in Vita lib. 2. n. 12.*

2. Coram Clemente VIII. habita est anno 1604 disceptatio 25 de Molinæ doctrina; quæsitumq; fuit: *An sit de expressa sententia S. Augustini, aut saltem de ejus mente, vel potiùs contra ipsius doctrinam; quòd dum sumus in vita, in manu liberi arbitrij posita sit nostra salus; per nosq; ipsos stet, quòd ad DEum non convertamur?* Responsioni præmisit noster Bastida suppositionem: quòd per illas particulas, *in manu liberi arbitrij*, idem significetur, ac *esse in ejus potestate*: prout ad illa verba Eccl. 15. *Constituit illum in manu consilij sui*, Glossa ordinaria & Patres communiter exponunt. Deinde respondit: Quòd, *dum sumus in via, semper in manu liberi arbitrij sit posita nostra salus; ac per nos stet, quòd ad DEum non convertamur*; Sententia sit expressa S. Augustini. Demonstravit hoc prolixè testimonijs S. Augustini, imò & aliorum Patrum: vindicavitq; Molinam ab impostura. *Eleuther. hist. de Auxil. lib. 5. cap. 29.*

In manu hominis est salus ipsius juxta Augustinum.

Eodem die obierunt.

3. Vallisoleti in Hisp. anno 1624. P. Ludovicus de Ponte; Hispanus, clarum inter ascetas recentiores nomen. Post obitum visus fuit Doctoris laureolâ ornatus propter pias, copiosas, solidasq; lucubrationes suas: vivens conspectus est sæpe, toto corpore radiis coruscare, aut globus igneus orantis capiti imminere. Crudior cùm esset in corpus suum, illudq; duris crebrisq; verberibus laceraret, habuit aliquando Angelos medicos, qui vulnera curabant blandioribus fomentis. Noctes sæpe totas coram Ven: Eucharistia pervigil ducebat, quam de die frequentissimè visebat, tanta divinæ lucis copiâ perfusus: ut aliquando inambulans, & velut fatiscens, ingeminaret: *Satis est; Domine, luminis; satis est. Non plus, Domine. Sufficit.* Voti religione se obligavit, extremis ante mortem 20 annis, de non admittendo deliberatè ullo peccato veniali: quod ab illo integrè servatum esse, eximia viri Sanctitas, & singulares gratiæ cœlitus acceptæ probant.

P. Ludovicus de Ponte Asceta celebris.
Doctoris laureâ visus in cœlo coronatus
Angeli curant vulnera ejus ex flagellatione.
Luminis divini copia.
Votum de non committendo peccato Veniali

4. Cracoviæ in Polonia, anno 1612, P. Gaspar Petkoroski, Polonus, quievit ab ea laborum assiduitate & contentione: ut annuæ literæ eum appellent Virum infinitorum laborum; cibi tamen tam modici, ut omisso inter labores prandio, vulgari cœna contentus esset. Cracoviensi Episcopo à Sacris Confessionibus cùm esset, ita aulæ adhæsit, ut ab ejus fumis nihil candori ejus decederet, nihil accederet vanitatis aut laxamenti, meritus passim *Sancti* cognomen.

Labor multus, cibus modicus & obvius.
Ex aula nihil damni.

5. Montilii in Gallia, anno 1630, pretiosa charitatis victima cecidit P. Ludovicus Bouillet, Gallus, mirè lætus, quod in Societate & in obsequio peste tactorum occumberet. Socios habuit in simili obsequio & morte viginti duos per varias Galliæ civitates. *Ex Tann.*

Victima charitatis 23.

XVII. FEBRUARII.

Non solùm Essentialia instituti Societatis, sed etiam alia ad ipsum pertinentia, revelata S. Ignatio

1. S. P. Ignatius, anno 1555, confidenter retulit P. Ludovico Consalvo, tunc Ministro Domûs Professæ Romanæ, Romam misso à Joanne III. rege Lusitaniæ; ut omnia dicta factaq; Ignatij curiosè observaret, atq; ad se perscriberet: retulit, inquam; Non solùm Essentialia Instituti Societatis, sed etiam multa alia ad ipsam pertinentia, in una magna illustratione intellectûs à Domino nostro sibi esse manifestata Manresæ scilicet primo anno conversionis suæ. Idem affirmabat P. Hieronymus Natalis, scriptumq; reliquit: quòd *S. Ignatius, cùm de Instituto rogaretur, solebat causam referre ad eximiam illustrationem, quam illi DEus gratificatus est Manresæ, quâ illa omnia accepisset à Domino, in spiritu quodam Architectonico.* Utebatur autem S. Pater valde familiariter Patre Natali, eumq; misit per Provincias, ut Institutum & Regulas promulgaret ac explicaret. *Lancic. tom. 2. Opusc. 1. cap. 1.* ubi multa de hac materia congerit.

Revelatio facta S. Borgiæ de salvandis, qui in Societate moriuntur.

2. Anno 1616, hac die, retulit eidem P. Nicolao Lancicio P. Ferdinandus de Pontze, tunc Provincialis Boeticæ Provinciæ (cùm convenissent ad VII. Congregationem Generalem pro eligendo Præposito Generali) veram esse relationem de revelatione facta S. Francisco Borgiæ: *quòd primus aliquot centenis annis, prout Ordini S. Benedicti concessum fertur, nemo sit damnandus, qui in Societate morietur.* Cùm enim Frater Michaël Marcus, post Meditationem matutinam prædictum S. Borgiam de more accessisset, invenit insolitâ lætitia gestientem, cujus causam rogatus, non aliud prodidit, quàm *O si scires Marce, ô si scires, quantopere DEus amet Nostram Societatem!* His illectus Marcus, institit ardentiùs, ut secretum resciret; cùmq; urgeret importuniùs: aperuit Sanctus Privilegium illud, de quo dictum, Societati concessum. Hoc retulit ipse Marcus Barcinone P. Vincentio Madresio, qui id ipsum communicavit præfato Patri Pontze; iste autem P. Lancicio. *Ita idem Lancic. tom. 2. Opusc. 17. lib. 2. cap. 1.* ubi plura de hac materia videri possunt.

P. Molinæ doctrina diversissima à Cassiano.

3. Coram Clemente VIII. habita est anno 1603 disceptatio XV. de Molinæ Doctrina, quam longè diversam esse à doctrina Cassiani, demonstravit P. Arrubal. *Eleuther. hist. de Auxil. lib. 5. cap. 19.*

Eodem die obierunt.

IEsus parvulus cruce sua erigit prostratum.

4. Manilæ in Philippinis, anno 1605, P. Hieronymus de Prado, vir sereni semper, & DEo intenti animi. Cùm in itinere pedestri lassus, & gravi periculosoq; lapsu, prostratus esset, parvulum JEsum (cujus infantiæ addictus erat cultu tenerrimo) cruce onustum spectabilem habuit: valuitq; non solùm ad roborandum virum, sed etiam ingredi-

credibili voluptate perfundendum. Aliàs vidit S. Franciſcum Seraphicum, urbem Manilam contra Chinenſium incurſionem, defendentem. Humilitatis ſtudio, & S. Auguſtini exemplo, non erubuit: peccata ſua ſcripto conſignata publicare. *Confeſſio publica delictorum.*

5. Ibidem anno 1615, Paulus Rioin, Coadjutor, Japon, fidei zelator magnus & facundus, à Cuboſama Imperatore Japoniâ ejectus, atq; navigationis ærumnis confectus, in portum cæleſtis patriæ ſe ſe recepit. *Ejectus à patria pro fide, appellit in cælum.*

6. Pultoviæ in Polonia, anno 1611, P Georgius Skarſinski, Polonus, operarius indefeſſus, repentina ſed felici morte deceſſit in actu charitatis. A præſide Collegii miſſus ad infirmum, corpore & animo bene ſanus, cùm ad excipiendam ægri confeſſionem ſe accingeret, repente queri cœpit de ſuborto dolore capitis: quod cùm in ſinum aſſidentis ſocii reclinâſſet, ſuaviter exſpiravit; implevitq; illud Sap. 4. *Iuſtus, ſi morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit.* *Mors ſuavis in obſequio Charitatis.*

XVIII. FEBRUARII.

1. NAtalis Collegij Romani, Capitis & normæ omnium Collegiorum per univerſam Societatem: quando conductis à S. Ignatio anguſtis ædibus ad radices Capitolij, Socij 13 ſub Rectore Joanne Pelletario, Gallo, ex Domo Profeſſa expediti ſunt anno 1551, ad aperiendas ibi Scholas. Verùm creſcente mox numero tum diſcipulorum, tum Noſtrorum, ex illis anguſtiis translatum paulò poſt eſt Collegium in ampliorem Domum Marij Capoccij Nobilis Romani: ubi quinquennium cùm ſubſtitiſſet; multitudine Auditorum urgente, migrandum fuit in ampliſſimam Domum Joannis Bapt. Salviati, anno 1556, quo ad Collegium Beatorum translatus eſt S. Ignatius. Ibi demum ſtabilitum eſt, & in eam, quæ hodie ſpectatur, formam redactum munificentiâ Gregorij XIII. Pont. Max. *Soutvellus in Biblioth. Soc.*

2. In Luſitania obtinuit tandem anno 1616 à Philippo III. Hiſpaniarum & Luſitaniæ rege, P. Franciſcus Suarez, ferias à laboribus Scholaſticis in Academia Conimbricenſi exantlatis, pridem deſideratas & expetitas, ob valetudinem debilem, & ætatem provectam; ſed quam ipſi gratas, tam ingratas & mœſtas toti Academiæ, apud quam per annos 20, prælectionibus & lucubrationibus ſuis, ſummam authoritatem, amoremq; ſummum comparaverat. Liberà ſcholis, optabat liber eſſe etiam à libris ſcribendis, adeoq; contemplationi, & ſolidæ ad mortem præparationi vacare. Sed cùm ea de re & DEi, per Exercitia ſpiritualia, & Superiorum mentem exploraret: juſſus eſt etiam extremas vires eidem labori impendere pro DEi gloria, & Eccleſiæ bono: quòd fideliſſimè præſtitit. *Maſſejus in Vita cap. 17.* *P. Franc: Suarez liberatur à lectionibus Theologicis.* *Non à libris ſcribendis.*

3. Anno 154 valida Sociorum manus, duo ſupra quadraginta, è Luſitania ſolvit in Indiam, cum P. Valignano Viſitatore, diſtributi in quinq; *Expeditio in Indiam Sociorum 42.*

naves. Non solùm viaticum, sed etiam pro novis domicilijs in India erigendis sumptum, liberaliter suppeditavit Sebastianus Rex. Mozambicum cùm feliciter pervenissent, aucti sunt duobus Socijs, qui in regnum Monomotapæ destinati fuerant, sed penetrare non poterant. Goam appulsi sunt omnes rara felicitate, & opportunissimè. Valde enim per mortem complurium exhausta fuit ea Provincia, & specialiter Collegium Goanum; quod in annum jam quartum infesti affligebant morbi, extinctis præstantibus viris 58: ex recentibus etiam advectis operarijs jam quatuor occubuerant. Valignanus ad impetrandum cælitus tanto malo remedium conversus, gravi oratione de quatuor potissimùm capitibus corrigendis admonuit Socios, si fortè irrepsissent. 1. Quisq; in se inquirat, & discutiat affectum suum erga alias Religiosas familias; ne fortè sinistri aliquid lateat, aut proditum sit. 2. An sit aliquis excessus in præsumenda nimia authoritate, quasi à nobis vel solis, vel præcipuè, pendeat conversio & salus illarum gentium? 3. An non sit aliquis defectus charitatis inter domesticos, sive æquales sive Superiores? 4. An adhibeantur debita media ad conversionem illarum gentium; an magis sint addicti Lusitanis, quàm Indis &c.? Qua mente hæc proposita sunt à Visitatore, eâdem accepta fuisse à Socijs, patuit ex morbis citò abactis, & reddita sanitate. *Sacchin. p. 4. lib. 2. n. 93. & seqq.*

Morbi & funera à Collegio Goano abacta.

Eodem die obierunt.

Iaponiæ Episcopus ex eleemosynis vivit.

4. In mari Malacensi Indiæ Orientalis, anno 1598, P. Petrus Martinez, Lusitanus, Japoniæ Episcopus. Cùm adhuc degeret inter Socios, cum rege Sebastiano profectus est in Africam. Exercitu deleto, & rege amisso, duram servitutem serviit captus P. Petrus. Naufragio quoq; afflictus, tandem Pontificis jussu, consecratus est Japoniæ Antistes. Vineam suam feliciter adiit, naviterq; excoluit. Inter assiduos labores Evangelicos ex eleemosynis victitabat, semperq; spem inter & metum fluctuabat, donec tempestate concitata graviore in Christianos, à tyranno relegatus, navigationis incommodis oppressus est. Præsul heroica virtute eximius, nec minùs animi demissione constanti, quàm Ecclesiastica dignitate eminens.

Ejectus è Iaponia moritur in mari.

Crucifixi effigies amplexatur ægrum.

Sacrificium in cilicio.

Examen particulare.

5. Bracharæ in Lusitania, anno 1615, P. Joannes Cardim. Morientis ori ad osculum admota Crucifixi effigies, revulsis à cruce manibus, visa est ægrum amplexari. Nunquam nisi cilicio aceinctus introibat ad altare DEi. Examinis particularis libellum gestabat de collo, cum formula votorum suo sangvine exarata. Cibo ita utebatur, ut censeretur totâ hebdomadâ jejunare. Mortui cadaver, septimo pòst anno, odore fragrans repertum; & patrata non obscura miracula, de quibus tabulæ rite sunt confectæ.

Necis suæ authores non prodit P. Ferdinandius.

6. Eboræ in Lusitania, anno 1555, P. Emmanueli Fernandio, Afro, Apostolicam animam eliserunt impuri quidam scortatores, propter scortum ab ipsorum amoribus ad frugem conversum. Deprehensum in itinere tam dirè contuderunt, ut mortem

tem paulò poſt oppeteret. Relatum in urbem Henricus Cardinalis inviſit, mortuum urbs tota flevit, & ſolemnibus exequiis honoravit. Adduci non potuit P. Emmanuel, ut proderet Sicarios: ſed ultro prodidit ſe, & rem totam unus illorum, qui gravi ſermone Patris, inter verbera ad pœnitentiam hortantis, commotus, dilapſis ſociis, apud jacentem ſemianimem peccata fuerat confeſſus. In componendis diſſidentibus ea erat induſtria & felicitate ſingulari: ut aliquando una die quinquagenos, inter ſe & cum DEO reconciliârit. Sermo concionantis ardebat ut facula, quem accendebat Divino Sangvine ſumpto in Miſſa, quam Concioni præmittere ſolebat.

Felicitas in reconciliãdis diſſidentibus.

Miſſa concioni præmiſſa.

7. Hiſpali, anno 1673, piiſſimè deceſſit P. Franciſcus de Sylva, Hiſpanus, ſingulari Spirituum diſcretione, & conſcientias tranquillandi arte præditus, licet ipſe magnis timoribus & angoribus exerceretur: in concionibus admirabili energiâ verborum, planè regem animorum agebat, nunquam ad ſatietatem auditus, multoties viſus non ſolùm Chriſto cordi eſſe, ſed in ipſo ejus corde reſidere. *Tnner in Soc. Apoſt.*

Conſcientia aliorum facilius quàm propria pacatur.

Securæ quies in corde Chriſti.

XIX. FEBRUARII.

1. ANno 1581 P. Claudius Aquaviva, Filius Ducis Atriæ, Neapolitanus, cùm poſt gubernatam Provinciam Neapolitanam, regeret Romanam, electus eſt in Præpoſitum Generalem, quamvis annum ætatis 40 nondum attigiſſet. Viſa eſt non uni DEipara V. cum S. Bernardo, quem eximiè colebat Claudius, & S. Ignatio, offerre illum magni comitij Patribus, ut eligeretur. Et erat Claudius opportuniſſimus illis temporibus, Societati ſatis iniquis; utpote vir verè cordatus, Inſtituti ſcientiſſimus & retinentiſſimus, quem nec adverſa frangerent, nec proſpera extollerent; par cuicunq; fortunæ, & quibuſvis adverſarijs, etiam potentiſſimis. *Soutvell. in Biblioth.*

P. Claudius Aquaviva eligitur Generalis.

2. In Japonia anno 1614 nova, eaq; gravis excitata eſt perſecutio Chriſtianorum, à totius Japoniæ Imperatore: cujus edictum in Metropoli Meacenſi hoc die propoſitum eſt Patribus noſtris; ut intra diem ſeptimum omnes ſe conferrent Nangaſachum, atq; inde quiſq; renavigaret in patriam ſuam. Idem edictum intimatum eſt Patribus S. Auguſtini, Dominici & Franciſci. Laborabant tunc in vinea Japonenſi, præter Japones Catechiſtas, & ſæculares quoſdam Sacerdotes, centum & quinquaginta è 4. Ordinibus Religioſis: è S. Auguſtini familia 4, è S. Dominici 9, è S Franciſci 14, è Societate JESU 123, cum Epiſcopo ex eadem Societate, Chriſtianorum cenſebantur aliquot centena millia, & ſpes erat, totam Japoniam brevi ſubjectum iri Chriſto: cùm ecce concitante Satana & afflantibus quibuſdam ejus miniſtris horrida concitatur tempeſtas. Dynaſtæ quidam admonuerunt Imperatorem de ingenti numero Chriſtianorum, deorum patriorum exterminio,

E Japonia proſcribuntur omnes Religioſi.

Hæretici Europæi concitant persecutorem. minio, & imminente periculo, ne imperium totum in exterorum manus delabatur. Confirmârunt suspicionem Europæi quidam sectarij, variis calumnijs onerantes Religiosos præsertim Societatis JESU, & argumentum suspicionis ducentes ex Philippinis insulis, recenter subjectis Hispaniæ Regi Philippo. Sic conflatum est ingens incendium, & in Christianos, præsertim Sacerdotes sævire cœptum ferro, igne & alijs, etiam inauditis tormentis. *Hugo in Vita P. Caroli Spinolæ, cap. 12.*

Eodem die obierunt.

Vocatio ad Societatem. Summa Votorum, Amare & Pati. 3. Hispali in Hisp. anno 158?, P. Jacobus Sancius. Fluctuanti in electione status, & coram Ven. Eucharistia ferventius oranti, allapsa est è sacro tabernaculo diserta vox: *Esto de Societate nominis mei.* In Societate summa votorum & negotiorum ejus fuit, Amare & Pati.

Operarius strenuus. 4. In insula Majorica, anno 1621, P. Raphaël Oller, Hispanus, jussus est ut requiesceret à laboribus suis, qui tribus haud inertibus operariis occupandis sufficiebant. Sancti, & Apostoli nomine celebratus, per totos 40. dies tam verni jejunii, quàm natales Christi ferias antecedentes, etiam cùm quotidie ad populum diceret, *Castitatis præsidia.* jejunabat. Virginitatem perpetuam studiis, inediâ, continuis laboribus, variâ in se asperitate, SS. Eucharistiæ, & DEiparæ V. sine labe Originali conceptæ cultu singulari, illæsam conservavit.

Victima pro fide. Integer vita in medio nationis pravæ. 5. Coloniæ in Germania, anno 1622, P. Arnoldus Boecop, Belga, ab hæreticis tentus, & carcere vexatus, cùm nihil appareret, cujus causâ plecti posset, propinato veneno (ut medicus testatus est) sensim contabuit inter acerbissimos dolores. Locupletis domûs in Batavia hæres, & in Bataviæ Academia per annos complures versatus, non fidem solùm Catholicam, verùm & Virginitatem servavit intaminatam.

6. Freganale in Hisp. anno 1680, fatis cessit P. Jacobus Serranus, Hispanus, singulare illud elogium meritus: quòd post fata nemo illi precatus sit requiem æ- *JEsus parvulus morienti dat osculum & amplexum.* ternam; cùm vulgo notissimum esset, eum propter eminentem virtutem suffragiis vivorum non egere. Moriens visus est ab absentibus quibusdam personis, Sanctitatis opinione celebribus, dulci amplexu, & osculo stringi à parvulo JESU. *Tanner in Soc. Apost. Imit.*

XX. FEBRUARII.

Legati expediuntur è Japonia ad Pontificem Max. 1. P. Valignanus, Visitator Indiæ & Japoniæ, solvit è Japonia in Europam anno 1582, cum legatis trium principum Japonensium Christianorum, ad deferendam Christi Vicario, Romano Pontifici, qui erat Gregorius XIII, reverentiam & obedientiam. Erant hi, Franciscus rex Bungi potens, Protasius rex Arimæ, & Bartholomæus princeps Omuræ. Ordinata est ea expeditio, tum pietatis gratiâ ad venerandum Vicarium Christi, Patremq; Universalis Ecclesiæ ; tum ut ipsi Japones oculis suis cernerent majestatem Religionis Christianæ, & Principum Christianorum Europæorum, adeoq;

illam

illam æstimarent magis, suisq; commendarent popularibus; tum ut Pontifex & Principes non solùm per literas acciperent statum Ecclesiæ Japonicæ, sed viva voce ipsorum Japonum. Lecti sunt ad legationem obeundam juvenes duo nobilissimi, prædictis regibus sanguine juncti, egregijs naturæ ac gratiæ dotibus instructi; quorum ætas ultra annum septimum & decimum se non extenderat: ut pares essent ferendis diuturnæ navigationis incommodis. Regis Bungensis legatum agebat Mancius Itum, regis Arimæ & principis Omuræ Michàél Cingiva: cuivis additus fuit socius legationis; ut si quid humani eveniret alicui, præstò esset, qui vices legati suppleret. Nimirum Mancio additus fuit Martinus Fara, Michàéli Martinus Nicaura, natalibus & moribus insignes. Insuper obsequij gratiâ additi ephebi nobiles duo: ac deniq; omnibus appositus est moderator unus è Nostris Georgius Loyola Japon, morum gravitate atq; prudentiâ præstans. Hos omnes ducebat, auspice DEo, P. Valignanus, sed non perduxit. Cùm enim Goam venissent, invenit literas Claudij Generalis, quibus jubebatur in India subsistere, & ibi Societatem moderari Provincialis. *Sacchin. hist. Soc. p. 2. lib. 5. n. 230 & lib. 3. n. 236.*

Cur ea legatio adornata.

Legatorũ familia.

Eodem die obierunt.

2. Nangasachi in Japonia, anno 1614, P. Ludovicus Cerquiera Lusitanus, Japoniæ Episcopus, quam per annos 16, Apostolicis laboribus, & paternâ curâ excoluit, Prælatus erat ea morum gravitate pariter ac suavitate; ut ex aurea sæculorum ætate lectus videretur, & ethnicis etiam gratus esset ac venerabilis. Modum vivendi quotidianum, quem in Societate didicerat, tenuit constanter demittebatq; se perlibenter ad capienda ab illius superioribus consilia. Templa 4 Japonibus Parochis & supellectile sacra instruxit. Lusitanos mercatores abducentes in mancipia Japones, fulmine Ecclesiastico absterruit. Ipse non dives, pauperes, præsertim pro fide exules, liberaliter juvabat; charitate & comitate omnibus gratus. *Nadasi in Anno Dier. Mem. Soutwellus obitum ponit 15. Febr.*

Episcopus Iaponiæ.

Modi vivendi in Societate retinens.

Pauper & liberalis.

3. Londini in Anglia, anno 1647, Curbertus Prescottus Stephani, Coadjutor, Anglus, post evitatas per annos complures insidias, captus, cùm ad furcam damnandus non videretur, quòd Sacerdos non esset, perpetuo carceri in odium fidei addictus est, in quo aliquot annorum ærumnis toleratis, tandem consumptus est.

Carceris ærumna pro fide.

4. Vallisoleti in Hisp. anno 1595, P. Franciscum de Morales, inter alternantes acerbissimos dolores, & cœlestes voluptates, pretiosa mors occupavit. Cùm in su premo morbo dolorum acerbitas, querulam vocem aliquam extorsisset; vidit, audivitq; Christum amicè subsannantem: *Tu quereris, & ego rideo.* Incredibiliter animo erectus Franciscus: *Et quid est Domine, reposuit, quod ego optem magis, quàm delectare te? Si risum tibi movent hi dolores mei, veniant sanè cumulatissimi; expectati aderunt.* Dixit, ac in fortissima patientia possedit bonam animam suam in vitam æternam, indefessus & felix in disponendis moribundis, præsertim qui publico supplicio plectebantur.

Querelis modestis inter dolores delectatur Christus.

Victima fidei. 5. In America anno 1693 à barbaris Charibibus odio fidei interfectus gloriosè occubuit P. Vincentius Loversa. *Ex libro Suffragiorum.*

XXI. FEBRUARII.

Labores Apostolici loco Purgatorij. 1. S. Xaverius Anno 1544 scripsit P. Francisco Mansillæ in Commorinum eunti, excitando ipsum ad multam patientiam in laboribus Apostolicis. Sic tecum reputa, inquit, quasi purgatorium isthic tuum sit; in quo jam noxarum tuarum pœnas luas: & agnosce non vulgare DEi beneficium, indulgentis tibi; ut vivens spiransq; , summo gratiæ quæstu, ærumnâ multò minore, peccata juventutis expies. *Epist. novarum, lib. 1, ep. 9.*

2. Anno 1608 inchoata est sub P. Claudio Aquaviva Præp. Gen. Congregatio Generalis VI; quam tempore Congregationis V. cogi voluit post sexennium Clemens VIII. Pontif. (ut habetur Decreto 73. Cong. V.) atq; in ea eligi novos Assistentes pro Italia, Hispania, Lusitania: qui etiam electi sunt in Congr. VI. Germaniæ Assistens non motus: quia non pridem id muneris susceperat. Pro Galliæ Provincijs datus est Decreto 1. Assistens quin- *Galliæ datur Assistens.* tus: cùm antea habuissent communem cum Germania & cæteris Transalpinis. *Ex Decretis Congr. 5. & 6*

Eodem die obierunt.

P. Guttierez in Martyrũ choro visus. 3. Cardeliaci in Gallia, anno 1573, P. Martinus Guttierez, Hispanus. Dum per Gallias Romam iret, interceptus ab hæreticis, tam dirè habitus est; ut intra paucos dies ærumnis sit confectus. S. Theresia, datis Romam, ad P. Assistentem Hispaniæ literis, significavit: P. Martinum sibi à DEO ostensum in choro Martyrum: Omnibus religiosis virtutibus in gradu excellenti conspicuus, eminuit singulari prorsus *B. V. cultor eximius.* in V. DEiparam cultu & amore filiali, quam vicissim ut Matrem amantissimam experiebatur. Sub pallio ejus vidit aliquando universam Societatem collectam, & no- *Vidit Societatem sub ejus pallio.* stros, velut pullos, sub DEI Matris alis protectos. Defuncto in carcere P. Martino, adfuit Matrona spectabilis, quæ cadaver nitidè composuit, & videri desiit.

Magister Novitiorum per annos 40. P. Alphons9 Rodriquez. 4. Hispali in Hispania anno 1616. P. Alphonsus Rodriquez, plenus dierum & meritorum, Nonagenarius enim decessit. Per annos 40, summa cum laude Magistrum Novitiorum egit, eamq; comparavit Religiosæ perfectionis notitiam, quam expressit & in moribus suis, & in præclaro illo opere *Exercitij perfectionis*, multo Religiosorum quorumvis usu, & repetitis in omni lingva typis commendato.

Victima pro fide. 5. Cleraci in Gallia, anno 1622 P. Herveus Malvesius, Gallus, in Missionibus castrensibus, & aliis multa cum laude versatus, ab hæreticis trucidatus est in opere charitatis, dum capta dolo civitate pœnitentibus aurem daret. Tanquam in Sacerdotem sævitum crudeliùs, decem vulneribus illatis.

XXII.

XXII. FEBRUARII.

1. ANno 1659 Alexander VII, Pont. Max. iterum erexit Collegium Pœnitentiariorum in urbe ad Basilicam Principis Apostolorum: siquidem à Pio V, qui id reformaverat, & Societati tradiderat, Literæ Apostolicæ super hoc expeditæ non fuerunt. Alexander igitur, Constitutione incip: *In Apostolicæ dignitatis fastigio*, Motu proprio, & de Apostolicæ Sedis plenitudine, confirmavit, erexit & instituit iterum prædictum Collegium, Habitationem & redditus assignavit, Collegium Apostolicum nominari præcepit, & Societati perpetuò tradidit ea lege: ut tredecim de Societate Pœnitentiariorum munere perpetuò fungerentur, &c. *Bullar. Comm. Constit: 60. Alexandri VII.*

Tredecim Pœnitentiarij in Vaticana S. Petri basilica fundantur è Societate.

2. Ad componendam Controversiam de Auxilijs Gratiæ, absq; contentiosis disputationibus, conveniens existimavit Clemens VIII: ut partes dissidentes convenirent coram Cardinale Madrutio, & expositis sententijs suis de natura Gratiæ efficacis & sufficientis, inirent inter se viam componendi dissidia. Anno igitur 1599, 22 Februarij convenerunt Generales, Dominicanorum & Societatis, cum quibusdam ex parte utraq; Theologis, apud Madrutium Card. Et quidem Societatis Theologi prompti fuerunt ad proponendam Societatis doctrinam, perorante copiosè solideq; ipso Claudio Aquaviva: Adversarij autem multa tergiversatione conflictum generalem declinabant, solius Molinæ censuram urgentes. *Eleuth. hist. de Auxil. l. 3. c. 6.*

Controversia de Auxilijs Gratiæ.

3. In Collegio Parisiensi anno 1564 primùm apertæ sunt scholæ, multis tempestatibus exagitandæ, sed tandem triumphaturæ. Ut id jure ac auspicatò fieret, conciliatus primùm est DEus per sacrificia, orationes & mortificationes: deinde à Rege, Regina regnante, & Cardinali Lotharingo impetrata diplomata, actum cum Academicis & regijs Advocatis, adeoq; nihil de Divinis & humanis subsidijs neglectum. Hoc demùm die propositus est patentibus locis Index Lectionum tradendarum. Cæteros inter Professores eminuit P. Joannes Maldonatus, qui Aristotelem assumpsit ex Græco interpretandum & explicandum; breviq; plures trecentis numeravit ordinarios Auditores. *Sacch. hist. Soc: p. 2. lib. 8. n. 78.*

Scholæ Parisienses apertæ.

Auditores Philosophiæ trecenti.

Eodem die obierunt.

4. In Japonia, anno 1624, P. Didacus Carvallius, Lusitanus, post ingentia itinera, & labores exantlatos, primùm in Cocincina, deinde in Japonia. Comprehensus ibi ab apparitoribus, hyemante cœlo, in fossam aquæ gelidæ cum 9 Sociis Christianis missus est nudus & atroci gelu trium horarum spatio cruciatus. Extra-

Victima pro fide frigore consumpta.

ctus inde, & solicitatus, ut Sociis author esset fidei deserendæ; eos potiùs, quàm potuit, efficacissimis verbis ad constantiam hortatus est. Iterum igitur stagno gelido immersi, & palis alligati, perstitêre fortes, à prandio ad mediam noctem, ventis nivibusq; perfrigidam; donec vi frigoris animæ corporibus solutæ, evolarent ad superos, P. Didaco ultimum agmen claudente.

5. Græcii in Styria anno 1612, P. Martinus Ertmerus, Germanus, Religiosus talis, quales optat Societas. Cùm adolescens in Sodalitatem Marianam adlegeretur; DEiparam V. sibi despondit in Sponsam eo annulo, quem mater ei tradiderat, & quo in ea familia juvenes solebant sibi obstringere sponsas. Oculis aliquando intentiùs in Crucifixum defixis, moneri se sensit de morte vicina. Quàmvis ergo nulla apparerent periclitantis valetudinis argumenta, Rectore monito, se ad mortem disposuit Sacramentis susceptis: & mox mente motus est, ac post paucos dies extinctus.

Desponsatio DEiparæ V.

Crucifixi intuitus monitor mortis.

6. Hildesii in Germania anno 1656, Henricus Werden Coadjutor, Germanus. Omni religiosa virtute, sed potissimùm eximia ad quævis charitatis officia promptitudine & alacritate eminuit, etiam inter non levia vitæ pericula. In civitate hæretica lignis & lapidibus malè acceptus, aliquando ab hæreticis ita saucius, ut pro mortuo haberetur, tantùm abest, ut aliquid prodiderit indignationis; ut etiam statas quotidie preces sibi pro illis indixerit, & fideliter fuerit executus. Omnem vitam, sed præcipuè provectiorem, SS. Eucharistiæ studiosissimè colendæ addixerat: unde multa illi coram eadem, & prolixa, & humilis de genibus oratio.

XXIII. FEBRUARII.

1. ANno 1555 S. P. Ignatius dedit literas ad Prete-Joannem, Æthiopiæ Regem, Claudium: quibus ei gravibus argumentis author est, ut cum Romana Ecclesia sentiat, & in Pontifice Romano Principem Apostolorum Petrum, agnoscat & audiat. Commendat deinde Socios 12 cum Patriarcha Joanne Nunnio, è Societate, expeditos ad populum ejus juvandum, & in vera fide instruendum. *Orland. hist. Soc: p. 1. lib 15. n. 105.*

S. Ignatij zelus pro conversione Æthiopiæ.

2. Congregatio Generalis IX. finita est anno 1650, cùm post mortem P. Vincentij Caraffæ, Præpositum Generalem legisset P. Franciscum Piccolomineum. Eadem Congregatio decrevit Decr. 6. ut admittendi ad Professionem 4 Votorũ omnino excedant mediocritatem in virtute. Illi autem censendi sunt excessisse mediocritatem, qui ut plurimùm in rebus, quæ occurrunt, operantur secundùm exigentiam virtutis; speraturq;, idem facturos in difficilioribus, si quæ id exigeret occasio; qui parvos defectus religiosè cavent, & si quando labantur, reprehensiones & pœnitentias libenter, atq; humiliter excipiunt, & culpam emendant; qui in quotidiano virtutum exercitio Superioribus æquè ac Domesticis satisfaciunt.

Professionem 4 Votorũ facturi, quomodo mediocritatem in virtute excedere debent.

Eodem

Eodem die obierunt.

3. Glacii, in Germania, anno 1657, P. Andreas Metſch, Germanus. Magnæ in illo eloquentiæ & charitatis dotes, ſagax ad animos diſponendos ingenium. Quo factum, ut decies milleni & eo ampliùs, ab hæreſi ad Eccleſiam Chriſti, numerentur ab illo, traducti; concionales miniſtri novem, apoſtatæ à fide centum ac novem. Sodalitates Marianas octo erexit; nec ulli defuit occaſioni pietatem & Eccleſiam propagandi.

Hæreticorum Vis ingens ad Eccleſiam reducta.

4. In Gallia, anno 1620, Ludovicus Freredoux, Burgundus, Scholaſticus, animam Creatori ſuo reddidit non ſolùm ab omni noxa lethali immunem; verùm etiam eximia charitate & humilitate conſpicuam; cujus impulſu deprimebatur, ad veſtigia Sociorum deoſculanda, & calceos eorum nitidè expurgandos. Angeli Cuſtodis cultui addictiſſimus, in Examine Philoſophico meruit eundem habere inſtructorem. Rogatus enim, unde ipſi tam inſolita in reſpondendo facilitas? ſincerè reſpondit: arcana voce, diſtinctè ad ſingula, ſibi in aurum ſuggeſtum eſſe reſponſum.

Humilis charitas.

Angeli Cuſt. auxilium in Examine ſcholaſtico.

5. Poſnaniæ in Polonia anno 1667, P. Martinus Hincza, Prutenus: vir inſigni gubernandi peritia, juxta ſpiritum, quem in tyrocinio Romano hauſerat. Rexit Collegia, Thorunenſe, Gedanenſe, Jaroslavienſe ſecundùm; Domum probationis & domum Profeſſam, Vilnæ & Cracoviæ: deniq; toti Provinciæ bis præfuit, magnæ prudentiæ, zeli, charitatis, & fortitudinis laude. *Soutvell. in bibl. Soc.*

Gubernandi talentum.

XXIV. FEBRUARII.

1. LUdovicus XIII. rex Galliarum, anno 1621, plenas propenſiſſimi animi erga Societatem, dedit literas ad Gregorium XV. Pont. Max. pro Canonizatione S. Ignatij. Inter cætera, Nulla, inquit, ex omnibus gratijs & favoribus, quos à Sede poſſum obtinere, tantam mihi dabit voluptatem; ac hæc ſola: ob primam educationem, tam in rebus fidei Catholicæ, quàm in bonis moribus, à Patribus Societatis emanatam. Illi hucuſq; magno bono meo profectuq;, intima meæ conſcientiæ gubernârunt. Ad hanc Canonizationem petendam moveor: quia ſpero firmiter, B. Ignatij interceſſionem protectioni mihi futuram, & juvamini potentiſſimo ad eas res exequendas, ad quas à DEo miſſus in mundum, & in quibus Religio, quam fundavit, publica utilitate laborat &c. *Gomez Elog. Soc: part. 2. Claſſe 2.*

Canonizationem S. Ignatij urget Ludov. XIII rex Gall.

2. In Gallia cùm anno 1570 Carolus rex advertiſſet, quàm altas radices per omnem Pictaviam egiſſet hæreſis, de ea purganda, rege dignam ſuſcepit cogitationem. Primario igitur concionatorum ſuorum id negotij dedit: ut totis viribus incumberet in illas extirpandas. Sed cùm is parum profeciſſet, ſcripſit ad Fratrem ſuum, ducem Alenconium, Pariſiorum tunc gubernatorem: ut è Collegio Pariſienſi ſex impetraret Socios, qui ad Pictavos mitterentur, & ſecurim ad radicem ponerent. Deſignatis in eam expeditionem

Pictaviam in Gallia ab hæreſi purgant Socij.

Viaticum recusant. Archiepiscopus Senonensis, Cardinalis Pellevius, regis nomine viaticum liberale obtulit: at illi incunctanter renunciârunt; Providentiâ Divinâ contenti. Quod valde placuit Cardinali, addidit tamen: Regem non passurum, ut evangelizantium curæ onerentur, vel distrahantur mendicitate. Hoc die Pictavium ingressi Patres: quorum tres in alia oppida sunt distributi; tres alij inter quos Maldonatus, in ea urbe, geminis quotidie habitis concionibus, & insuper publicis disputationibus, hæresi bellum indixerunt eo successu: ut brevi non solùm plurimi è plebe, sed etiam quadringenti circiter primariorum & eruditorum, Ecclesiæ sint reconciliati: imò populus omnis paratus fuerit Catholicis accedere, modò rex juberet; ut scilicet non tam victi, quàm coacti viderentur. *Sacchin. p. 5. lib. 6. n. 63.*

Eodem die obierunt.

Infans vix natus, ad orationem se cõponit. 3. Neapoli in Italia, anno 1637, P. Franciscus Pavonus. Statim ac natus est, testatæ sunt, quæ interfuerunt, infantem in genua procubuisse, & ritu orantis, manus in cœlum extulisse. *Cleri informatio melior Indorum instructione.* In Societate intellexit divinitus, se gratius DEO præstiturum obsequium, si clerum ad virtutem formaret in Sodalitate, quàm si Indias adiret. Cùm Philosophiam doceret, sexaginta; cùm Poësim, omnes ejus discipuli religiosum statum sunt amplexi: tanta illis efficacitate de divinis & æternis loquebatur; subinde visus cœlesti lumine fulgere.

Professoris felicitas in promovendis discipulis ad statum Religiosum. 4. Cæsaraugustæ in Hisp. anno 1579, Joannes Ximenus, Coadjutor, Hispanus, per securam solidamq; obedientiæ cœcæ viam ad superos est delatus, Deiparæ ductu. Cùm enim coram DEiparæ V. imagine, supplex rogaret: num rectum salutis & perfectionis teneret tramitem? diserte respondit Virgo: *Macte animo Ximene; perge prosperè per hanc ipsam, quam tenes, obedientiæ cœcæ viam: hac rectis itineribus, & regiâ viâ pergis.* *Obedientia cæca rectâ ducit ad cælum.* Aliàs ab eadem monitus est, ut memor esset animarum purgatorii. *B. V. commendat curam animarum Purgatorij.*

5. Manilæ in Philippinis anno 1615 Mathias Sanga, Japon, Scholasticus. Post multam, & admodum fructuosam, operam positam in erudiendis popularibus suis Catechesi & concionibus; in tempestate concitata contra Christianos à Daifusama Imper. ejectus è patria, post ærumnosam navigationem Manilæ diem clausit extremum religiosissimus exul.

XXV. FEBRUARII.

B. Aloysius suscipit ordines Minores. Anno 1588 Romæ in Basilica Lateranensi, primâ tonsurâ initiatus est B. Aloysius Gonzaga cum Abrahamo Georgio Maronita, in odium fidei postea cæso à Mahometanis. 28. Febr. factus est Aloysius Ostiarius, 6. Martij Lector, 12 Martij Exorcista, 29. Martij Acolythus est inauguratus. *Nadasi in Indice Memor.*

S. Borgia à Pont. missus ad 2. S. Franciscus Borgia anno 1571 à summo Pontifice Pio V, cum Cardinale Alexandrino expeditus in Hispaniam & Galliam; ut sua authorita-

te, prudentia & dexteritate, regibus illis persuaderet Societatem fœderis cum Pontifice ac Venetis contra Turcas Cypro imminentes: confectis feliciter in Hispania (non item in Gallia) rebus; hac die anno 1572 ex Gallia in Italiam iter aggressus est. Quia verò Cardinalis nuncium accepit de mala Pontificis valetudine, coactus est, quàm posset maximè, accelerare. Quæ festinatio magnum meritorum cumulum per patientiam adjecit Francisco. Utebatur enim & ille tam ægra valetudine: ut per eam vix potuerit attingere Romam, ac paulò post sit consumptus. Divinæ autem Bonitati placuit exaggerare servi sui patientiam. Nam præter incōmoda quotidiana viarum, illis diebus, qui quieti dabantur, cruciabatur ille vehementiùs, augente Deo dolores, ut auctius esset præmium, quò propiùs aberat & viæ & vitæ terminus. *Sacchinus p. 3. lib. 8. n. 6. & seq.*

conficiendum fœdus contra Turcas.

Patientia in viarū incommodis.

Eodem die obierunt.

3. In Paraquaria, Americæ regione, anno 1651 P. Adrianus Knudde Crespus, Belga, post Apostolicos labores annis 23 impensis rudibus illis barbaris instruendis. Conciones elaborabat accuratissimè, illud identidem ingeminans: *Maledictus, qui opus DEi facit negligenter.* Barbarorum benevolentiam sibi conciliabat, ingeniosè adornatis munusculis: quæ ibi pro miraculis habebantur. Quoties cubiculo exibat, vel revertebatur, DEiparam V. reverenter salutabat; nec ullum præterire patiebatur sabbatum absq; jejunio.

Diligentia in concionibus parandis.

Salutatio DEip. egrediendo & ingrediendo cubiculum.

4. Massiliæ in Gallia, anno 1655, Philippus le Fort, Coadjutor, Gallus, post bis præstitum pestifera lue tactis obsequium, ad immortales transiit, cum ea sanctitatis opinione; ut in exequiis prohiberi non potuerit populus, quin ejus rosarium, vestis lacinias & similia diriperet ad venerationem. In omnem se affligendi occasionem intentus, per totos 40 annos lecto abstinuit.

Lecti usus neglectus.

5. Catanæ in Sicilia Basilius Lazzari Coadjutor Siculus. Per ipsos duo de viginti annos, quibus Janitoris munus Catanæ obivit, nunquam in silentii legem peccavit: necessaria responsa dabat ita librata, ut verbum nullum esset superfluum. Perpetuò versabatur cum DEo, Sancti nomen domi forisq; consecutus. Ajunt, eum futura ex vero prædixisse, adhibito P. Lætavallii pileo mira patrâsse, coram SS. Eucharistia sublimem à terra conspectum. Patris Michaëlis Lætavallii animam vidit ab Angelis gestientibus in cœlum deduci.

Silentium strictum.

XXVI. FEBRUARII.

1. CLemens VIII. in Controversia de Auxilijs gratiæ imposuerat utriq; parti silentium. Quod cùm ægriùs ferrent PP. Prædicatores, supplicem Pontifici porrexerunt libellum; ut ipsis relaxaret Decretum, quo tamen PP. Societatis stringi volebant. Pontifex re maturè discussa, dato Brevi hac die, anno 1598, relaxavit utrisq;: ut possent doctrinam suam in ea Controversia, tradere in scholis, atq; de ea publicè disputare. Verùm sicut per impo-

Libertas concessa tractandi de Auxilijs Gratiæ.

positum silentium, ita per ejus relaxationem evitari non potuit: quin causa devolveretur ad Curiam Romanam. *Eleuther. hist. de Auxil. l. 2. cap. 29.*

SS. Ignatius & Xav. incendiū extinguunt.

2. Florentiæ grande coortum incendium intempesta nocte, flante vento vicinas ædes corripuerat, jamq; pervenit ad domum Donati Galligati: cui cùm nullum suppeteret medium, quo flammam domaret; in genua provolutus, Tutelares suos Divos Ignatium & Xaverium supplex invocavit, spondens: se omni studio DEi offensam deinceps evitaturum, si salva persisteret domus. Et ecce sublimes in aëre videt Sanctos, audivitq; Ignatium immunitatem ab incendio promittentem. Quæ sinè mora secuta est, compressis, quæ undiq; domum cinxerant, flammis. *Bartoli in vita S. Ignatij lib. 5. n. 11.*

Votum de peccatis vitandis efficax.

In cruce ac periculis solidum gaudium.

3. S. Xaverius in epistola ad P. Simonem Rodericium data Cocino: Mihi, inquit, nihil gratius accidere potest in vita; quàm in maximis meis periculis, Christi Domini, & Christianæ Religionis causâ susceptis, vitam transigere. Christianum quippe est, in cruce magis, quàm in quiete lætari. *Epist. veterum, lib. 2. ep. 12.*

Eodem die obierunt.

Victima pro fide.

4. Laureti, anno 1594, P. Joannes Lelesƶy, Hungarus. E Transylvania ab hæreticis proscripto, venenatum poculum, in odium fidei, illustris quædam, sed heterodoxa matrona porrexerat: unde in domo Mariana, velut in Sinu DEiparæ V. sensim contabuit. Virum ad omnia summa natum, vocant Annales. Qua diligentiâ incubuit in instituendum Catholica religione Sigismundum Batoreum Principis Transylvaniæ filium; eadem in profliganda per Transylvaniam hæresi usus est. Claudiopoli magnum Catholicorum numerum reliquit; ubi non plures, quàm sex repererat.

Zelus animarū.

5. Mediolani in Italia, anno 1602, P. Joannes Bapt. Velatus, ab ipso S. P. Ignatio ad Societatem receptus, vir multæ laudis, ac potissimùm obedientiæ. Cùm æger ad extrema devenisset, fratre qui curam habebat, non advertente, imò altùm dormiente; objecta est eidem fratri species sacrificantis P. Joannis, ministrante spectatissimæ venustatis adolescente. Post consecrationem minister ille Angelicus, cereum è candelabro sumptum attulit fratri, monuitq; ut sine mora adesset agonizanti Patri. Experrectus ille, accurrit ad ægrum, reperitq; animam agentem. Advocati propere domestici, migrantem animam solita comprecatione sunt prosecuti.

Angelus curam gerit agonizātis.

Possevini itinera & labores.

Legationes.

Institutio Seminariorum Pontificiorum.

6. Ferrariæ in Italia anno 1611 ab arduis missionibus, legationibus, & laboribus, quievit in Domino P. Antonius Possevinus, Italus: vir quàm acris ingenii & singularis prudentiæ; tam religiosæ vitæ, & ferreæ tolerantiæ. Plurima egit & passus est in Sabaudia & Gallia ab hæreticis, quos acerrimè impugnabat. A Gregorio XIII gravissimis legationibus adhibitus, bis in Sueciam ad Joannem III Regem; bis ad Joannem Basilii, magnum Ducem Moschoviæ, atq; ad Stephanum Poloniæ regem; bis ad Romanorum Imperatorem, expeditus est, pariq; felicitate ac celeritate negotia expedivit. Ipsius operâ atq; industriâ sedem stabilem Cracoviæ obtinuit Societas;

per

per ipsum Pontificia liberalitate instituta sunt Clericorum Seminaria Græcii, Olomucii, Pragæ, Brunsbergæ, Vilnæ, Claudiopoli. Fractis corporis viribus, animam indefessus applicuit ad lucubrandum, præsertim pro fide orthodoxa. Opera ejus in varia materia viginti quatuor recenset Soutvellus *in Biblioth.* *Libri editi.*

XXVII. FEBRUARRII.

1. ANno 1594 Henricus IV. inauguratus est Rex Galliæ, magno regni & Societatis bono, cujus strenuissimum constantemq; se exhibuit Protectorē & Promotorem, contra hæreticorum odia, & Decreta senatûs Parisiensis, à quo toto regno proscripta fuit; sed à Parlamentis Tolosano & Burdigalensi in suis jurisdictionibus conservata; ac tandem anno 1604 auctoritate ac indefesso studio Optimi regis, non solùm omnibus suis sedibus restituta; sed etiam aucta. Flexiensi Collegio, munificentissimè fundato & dotato à rege: qui pro ampliori animi sui erga Societatem contestatione, ex eadem P. Petrum Cotonum, virum religiosissimum & eloquentissimum, sibi delegit in Confessarium & Prædicatorem. *Spondanus anno 1594. n. 12. & 23. Item anno 1604. n. 4.*

Henricus IV. rex Galliæ inauguratur. *Societatem restituit.* *Concionatorem ex illa sibi delegit.*

2. In Germania Collegium Ratisbonense, ante quadriennium inchoatum, anno 1589 absolutum est. Monasterium enim Sanctimonialium S. Pauli, prope vacuum, eidem à Pontifice Sixto V. traditum est hoc die, quondam à S. Wolfgango Ratisbonensi Episcopo conditum. In sacra supellectili inter cætera calix erat, & vestis, quibus ipse Sanctus Wolfgangus, ante sexcentesimum annum in sacrificijs utebatur. *Sacch. p. 5. lib. 9. n. 104.* *Ratisbonense Collegium.*

Eodem die obierunt.

3. Londini in Anglia, anno 1601, P Rogerius Filcocus, Anglus. Inclyta Herorum fidei morte occubuit Londini, suspensus & sectus, post egregios pro fide Catholica exantlatos labores. *Victima pro fide.*

4. Ibidem Lincolniæ, anno 1645, P. Joannes Grossus, Anglus incruenta, sed ærumnosa morte, sublatus est. Septem ac viginti annorum Apostolicos ejus labores, dirus carcer excepit per menses septem, ex quo quidem amicorum operâ redemptus est, sed viribus adeò attritis, ut mense non integro superstes, viribus defectis conciderit, atq; absoluto sacrificio divino, inter varia pietatis exercitia expirârit. *Carceris ærũna fideles.*

5. Ulyssipone in Lusitania anno 1580 Alexander Coelhus Lusitanus, Coadjutor temporalis, inter obsequia pestiferis addicta, occubuit; vir, quem ad mortis talis gloriam à prima infantia DEus mirabiliter servavit. Patrio in vico mulier honesta, conspicata in compito canem involucrum quoddam ore gestantem, abegit, eripuit, atq; in eo infantem ægrè ducentem animam reperit; baptizatum educavit pro suo. Aliquanto pôst aheno aquæ ferventis vix se se non extinxit. Deinde adolescens stipendia meruit per Europam, & in classe ad Echinadas contra Turcam feliciter pugnavit. Ibi puellæ pudicitiam à commilitonum petulantia, datis armis suis, redemit: *Providentia divina.*

cumq; impar esset aliis emendis, militiâ profanâ relictâ, in Lusitania Societati nomen dedit, atq; in ea insignibus humilitatis, patientiæ, charitatis, atq; obedientiæ relictis exemplis, vixit. Socios in eodem pretioso charitatis obsequio habuit octo in eadem urbe. Eboræ verò quatuor, Conimbricæ unum. *Alegambe in Victim. Char.*

XXVIII. FEBRUARII.

1. S. Franciscus Xaverius, cùm anno 1552, Collegij Bazainensis Rectorem constituisset P. Melchiorem Nunnez: certam illi misit Instructionem, ad cujus amussim suum obiret munus; ac deniq; monet: Super omnia, per quantum obsequi & gratificari DEo Domino nostro studes, oro & obsecro te; cave, ne in offensionem cujuspiâ incurras, aut justam præbeas occasionem querelarum. Id assequêris; si te demissè modestum, & ab omni specie fastûs, alienissimum semper populus observaverit. Quare auspicari præfecturam, edendis publicè tui depressionis exemplis, debes, obeundo palàm omnis generis officia humilia; in nosocomijs, in custodijs; ministrando egenis, rudem plebem docendo &c. Hæc inprimis popularia, amorem in te multitudinis accendent. *Epist. novarum lib. 5. epist. 13.*

Superiores, maximè initio officii, sint humiles & modesti.

2. Idem Sanctus post longum & ærumnosissimum iter susceptum & confectum in Japoniæ metropolim Meacum, exeunte Februario anni 1551, coactus est idem iter relegere, rebus infectis, ijsdem terrâ mariq; periculis. Fervebat enim in urbe amplissima apparatus sævi belli in vicinos reges; nec erat, qui prædicanti aurem dare vellet. Amanguccium ergo redijt: ubi quàmvis ante iter Meacense malè habitus esset, & Apostolicâ sagenâ nihil cepisset; invenit corda jam aliter disposita, DEo volente servo suo compensare steriles labores itineris Meacensis. Nam bimestri spatio baptizavit quingentos, magnam partem illustres nobilitate ac literis. Regem autem, à quo ante spretus fuerat, invenit tam benevolum: ut publico edicto copiam faceret subditis suis, Christiana sacra amplectendi. Donum quoq; linguarum ipsi DEus instauravit ita: ut Sinicè & Japonicè expeditè prædicaret, atq; ad propositas plures & diversissimas quæstiones unico responso satisfaceret. *Bartoli in Vita lib. 3. n. 26. & seqq.*

Labor infructuosus compensatus.

3. Anno 1573 Gregorius XIII, per Breve incip: *Ex Sedis Apostolicæ benignitate*, approbat concessam à Paulo IIII, & Julio III, atq; de novo, motu proprio, concedit Societati facultatem, Horas Canonicas recitandi extra chorum, & privatim, à singulis, qui ad eas tenentur: *quò acriùs studijs, & prædicationibus intendere possint.* Item, ut qui biennio tyrocinij finito vota fecerunt, possint ante solemnem Professionem sacros Ordines suscipere. *Bullar. Societ.*

Immunitas à Choro. Ordines sacri suscipi possunt ante Professionem.

Eodem

Eodem die obierunt.

4. Conimbriæ in Lusitania, anno 1598, P. Ignatius Martinius. Floridus primò concionator; sed postquam Patavij S. Antonij de Padua lingvam piè exosculatus est, repentè in Oratorem alium mutatus, Apostolicum dicendi stylum, magno auditorum fructu tenuit. Extremos 17 annos catechesi tradendæ addixit, ut commissos olim in sectanda putida eloquentia errores expiaret. Inter catechisandum, cùm aliquando rogâsset; ut Salutationem Angelicam quispiam recitaret; obmutescentibus ineptâ verecundiâ cæteris, infans semestris vinculum linguæ rupit, & clara voce recitavit. Eo anno, quo obijt, pro concione dixit: optare se reliquam omnem ætatem flexis genibus orando transigere, inter actiones gratiarum Divinæ bonitati; quòd in Societate vixisset. Sacrum nunquam sinè cilicio celebravit; notatus, singulis noctibus horas 5. meditationi dedisse.

Lingua S. Antonij mutat stylum concionatoris. *Conciones flerulenta expiata Catechismi traditione.* *Infans semestris Salutationem Ang. recitat.* *Sacrificium cum cilicio.* *Meditatio prolixa.*

5. Manilæ, in Philippinis insulis, anno 1615, Andreas Saito Coadjutor Japon. Non verbis solùm, sed disertioribus factis, ut perpetuo sui contemptu, fidei zelo, paupertatis studio, civibus suis prædicabat Christum, multisq; saluti fuit. Comprehensus, cùm Christo constans adhæret, etiam ad tormenta paratus, ejectus est in exilium. Inter navigandum ærumnis fractus, exilium cum beata patria commutavit.

Exul pro fide.

6. Vilnæ in Litvania anno 1670 P. Benedictus Boym Roxolanus Leopoliensis. Ut ingrederetur Societatem, dixit amico suo, se à DEipara V. cujus erat studiosissimus, monitum. Ne autem frater natu major impediret; numeratis ei de patrimonio suo decem millibus florenorum, obtinuit, eoq; pretio religiosam sibi comparavit paupertatem. In Societate ardentissimo animarum zelo flagrabat semper; cumq; Indias impetrare non posset; ad revocandos in Ecclesiæ gremium Schismaticos Ruthenos, totus incubuit & prædicatione & libris editis. Proximus morti Sacerdotem præsentem compellavit. *Pater mi, videtne? Ecce adsunt SS. Patres. Ecce stant ante lectulum meum. Ecce S. Nilus. O S. Nile, ora pro me.* Græcos enim Patres venerabatur impensiùs, ut Patronos haberet contra contumaciam Schismaticorum. *Ex Annuis.*

Vocatio ad Societatem per B. V. *Paupertas empta.* *Zelus convertendi Schismaticos.*

I. MARTII.

1. S. Xaverius, ex insulis Molucis Malacam reversus, inexplicabili gaudio suo excepit ibi Angerum quendam nobilem Japonem, adventum suum summo desiderio operientem. Torquebatur enim is homo irrequietis conscientiæ turbis, metuq; suppliciorum æternorum. Quamvis enim ethnicus, nihil adhuc de Evangelio edoctus, certum tamen habebat; ut erat ingenio insigni, Animam corpori mortuo superstitem esse, & post fata dandas ei esse pœnas pro delictis commissis: nec in ullis Bonziorum officinis remedium reperit, angoribus suis sedandis. Ergo Xaverio, de quo magna miraq; acceperat per famam, instituendum se tradidit. Ille solita comitate sua hominem facile sibi devinxit: atq; ut per otium liberaliùs institueretur, Goam, quò properabat, secum duxit. Malacâ (post debellatos prodigiosâ victoriâ Açenos non tam à Lusitanis, quàm Xaverio) profecti, anno-

Conscientiæ angores.

no 1548, Goam pervenerunt ineunte Martio. Ibi Angerus egregiè instru-ctus, cum duobus famulis, solemni pompa ab Episcopo baptizatus est; mirum in modum exultante Xaverio, ob has Japonum primitias DEo oblatas. *Bartoli in Vita lib. 2. n. 49. & 50.*

Primitiæ Iaponiæ.

2. In Hispania ipsis Martij Calendis, anno 1549, aperta est Gandiæ prima Societatis Academia, à S. Francisco Borgia, tunc adhuc Ducem agente, erecta: quam diplomatibus Pontificijs & Cæsareis communivit, ornavitq; Carolo V, rege ac Imperatore, omnibus Academiarum, Salmanticensis & Complutensis, privilegiis, eam honorante. *Orland. hist. Soc: part. 1. lib. 7. n. 55. & lib. 9. n. 75.*

Gandiæ prima Societatis Academia.

3. In Urbe deprehensus tandem est anno 1590 insignis impostor, è Societatis dimissus tyrocinio ante annos complures, ob morbos incurabiles Philippus Justinianus. Institit ille quæstum facere ex valetudine sua infirma, sive vera, sive potiùs affectata. Mirabiles prodebat paroxismos & symptomata, quæ nemo medicorum intelligebat. Multis in hunc modum exactis annis, prænunciare cœpit, se Pontificis Sixti V. benedictione valetudinem recuperaturum: ita sibi DEum significâsse. Ipso ergo die Circumcisionis anno 1589 in Vaticanum se deduci jussit. Sixtus re audita, subridens respondit: se Pontificem non esse, qui miracula faciat: tamen cùm rogaretur, formato signo crucis de more benedixit. Æger illico surrexit, & sanus domum redijt. Ergò iterum petit, tanquam plenè sanus, admitti ad Societatem: sed Claudius aliquid subodoratus, distulit de die in diem. Tandem hoc die anno 1590 proditus est. Dum enim inter vespertinas tenebras domum se recipit, auditur fragor explosi sclopeti, & Philippus se percussum exclamat. Accurrunt urbani satellites, vident vestes perforatas, & plumbeam glandem in pectore compressam. Miraculum exclamatur. Sed satellites percussorem insequentes, comprehendunt: qui sine torturis fassus est, sibi ita convenisse cum Philippo. Philippus quoq; confessus est, se vestes perforâsse, globum sinui indidisse, & morbos confinxisse; parumq; abfuit, quin capite fraudes lueret. Deportatus est in insulam Melitam. *Sacchin. part. 5. lib. 10. n. 4. & seqq.*

Dimissi è Societate fraudes.

Eodem die obierunt.

4. In America apud Papigochos annò 1652, in odium fidei cæsus P. Jacobus Antonius Basile Italus, eo ipso tempore, quo Christianos Pœnitentiæ Sacramento expiabat. Inter sacrificandum, eodem quo à barbaris obtruncatus est, die, sublata de more sacra hostiâ visa est cruento circulo circumdata, & deposita super sacrificalem mappulam, eandem recenti sangvine cruentavit. Complures Indi testati sunt: se vidisse, ex ore

Victima Fidei.

Præsagia mortis cruenta.

ex ore morientis Patris Jacobi pulcherrimum infantem in cœlum evolare, duobus aliis parvulis ſtipatum. Ad tam felicis mortis gloriam, à teneris annis ſeſe diſpoſuit tanta innocentia in lubrica ætate; ut, quod aliàs de S. Bernardino traditum eſt, ipſo præſente nemo præſumeret putidum aliquod verbum proferre.

Adoleſcentia innocens & venerabilis.

5. Cocini in India Orientali anno 1645, in ſinum DEiparæ V. ſe recepit Petrus Baſtus, Coadjutor Luſitanus. Ipſam enim tenerrima & conſtanti pietate, unà cum S. Angelo Cuſtode, ſemper coluerat, ſingularibus gratiis viciſſim ab ea honoratus. Ferunt, viſitantem quoddam DEiparæ templum, ac peregrinatione feſſum, prandio cœnâq; refectum ab ipſa, locumq; monſtratum, in quo ſecurus quieſceret. Aliàs cum Novitiis Societatis de more peregrinanti, comites ſe dederunt Matrona illuſtris, cum viro ætate & authoritate venerando, atq; ſuaviſſimo puſione. Cùmq; pios peregrinos inſtructa cœnâ recreâſſent; rogati quinam eſſent? reſponderunt: *Nos fundavimus Societatem*; ſimulq; videri deſierunt. Alebat Petrus hanc cum DEo & DEipara familiaritatem prolixa & fervente oratione. Sub noctis enim medium è ſtrato ſurgebat, & reliquum noctis in oratione ducebat: quidquid contrà fremerent tenebrarum poteſtates.

B. V. peregrinũ ſuum prandio & cœna reficit.

Fundatores Societatis IESus & MARIA.

Oratio nocturna.

6. Eboræ in Luſitania anno 1561 Gaſpar Fonſeca, Novitius, Luſitanus. Paucorum menſium tyro tam robuſtam prodidit virtutem, quando fœdum apoſtema in ejus latere ſæpiùs aperiendum fuit: ut medici ſtuperent; unde in corpore teneri adoleſcentis tanta fortitudo & animi excelſitas. Sed illam Gaſpar trahebat è vulneribus Chriſti, quæ tunc mente volvebat. Nullum aliud unquam ſolatium, auxilium aut remedium expetiit. Interrogantibus quemadmodum haberet? perpetuò reſpondebat: *Bene, laus DEO*. Pharmaca acerbiſſima Obedientiæ ſaccharo condita, avidiſſimè hauriebat. Ubi de vita deſperarum eſſe intellexit; ita gaudio exiliit: ut reviviſcere ſpe mortis vicinæ ſit viſus.

II. MARTII.

1. S. Xaverius poſtquam Claſſis, quâ vehebatur è Luſitania in Indiam, hyemâſſet in Mozambico, initio Martij movit Goam, defunctus periculoſiſſimo morbo, poſt ſepties inciſam venam: quem contraxerat ex obſequijs ſpiritualibus & corporalibus indefeſſè impenſis multitudini ægrorum, *Bartoli in Vita lib. 1. n. 21.*

2. Anno 1589 ſanctè defuncti Cardinalis Alexandri Farneſij corpus hoc die illatum eſt baſilicæ Domûs Profeſſæ Romanæ, quam ipſe in perpetuum ſui erga Societatem affectûs monimentum, magnis ſumptibus ſplendidè exſtruxerat. Ibi à præſentibus quadraginta duobus Cardinalibus juſtis funebribus eſt honoratus, panegyrim perorante noſtro P. Franciſco Bencio. Viſus eſt magnus hic Cardinalis ſingulari DEi Providentia electus, qui minimam hanc familiam, velut è faſcijs eductam, paternæ charitatis ſinu foveret, ac luce virtutis dignitatiſq; ſuæ illuſtraret. Ita Ordinem noſtrum ab ipſo illius exordio ſine exemplo, & ad extremum uſq; ſpiritum ſine tædio

Alexandri Farneſii exequiæ in templo Profeſſæ domus.

Magnus Societatis Patronus

aut intermiſſione, fovit, promovit, commendavit, præſidio ac patrocinio protexit. *Sacchin. p. 5. lib. 19. n. 35. & 44.*

3. Cùm ſparſa eſſet per Urbem fama anno 1589, de proxima Cardinalium novorum creatione, inter quos non ultimus ponebatur P. Bellarminus, propter inſignia in Eccleſiam viri merita, & ſanctimoniam: perculſus ipſe eſt graviter, non ignarus; famam publicam & ſæpè errare, & ſubinde verum canere. Neq; diu diſſimulandum ſibi putavit. Hac die, ſub noctem acceſſit Præpoſitum Generalem, porrectâq; ſyngraphâ monuit: ut pro ratione Inſtituti Societatis, eam dignitatem, ſi forte, juxta rumorem publicum, deferretur, totis viribus à ſe arceret; ſe quoq; partibus ſuis non defuturum. *Petraſancta in Vita, lib. 3. cap. 1.*

Eodem die obierunt.

In morte gaudium & luct9.

4. Vilnæ in Litvania, anno 1591, P. Antonius Arias Hiſpanus, Theologiæ Profeſſor eruditiſſimus. Inter alternantes gaudii & pœnitentiæ affectus, religioſiſſimè extinctus eſt. Nunc in ſacros cantus erumpebat: *Cantabo Domino in vita mea; pſallam DEo meo, quamdiu fuero &c.* mox pœnitentiales intermiſcebat threnos cum S. Auguſtino dicens: *Nemini, etiam Sancto, ex hac vita diſcedendum eſſe ſine pœnitentia.* Cùm conſcientiam remorderet ſcrupulus quiſpiam; quòd in morbo medici judicio non omnino conformâſſet ſuum, tametſi re ipſa morigerum ſe præſtitiſſet: inſtitit, urſitq; apud P. Rectorem: ut in triclinio eam ob rem, culpâ ut ajunt, dictâ, accuſaretur: idq; tertiâ ante mortem horâ iterum petiit, quæſivitq;, an peractum eſſet, quod flagitârat? Tam delicatæ conſcientiæ in vita & morte fuit: & neceſſe eſt, eſſe religioſos.

Sine pœnitentia nemini decedendum.

Inobedientia erga medicum caſtigata.

Memoria ſtupenda.

5. Neapoli in Italia, anno 1590, celebris alter Theologus, pro capeſſenda laurea cœleſti abiit, P. Auguſtinus Juſtinianus; Pauli Juſtiniani, Genuenſis reip. ducis filius. Tantis ingenii ac memoriæ dotibus inſtructus apparuit ut cùm Philoſophiam Theologiamq; doceret Mediolani, Patavii, Romæ; non niſi è memoria dictaret. S. Auguſtinum in locos communes digeſſerat, juxta methodum S. Thomæ, videbaturq; totum memoriâ tenere. Nam ubi ubi res poſtulabat, aptiſſima ex Auguſtino loca, è memoria, non aliter ac è libro recitabat. Sed plus in illo laudis habebat ratio vivendi ad omnes legum apices accuratiſſimè compoſita: ſine qua ſublme ingenium eſt annulus ſinè gemma.

Theolog9 Admirabilis.

6. In Hiſpania, non procul Occania, redux Româ occubuit anno 1649 P. Antonius Perez, Theologi Admirabilis elogio honoratus, ob diſputandi ſubtilitatem pariter ac ſoliditatem. Card. Pallavicinus, illius in cathedra Theologica Romana, Collega, hoc eum ornat encomio, in Vindiciis Societatis. Antonius Perez, in Theologico Magiſterio mihi Collega, vir ingenio mortalium, quos ego unquam noverim viventes, aut unquam in Societate noſtra floruiſſe, ſciam, pro mea æſtimatione nulli ſecundus, ſimulq; religione, ac pietate inclytus. Qui extremam ejus Confeſſionem in itinere excepit, religioſus S. Franciſci, ſanctè teſtatus eſt: P. Antonium cum prima gratiæ ſtola, in baptiſmo accepta, obiiſſe. *Soutvellus in Biblioth. Soc.*

Innocentia vitæ mater eruditionis altioris

III.

III. MARTII.

1. CLemens VIII. Pont. Max. in frequenti Purpuratorum Patrum Senatu, anno 1599, tredecim Cardinales novos nominavit; atq; inter hos P. Robertum Bellarminum S. J. de cujus electione sic prolocutus est: *Hunc eligimus, quia non habet parem Ecclesia DEi quoad doctrinam; & quia est nepos optimi & sanctissimi Pontificis Marcelli II.* Hoc accepto nuncio, hæsit primùm attonitus Bellarminus; deinde solutus in lacrymas, convocari curavit Seniores omnes Collegij Patres, rogans; quid concilij superesset ad purpuram declinandam? Dum consultatur, & media declinandi quæruntur: adsunt ex aula Pontificia, qui tergiversantem deducant ad Pontificem, pro delati honoris insignibus capessendis. Adventanti occurrit Card. Aldobrandinus, nomine Pontificis inhibens sub pœna Excommunicationis, ne reluctaretur. Parendum ergo fuit occlusis undiq; effugij vijs. *Petrasancta in Vita lib. 3. cap. 1.* Prædicabant interea cuncti non minorem eligentis Pontificis, quàm ejus qui eligebatur, gloriam: adeo ut Card. Petrus Carafa non dubitaret affirmare invidendam Summo cuilibet Pontifici fuisse Clementis VIII. felicitatem, qui Bellarmini & Baronij præclara merita Romano coronare potuisset ostro. Idem profitetur Joan. Nic. Eryth. tom. 1. n. 47. *Duos,* inquit, *singulari ingenio, sanctissimis moribus & incredibili eruditione viros hæc nostra ætas in amplissimo Purpuratorum Patrum collegio conspexit, quorum utrumq; plùs ad purpuram splendoris attulisse, quàm ab ea accepisse, est in confesso apud omnes; nimirum Robertum Bellarminum, & Cæsarem Baronium.*

Bellarminus cur factus Cardinalis?

Sub pœna Excomm: jubetur admittere purpuram.

2. Magni favoris Divini erga Societatem fuit hæc provectio Bellarmini ad supremum Ecclesiæ Senatum. Opportunissimè enim accidit eo tempore, quo coram eodem Pontifice Clemente agitanda fuit causa Libri Molinæ, & vindicanda Societatis doctrina, de Auxilijs Divinæ gratiæ, & Prædestinatione. Scientissimus enim doctrinæ Societatis Bellarminus, egregiè eam declaravit, & indemnem servavit.

Opportuna Societati illius prometio.

3. Clemens verò Pont. Max. cùm circa eam Controversiam componendam, vel definiendam, annis 5. & ampliùs laboràsset, & coram ipso Disputationes 37. habitæ fuissent; negotio non confecto decessit hac eadem die, anno 1605. *Eleuther. hist. de Auxilijs lib. 5. cap. 53.* Quantum æstimaverit doctrinam Societatis, vel inde patet: quòd eam vocitàrit *Societatem Ingeniorum.* Contzen lib. 6. Politic. c. 28. §. 5.

Clemens VIII. moritur.

4. Anno 1590 B. Aloysius Castilione ad concionem dixit, ardore ac efficacitate tanta: ut necesse fuerit Sacerdotes Sæculares & religiosos totam

B. Aloysius fructu magno concionatur.

eam noctem audiendis confessionibus distineri. *Nadasi in Indice Memor.*

Eodem die obierunt.

Victima fidei P. Soutvellus.

Decies toleravit equuleum.

Triplici donat9 laureolâ.

5. Londini in Anglia anno 1595 P. Robertus Soutvellus Anglus, in odium fidei suspensus & excarnificatus. Decies toleravit equulei tormentum, animo non solùm constanti, sed etiam sereno, ad stuporem ipsorum hæreticorum. De statu vitæ deliberatione habita, dixit: se Societatem deligere, ut tres in ea consequeretur laureolas; Virginis, Doctoris & Martyris. Consecutum esse, argumento sunt mores innocentes, zelus Apostolicus & mors cruenta pro fide.

Ob impatientiam in morbo semotus à Societate

Pœnitentia fructuosissima.

6. In Corsica, maris Mediterranei insula, anno 1554 P. Sylvester Landinus, Italus. A S. Patre Ignatio, quamvis non omino è Societate dimissus, in patriam tamen, extra Societatis domicilia, remissus fuerat: quod in morbo stomachosior, & non optimi exempli visus esset. Quæ pœna stimulus illi fuit, ad magna & agenda & patienda, ut dignum se Societate præstaret, & in gratiam S. Patriarchæ rediret. Præstans illi erat, solers, & industrium ingenium, quotidiana jejunia, dies laboriosissimi, noctes fere insomnes, fructus in animabus par laboribus. Virum Apostolicum homines laudibus, DEus raptibus extaticis, dono prophetiæ, & cælesti lumine honorarunt.

Lotio pedum usitata in Soc. erga hospites.

Hebræus gente, Missionari9 zelosus.

7. Romæ anno 1589. P. Joannes Bapt. Elianus, verus Israelita, gente Hebræus, natione Ægyptius, in sinum Abrahæ receptus est. Magna illi nationum, linguarumque peritia & dexteritas. Domi nostræ receptus hospes, cùm vidisset nostros ad pedes sibi abluendos provolutos, vehementer ea humilitate & charitate firmatus est in sancto proposito. Ut quantocyus salutaribus aquis expiaretur, impulit ipsum candida columba, quæ in Collegium advolans, ipso spectante, delapsa est in puteum. Lotus ergo, in Societatem admissus, necessariàq; doctrinâ instructus, Memphim in Ægyptum missus est à Pio IV Pontifice: ubi à matre Hebræa agnitus, multis insidiis appetitus, feliciter, quàmvis naufragio facto, evasit, Ad Maronitas quoq; Pontificis jussu non semel profectus, res arduas feliciter confecit. Multa de illo dat Historia Societatis p. 5.

8. Viennæ in Austria, anno 1679, P. Joannes Nadasi, Hungarus: Vir insigni pietate ac eruditione, quæ relucent in plurimis ab eo editis libris & libellis, ad excitandam & fovendam pietatem. Duobus Præpositis Generalibus, P. Nickel, & Oliva fuit ab Epistolis Latinis ad Provincias Assistentiæ Germaniæ: deniq; Confessarium egit Augustissimæ Eleonoræ Imperatricis Viduæ, vir ad omnem religionem & eruditionem formatus.

IV. MARTII.

S. Ignatii Epistola de perfectione.

1. S. Pater anno 1547 Epistolam de Perfectione Religiosa, dedit ad Patres Fratresq;, qui sunt in Hispania. 1. Liquidissimo gaudio se perfusum, refert, acceptâ notitiâ: quàm acri studio incumbant in virtutum solidarum studium. 2. Urget: ut fervore constanti spiritûs progrediantur ad apicem perfectionis. 3. Monet: ut fervor non sit indiscretus sed prudentiâ, & Superiorum nutu regatur. 4. Hortatur: ut dum saluti & perfectioni propriæ incumbunt, non obliviscantur salutis & perfectionis proximi. *Ex literis Præpos. Gener. epist. 2. S. Ign.*

2. In Polonia Illust: Episcopus Chijoviensis & Czernihoviensis, Thomas de Rupniew Ujeyski, post multas preces, solicitationes, labores, & intercessiones etiam regum, tandem anno 1676, obtinuit Româ licentiam dimittendi Episcopatum, & Religioso Ordini se se addicendi. Quam ille mirâ spiritus exultatione, & madentibus gaudio lacrymis excepit; ac sine mora se accinxit ad ingressum Societatis, futurus tyro inter tyrones, sed absolutæ perfectionis Magister etiam professis. *Io: Brictius in Vita c. 30.* *Episcopus Chijoviensis obtinet licentiam Societatem ingrediendi.*

Eodem die obierunt.

3. Messanæ in Sicilia P. Hieronymus Ottellus. Ob stupendam vim sacri eloquii, & morum innocentiam, elogium illud consecutus est: *Domi agnus, in pulpito leo.* Nonnunquam Evangelicum illud ipsi applicatum est: *Nunquam sic locutus est homo.* Quamvis in illo nullæ eximiæ dotes humanæ elucerent, non corporis forma, non vox gratiosa, non oratio compta: tantùm tamen valuit dicendo Romæ, Florentiæ & Messanæ: ut cordium dominus diceretur. Tantam dicendi vim & felicitatem alebat potissimùm & acuebat profunda humilitate, & crebra diuturnaq; oratione: cui dimidiam noctis partem dabat. *Domi agnus, in cathedra leo* *Dominus cordium per oratione maximè & humilitate.*

4. Jaroslaviæ in Polonia, anno 1593, P. Benedictus Herbestus, Roxolanus. Inventus est in medio cubiculi, flexis genibus in modum orantis compositus, sed exanimis. Relicto Posnaniensi Canonicatu, in Societate indefessum & planè Apostolicum, egit operarium. Verbo & opere potens, multas de hæreticis retulit palmas; quarum princeps fuit, quam tulit de principe fœmina, Elisabetha Radivilia, admodum sciola; ac primùm Calviniana, deinde Ariana, tum Hebræa, deniq; labore Patris Benedicti, Catholica. *Mors devota.* *Princeps varia religionis tandem Catholica.*

5. Posnaniæ in Polonia anno 1613 P. Stanislaus Grodzicki, Polonus. Cùm Romæ funeri B. Stanislai Kostka adfuisset, spiritum ineundæ Societatis concepit; ad quam ut instructior veniret, jussus est Theologiæ Doctoris laureâ insigniri. In patriam redux, exacto tyrocinio, periclitanti Litvaniæ ob invalescentes hæreses, tam strenuam efficacemq; tulit opem: ut Litvaniæ Apostolus dictus fuerit. In publica urbis platea hæreticus puer transeunti fœdè faciem consputavit: quod advertens mulier Catholica, magno clamore viciniam concitavit, & jam tumultus oriebatur. At P. Stanislaus negavit sibi ignominiam factam: nihil enim honorificentius esse, quàm Christi causâ quidpiam pari; composuitq; turbam placido vultu & sermone. *Soutvelius in bibl. Soc.* *Lituaniæ novus Apostolus.* *Patientia in ignominia.*

V. MARTII.

1. P. Simon Rodericius, ad Indias Orientales cum S. Xaverio destinatus, Româ abijt cum Paulo Camerte in Lusitaniam anno 1540. In itinere pertinacem contraxit quartanam, qua conflictatus est etiam in Lusitania, usq; ad Xaverij adventum. Is cùm eodem anno, exeunte Junio Ulyssiponem pervenisset, atq; Simonem in Nosocomio decumbentem, tenerrimæ charitatis amplexu arctissimè strinxisset; illico febris omnis fuga- *P. Simonē Rodericium amplexu sanat S. Xaverius.*

ta eſt, nullo ſui relicto veſtigio. *Bartoli in Vita S. Xaverij lib. 1. n. 7. & 12.*

2. In Hiſpania concitatæ ſunt anno 1594 non leves turbæ ab Adverſarijs Molinæ, occaſione Theſium, quas publicè defendendas propoſuerat P. Antonius Padilla, è Societate, vir ſtirpe illuſtris, ſed doctrina & virtute illuſtrior, Theologiæ Profeſſor in Collegio Valliſoletano S. Ambroſij. Quæſtio propoſita fuit: *An cum æqualibus auxilijs gratiæ* (ſcilicet Prævenientis) *poſſit contingere: ut è duobus infidelibus ad fidem vocatis, alter convertatur, manente altero in infidelitate?* Quam quæſtionē ſex Concluſionibus, ex Molinæ Concordia excerptis, ſolvit Padilla. Offenſus eſt graviſſimè ea doctrinæ Molinianæ defenſione P. Didacus Nunno Ord. Præd. qui jam antè ſexigis invectus fuerat in Molinam, contrarijsq; Theſibus promiſit ſe erroneam & hæreticam eam doctrinam confutaturum. Sed non contrarias propoſuit, verùm longè diverſas, & quæ doctrinam Molinæ nec tangebant. Ex his initijs cœpit deinceps trahi funis longiſſimus acerbarum altercationum. *Eleuther. hiſt. de Aux. lib. 2. cap. 23. & 27.*

Altercatio de Gratijs æqualibus, ſed non æquè efficacibus.

Eodem die obierunt.

Concionator lanceis confoſſus

3. Apud Malabares in India Orientali, anno 1596, P. Petrus Aloyſius, è principe Malabaricorum Brachmanum genere oriundus. Ferventiùs prædicantem Chriſti legem, & inhumanos infidelium mores arguentem, ethnici quidam lanceis confoderunt, & pro mortuo reliquerunt. Sed placuit DEO, ulteriori bono Eccleſiæ, ſervum ſuum ſervare ſuperſtitem, & fidelem miniſtrum Confeſſorum ſuorum aureolâ coronare.

In domo religioſa nihil vile.

4. In Peruana America, anno 1630, P. Joannes de Villalobos, Peruanus, mortem, cujus tempus prædixerat, oppetiit. Omnia ad religioſam domum ſpectantia magni faciebat: nihil abjectum, ſed omnia eſſe magnifica & ſplendida in domo DEi, dictitans. Semper amictus cilicio confeſſiones audiebat; fœminarum ſibi confitentium, faciem non noverat. Tempore afflictionis cujuſdam ferventiùs oranti & mœſto, oſtenſa eſt cælitus Crux ingens, addita voce diſerta: *Bono animo eſto, fili. alia te manet adhuc crux major, & longè gravior.* Sic heroibus Chriſti crux major in remedium minoris imponitur.

Afflicto crux oſtenſa cū promiſſione majoris afflictionis.

5. Ibidem in Collegio Aſſumptionis anno 1654 P. Joannes Ignatius Beizama. Ab ipſo tyrocinio pro Sancto, & altero Aloyſio, habitus eſt. Nemo unquam, contra aliquam Societatis legem peccantem vidit. In tertiæ probationis anno juſſus præſtituta horâ arbuſculam quandam irrigare; obedienter id fecit, etiam ruente imbre. Mirantibus reſpondebat: *ſibi id imperatum eſſe, citra ullam cœli ſudi & pluvioſi mentionem.*

Obedientia ſine diſcurſu.

6. Belmontii in Anglia, anno 1616, Thomas Pondo Anglus, genere & Apoſtolicis laboribus paſſionibusq; illuſtriſſimus. Primus operarios è Societate in Angliam induxit, eidemq; ſe poſtea addixit. Quàmvis verò opportunitatem habere non potuerit, ut ſacris Ordinibus initiaretur: Miniſtri tamen Chriſti, & Viri Apoſtolici munus cumulatè implevit, innumeris partim ad fidem adductis, partim in eadem conſervatis.

Carcer & catenæ 30 annis pro fide tolerata.

servatis. Unde ingens hæreticorum odium incurrit: & quàmvis cruenta morte sublatus non sit, sive ob respectum familiæ illustrissimæ, sive quòd olim inter honorarios reginæ ephebos meruerit, præ cæteris gratiosus; annis tamen omnino triginta, ærumnosissimos carceres, catenis, & compedibus onustus, stupenda constantiâ toleravit, ac velut Paulus in vinculis, prædicare non destitit. *Tanner. in Societ. Apost. Imit.*

Paulus alter in vinculis.

VI. MARTII.

1. POst assumptionem P. Roberti Bellarmini in Cardinalem, Claudius Aquaviva literas dedit ad Provincias: quibus docebat, nihil vel à se, vel à Bellarmino omissum esse, quo evitari posset ea dignitas: at Pontificem ita fuisse obfirmatum in sententia; ut deprecanti Bellarmino censuras intentârit, ni sine mora pareret. Deinde erexit omnes in spem multorum bonorum, quæ ex hac assumptione obventura sint Ecclesiæ & Societati, ob Viri summam eruditionem & sanctimoniam excellentem. Deniq; Sacerdotibus omnibus imposuit offerendum Sacrificium Missæ, Fratribus autem Rosarium, pro impetrandis novo Cardinali gratijs divinis, ad implendam meritis eminentiam dignitatis. *Petrasancta in Vita Bell. lib 3. cap. 1.* Bellarminum, inquit Aquaviva, in Cardinali non perdidimus. Ita sacer illum cœtus admisit, ut eum Societas non amiserit, quam eò clariùs illustrabit, eò proteget faciliùs, quò splendidior est, ac potentior.

Epistola P. Claudij ad provincias post assumptionẽ Bellarmini ad purpuram.

2. Respondit expectationi & votis Aquavivæ Bellarminus. Vix purpuram induerat, cùm ante Christi in cruce pendentis effigiem stratus humi decrevit hæc tria. Primum nihil se mutaturum, de pristino, quem hactenus tenuerat in Societate, cursu: alterum, nullas collecturum opes, aut augendæ rei suæ, aut locupletandis consangvineis; aut si quid superesset, post impensas in familiam necessarias, id levandis pauperibus, aut sacris ædibus ornandis daturum: tertium majores proventus non petiturum à Pontifice, quàm qui sibi forent assignati, nec doni quidquam à viris Principibus accepturum. Hoc postremum statim opere sanxit, oblatamq; ab Oratore Hispaniensi, nomine Catholici Regis, pensionem opimam recusavit; pertinere dictitans ad Pontificem Max. ut qui se Cardinalem creâsset, creatum aleret. Nec ita multò pòst Cardinalis S. Cæciliæ aliquot ei nummorum aureorum millia submisit, quæ uti puris offerebantur manibus, ita puris accipi poterant: at ille nihil retinuit ex eo munere, nisi grati & memoris animi perpetuam obligationem. Priora duo capita, ac totius vitæ rationes ita composuit, ut in Cardinali Bellarminum eundem, qui hactenus fuerat; nec imminutam honore virtutem, sed ornatam & auctam agnosceres. *Juvencius fol. 334.*

Qualẽ se præbuerit Bellarminus in nova dignitate.

Eodem

Eodem die obierunt.

Superior excellens.

3. Perusij in Italia, anno 1557, P. Andreas Galvanellus, Italus. A S. P. Ignatio Venetijs Collegio Rector præfectus, ita rem gessit: ut varijs alijs præfici mereretur. Pontificis missu adijt Vallem Telinam: ubi quàm honorificè est exceptus, tam cumulatè populi vota explevit, nihil passus desiderari, quod Apostolicum deceret Missionarium. Perusino Collegio præesse jussus, ita rexit: ut Historia Societatis illum ejus Collegij vocet Lumen ac Robur; ita Divinæ gloriæ & animarum saluti se impendit: ut passim vocaretur, & honoraretur ut Sanctus.

Paupertatis Evãgelicæ pretiũ non omnibus cognitum.

4. In Hispania anno 1565, P. Petrus Tablares, Hispanus. Hic anno 1547 cùm à P. Villanova, sæcularis adhuc, Exercitijs S. Patris excoleretur; paupertatem sequacium Christi stomachatus, terga vertere meditabatur, colapho priùs impacto Villanovæ. Sed repertè divinitus perculsus, eidem, quod cogitârat, aperuit, & quam horruerat Paupertatem Evangelicam, in Societate est amplexus. Magna illi, utpote homini peracuto facundoq;, apud dynastas erat authoritas, & magna in obduratis ad pœnitentiam & lacrymas permovendis, efficacitas: quæ non tam in magno verborum strepitu, quàm dicentis spiritu sita erat.

Concionum efficacia non tã in verborum strepitu, quàm dicentis spiritu sita.

5. Ulyssipone in Lusitania anno 1599 Didacus Diaz, Lusitanus, Coadjutor hodie occubuit, unus è sex charitatis heroibus, qui ibidem inter palmas fortitudinis, & oleas misericordiæ conciderunt victores.

VII. MARTII.

1. FEstum hujus diei Sole Theologico, D. Thoma Aquinate, illustre, admonet nos observantiæ, quam S. Doctori, & ejus doctrinæ, ex Instituto Societatis debemus. Inprimis Constitutionum p. 4. cap. 14. §. 1. sancit S. Pater: *In Theologia legetur Vetus & Novum Testamentum, & Doctrina D. Thomæ, &c.* Deinde Congregatio V. Generalis Decreto 41, *unanimi consensu statuit: Doctrinam S. Thomæ in Theologia Scholastica, tanquam solidiorem, securiorem, magis approbatam, & consentaneam nostris Constitutionibus, sequendam esse à Professoribus nostris.* Quod repetijt, & declaravit Decr. 56, positis sequentibus Regulis, quibus præscribitur 1 Nostri omninò S. Thomam ut proprium Doctorem habeant, eumq; in Scholastica Theologia sequi teneantur, tum quia Constitutiones eum nobis commendant p. 4. cap. 14. §. 1. & Summus Pontifex Clemens VIII. id se cupere significavit; tum quia, cùm unius Scriptoris doctrinam in Societate eligendam Constitutiones moneant p. 8. cap. 1. lit: k. nullius hoc tempore doctrina potest occurrere, quæ sit eâ solidior aut securior: ut non immeritò S. Thomas Theologorum Princeps ab omnibus habeatur. 2. Non sic tamen Sancto Thomæ adstricti esse debere intelligantur: ut nulla prorsus in re ab eo recedere liceat: cùm illi ipsi, qui se Thomistas maximè profitentur, ali-

Doctrina S. Thomæ Aquin. tenenda Professoribus Theologiæ, & quomodo.

quando

quando ab eo recedant; nec arctiùs nostros S. Thomæ alligari par sit, quàm Thomistas ipsos. 3. In quæstionibus merè Philosophicis, aut etiam in ijs, quæ ad Scripturas & Canones pertinent, licebit sequi etiam alios, qui eas facultates magis ex professo tractaverunt. 4 Cæterùm ne fortè ex ijs, quæ dicta sunt, sumat aliquis occasionem S. Thomæ doctrinam facile deserendi; præscribendum videtur; ut nullus ad docendum Theologiam assumatur, qui non sit verè doctrinæ S. Thomæ studiosus: qui verò ab eo sunt alieni, omnino removeantur. Nam qui ex animo S. Thomæ fuerint addicti, certum erit, eos ab eo non recessuros, nisi gravatè admodum & rarissimè. *Ita cit. Decretum.*

2. Anno 1608 ex mandato Pauli V. Pont: electi sunt in Congregatione Generali novi Assistentes quinq;. Deputatis à Congregatione Patribus, incommoda varia ex tali Electione allegantibus, respondit Pontifex: se eam velle, non permotum qualitate personarum, quæ jam eo munere fungebantur: sed intuitu majoris obsequij Divini, & commodi Societatis, *Decretum 10. & 14. Congr. 6.*

Pontifex novos vult eligi Assistentes.

Eodem die obierunt.

3. Caravacæ in Hisp. anno 1579. P. Ferdinandus Garzia: vitæ austeritati supra modum addictus, nec aliud fere desiderans, quàm contemni, & pati. Factus est quoad alterum hoc punctum voti compos, per totos 4 annos lecto affixus; quos tam forti patientia transegit: ut nihil singularis indulgentiæ admitteret. Jam depositus à medicis, cùm urgeretur; ut fidenter posceret, quidquid sibi commodum existimaret: non sine stomacho & horrore respondit: *Egone, DEus bone, id petam, quod jucundum sit?* Mortem oppetiit non improvisam, die ipsius maturè designatâ.

Religiosi solidi votum est, contemni & pati.

Contemptus commoditatū.

4. In regno Peruano anno 1626. P. Jacobus de Samaniego, Vir singulari morum innocentiâ, & omnis peccati horrore maximo conspicuus. Post Angelorum Reginam, præcipuè addictus fuit cultui S. Michaëlis Archangeli: qui P. Jacobo aliquando se multo splendore gloriosum ostendens, suam ipsi fidelem operam pollicitus est, in animabus ad fidem frugemq; perducendis; præstititq; fideliter, multis magnisq; infidelium & peccatorum conversionibus per P. Jacobum patratis. Unâ eâdemq; veste, seu potiùs pretioso centone, usus est per annos 33. Quam hominis abnegationem, & corporis sui neglectum, visus est DEus honorasse multis prodigiosis gratiis ad ejus sepulchrum exhibitis.

S. Michaël Archangelꝰ clienti opem suam promittit & præstat.

Vestis una per annos 33.

5. Messanæ in Sicilia anno 1625. P. Franciscus Torresius, Italus. Cùm Panormi Rector præesset, non solùm nullum admisit cubiculi administrum; verùm aliis ad vineam digressis, ipse domi verrebat majus conclave, seu aulam, ut vocant. Toto illo ante cineres triduo, secedebat in villam, ibiq; parco & servili cibo usus, totus erat in preces effusus, ad placandum deliranti mundo DEum. Mortem uno anno antè prævidit, & prædixit; advenientem excepit Hymno, Te DEum laudamus, alacriter recitato.

VIII. MARTII.

Edictum à rege Lusit. in favorem Christianitatis Indicæ editum petente S. Xav.

1. FLagitante Indiarum Apostolo Xaverio, anno 1546, Joannes III. Lusitaniæ rex, ampla & pietatis plena decreta edidit in favorem Christianitatis Indicæ, & Honoris divini. Ut Goæ omnia Pagodum simulacra tollerentur, nec liceret ulli eadem deinceps fingere. Quicunq; Brachmanum inveniretur obsistere promovendæ religioni Christianæ, extra fines ditionis Lusitaniæ proscriberetur. Tria millia aureorum, quæ Bazaini quotannis pendebantur delubro Mahometis, impenderentur pauperibus conversis. Ethnici omnes excluderentur publicis muneribus. Gemmarum piscatio (si id Xaverius probâsset) penes Christianos tantùm esset, nec compellerentur, nisi justo pretio eas vendere: & plura similia. Sed ministrorum avaritia optimè constituta evertit, ut solet. *Bartoli in Vita lib. 1. n. 45.*

Theologi 2 à Pio V expedit ad comitia Imperij.

In Canisio ferreus animus, & cruda corporis patientia.

2. Anno 1566 Pius V. Pontifex expedivit duos è Societate Theologos, Natalem & Ledesmam in Germaniam ad comitia Imperij, celebranda Augustæ Vindelicorum: quò post arduum iter, admodum attrita Natalis valetudine, feliciter hoc die pervenerunt, ad quamvis cum heterodoxis dimicationem parati. Supervenit & Canisius, quem Pius IV. expedierat, ut per Germaniæ Ecclesias circumferret promulganda Concilij Tridentini Decreta. Post iter mensium 4, non minùs periculosum, quàm laboriosum, ita se novis laboribus Augustæ dedit vir operosissimus: ut Natalis, qui ipse inter validissimos & dexterrimos operarios habebatur, non posset satis mirari in Canisio ferreas animi vires, & affecti corporis crudam patientiam. Habuerunt omnes negotij satis superq; in comitijs illis, tum ut exagitarent sectarios, tum ut firmarent Prælatos Proceresq; Catholicos, consultando, disputando, scribendo, circumcursando dies noctesq;. In fine maximè eorum eluxit labor, prudentia & dexteritas: quando jam propè aberat, ut dissolverentur sine fructu ea Comitia. Per hos enim Triumviros steterunt, & feliciter consummata sunt, facta conspiratione Principum Germ: cum Cæsare contra Turcam Hungariam infestantem. Habuit inde Societas eum privatum fructum: quòd Cæsar Maximilianus, qui comitijs interfuerat, aliam deinceps & benigniorem conceperit de Jesuitis, opinionem: quos publico bono tam utiles expertus erat. *Sacchin. p. 3. lib. 2. n. 20. & seqq.*

Egregia opera præstita in Comitijs Augustanis.

Eodem die obierunt.

S. Ignatius castitatem P. Cajetani defendit.

3. Panormi in Sicilia anno 1620, P. Octavius Cajetanus, Siculus, virginitate intemerata, & singulari morum innocentiâ conspicuus. Impura fœmina cùm lenociniis non proficeret, Acheronta contra P. Octavium movit: sed dæmon disertè fas

ſus eſt, conatus ſuos omnes irritos eſſe, adverſante ſibi S. Ignatio, quem ille ſingulari cultu venerabatur. Ergo nequiorem dæmone puellam ſubornat Stygia meretrix, quæ ductu & opera dæmonis in P. Octavii cubiculum ſe inſinuaret, & ad ſcelus ſolicitaret. Sed manè conveniens puellam, ut de rei ſucceſſu doceretur, invenit ipſam, aliàs formoſam, facie diſtortam, & dœmonis inſtar atram, clamantemq;: *Ignatius, Ignatius, Ignatius prohibuit, & infortunij mei author eſt!* Conſternata his fœmina ad cor rediit, & animâ apud P. Octavium expiatâ, vitam ſeriò emendavit. DEus verò ſervum ſuum caſtioribus hoſpitibus recreavit, integro SS. Siciliæ Virginum choro, in ejus cubiculum immiſſo. Aliquando parvulus JEſus, multo ſplendore conſpicuus, facemq; ardentem manu geſtans, viſus eſt è tabernaculo Euchariſtico prodire, & P. Octavium amanter amplecti.

Amplexus à IEſu Euchariſtico datus.

4. Bruxellæ in Belgio, anno 1625, P. Thomas Sailius, Belga, DEiparæ V. cultor eximius. Nunquam cubiculo prodibat, niſi ſtatuâ ipſius de genibus ſalutatâ. Sacrificaturus DEiparam orabat: ut ipſum diſponeret ad Filium ſuum decenter tractandum. Miſſionarium caſtrenſem agens, Duci Parmenſi author fuit: ut manè in caſtris clangore tubarum ter repetito, ſalutaretur cœli Regina, & Imago ejus in vexillis præferretur. Signo ad præliandum dato, Roſarium Marianum inſtar balthei humero injiciebat; & inter mille pericula ſalvus evadebat. Aliquando P. Thoma graviter ægrotante, jamq; vicino morti, viſa eſt DEi Mater ſupplicare Filio: *ſine, noſtrum hunc ſervulum etiamnum pauliſper vivere.* Audita eſt, & P. Thomæ inſperata, reddita ſanitas.

Cubiculo egreſſurus DEiparæ ſtatuā ſalutat.

In caſtris tubæ clangore pro ſalutanda B. V. ſignum datum

B. V. ſupplicat Filio pro diuturniore vita P. Sailij.

5. Antverpiæ in Belgio anno 1670, P. Henricus Engelgrave, Belga, editis in ſubſidium concionatorum eruditiſſimis voluminibus, clarus. Quàm feliciter gubernavit Collegia, Aldenardenſe, Casletanum, Brugenſe; tam ſcitè pieq; direxit per multos annos Sodalitatem Marianam Conjugatorum, ſimulq; ad Sanctimoniales peroravit. Confeſſarius in templo aſſiduus, mirum eſt, quando eruditionem tantam comparare potuerit, ob cujus copiam illuſtri agnomine *Officina ſcientiarum* dicebatur. *Soutvellus in bibl. Soc.*

Eruditionis copia.

IX. MARTII.

1. ANno 1568, feria tertia, in arce ſua Caſtilionenſi, natus eſt auſpicatiſſimè B Aloyſius Gonzaga, Ferdinandi Marchionis Caſtilionenſis, S. R. Imp. Principis primogenitus. Periclitabatur mater in partu graviſſimè; ſed in deſperatione opis humanæ, voto ad B Virginem Lauretanam concepto, brevi periculum omne depulſum eſt, & Aloyſius natus ope DEi Matris Habuit Aloyſius id commodi ex eo periculo: quòd antequam toto corpuſculo ederetur in lucem, baptizatus ſit ab obſtetrice. Quod beneficium ex ſingulari DEi favore eveniſſe S. Melchtildi, traditur; ut citiùs ſtolâ gratiæ veſtiretur, & gratioſa appareret in conſpectu Domini. *Nadaſi in Indice Memoriali.*

B. Aloyſius baptizatus, antequam totus prodiret.

2. Anno 1570 Luſitana Societas coloniam duxit in inſulam Materiam, non multùm diſſitam à Fortunatis, nec infortunatiorem ipſis, ob ſoli ferti-

Colonia Societatis in inſulā Materiam.

fertilitatem & salubritatem. Hoc die Ulyssipone solvit cum Socijs novem Emmanuel Segneira, Collegio idem & Cathedræ Ecclesiasticæ præfuturus. Quàm libenter suscepti sunt à populo, tam à se alienum experti insulæ Præfectum: quamvis fratres duos primæ authoritatis haberet in Societate. Ita humana media non semper respondent bonæ intentioni virorum Apostolicorum. Perfregerunt tamen difficultates, & Collegium in domo conducta fundârunt. *Sacch. p. 3. hist. Soc. lib. 6. n. 180. & seqq.*

Eodem die obierunt.

Castrensis Missionarius egregius. Angeli ope equum conscendit.

3. Palentiæ in Hisp. anno 1595, P. Joannes Ferdinandus, Hispanus. Missionarium in castris Belgicis egit præfervidum, & muneri suo accuratè intentum. Diem militibus instruendis, & ægris fovendis; noctis magnam partem dabat orationi. Cùm aliquando præ virium imbecillitate equum conscendere non posset, Angeli Custodis opem imploravit: & mox, ne tacto quidem stapede, in sella collocatus est. S Pater Ignatius iteratò se illi spectandum exhibuit; imò & Virgo DEipara cum numeroso S. Mauritii Sociorumq; Martyrum comitatu, atq; Sanctarum Virginum corona: ut operarium suum Castrensem recreatet.

Professor inferiorum scholarum perpetuus, & ordinatus.

4. Hesdinii in Gallia anno 1655, P. Robertus Planterose, Gallus: illâ scholas docendi methodo memorabilis; quòd adolescentulos ab infima Grammatices classe ad Rhetoricam usq; deducere sit solitus, multo labore, nec minore fructu. Rhetoricæ præceptis accuratè traditis, redibat ad Infimam classem Grammatices, rursum cursum suum repetebat usq; ad Rhetoricam: & hunc, sanè virtuosum, circulum formabat frequentabatq;, quamdiu vita comes fuit.

Carcer pro fide

5. In Anglia anno 1666 quievit in pace, P. Jacobus Munfordus, Anglus. Proditus, captusq; à petulanti milite, in carcerem facinorosorum Nordovici conjectus est: priùs tamen amictu Sacerdotali, à sclopetariis per urbem circumductus ad ludibrium. Navigio dein impositus, ut ad alium carcerem transferretur; diem noctemque arctè colligatis manibus pedibusq; traduxit. Sed cùm Nordovicenses sibi vindicassent vinctum suum, humaniùs primum habitus est in liberiore custodia; tandem plenè absolutus, quòd non satis probaretur sacerdos. Reliquum igitur vitæ inter labores & pericula transegit in Anglia operarius indefessus, & animarum Purgatorii, quibus bonorum operum suorum partem satisfactoriam totam applicuerat, patronus singularis. *Soutvell. in bibl. Soc.*

Animæ purgatorij adjutæ.

X. MARTII.

Privilegiũ docendi etiam ubi Academiæ sunt.

1. B. Pius Papa V. anno 1571, Privilegium concessit Societati, incip: *Cùm literarum studia*: [ut ipsius Professores, tam literarum humaniorum, quàm liberalium Artium, Theologiæ, vel cujusvis earum facultatum; in suis Collegijs, etiam in locis, ubi Universitates extiterint, suas lectiones etiam publicas, legere (dummodo per duas horas de manè, & per unam horam de serò, cum Lectoribus Universitatum non concurrant) liberè & licitè possint: quodq; quibuscunq; Scholasticis liceat in hujusmodi Collegijs lectiones,

ones, & alias ſcholaſticas exercitationes frequentare; ac quicunq; in eis Philoſophiæ vel Theologiæ Auditores fuerint, in quavis Univerſitate ad gradus admitti poſſint; & Curſuum, quos in Collegijs prædictis confecerint, ratio habeatur, ita ut ſi in Examine ſufficientes inventi fuerint; non minùs ſed pariformiter, & abſq; ulla penitus differentia, quàm ſi in Univerſitatibus prædictis ſtuduiſſent, ad gradus quoſcunq; tam Baccalaureatûs, quàm Licentiaturæ, Magiſterij & doctoratus, admitti poſſint, & debeant; eisq; ſuper præmiſſis ſpecialem licentiam & facultatem concedimus.] Inhibet deinde ſub pœna Excommunicationis majoris &c. ne Rectores Univerſitatum & quicunq; alij conceſſis contraveniant &c. *Bullar. Soc.*

Diſcipuli noſtri in Philoſ. & Theol. in quavis Academia promoveri poſſunt, & debent, ſi digni ſint.

2. In Japonia, fluentibus è voto operariorum Evangelicorum rebus, P. Gaſpar Coëlius Vice-Provincialis ſolvit Nangazaquio Ozacam, ut à novo Japoniæ Imperatore Cambacundono aliquid gratiæ & commodi impetraret pro re Chriſtiana. In itinere quatuor & viginti Matronas illuſtres, uxores nobilium Chriſtianorum, Baptiſmo tinxit. Ozacâ certior factus eſt de ſingulari erga Socios & religionem Chriſtianam benevolentia Imperatoris: qui & Domum noſtram non invitatus viſitavit, & audita Lege Chriſti, reſpondit: Omnia ſibi probari, tanquam rationi conſentanea, præter unum Singularitas uxorum id erat, quæ effreni in libidinem barbaro, viam ſalutis obſtruxit. Interim tamen Chriſtianorum Legem ſectis Japonum præferebat, & in Bonzios diras jaciebat. *Sacch.p.5.hiſt.Soc.lib.5.n.164 & ſeq.*

Felix iter.

Imperatoris Japonia favor.

Legis Chriſtianæ probat omnia præter uxorum ſingularitatem.

Eodem die obierunt.

3. Glaſquæ in Scotia anno 1615, P. Joannes Ogilbæus, è ſcalis patibuli unico ſaltu provectus in cœlum. Dum reliquias fidelium impiger excolit, comprehenſus, diro carcere, fame diuturna, & coortis inde febribus maceratus eſt. Deinde ferreæ ducentarum librarum perticæ duobus annulis innexus, ac demum diuturnis graviſſimisq; inſomniis cruciatus eſt. Per octo enim dies, nec dormitare, nedum dormire permiſſus, aciculis, ſtylisq; ferreis pungebatur, & variè vellicabatur, ne quid ſomni admitteret. Inſuper variis & ſubdolis quæſtionibus agitatus, reſpondit ſemper cautè, doctè, promptè atq; Catholicè: ſed ſæpe ingeniosè, ſalsè, jucundè, adeoq; ſemper intrepidus libertatem illam & magnanimitatem primorum Martyrum repræſentabat. Reus mortis pronunciatus, nuncii hujus bajulo, & pòſt carnifici, amanter amplexum dedit; patibulum quoq; pio amplexu & oſculo veneratus, divini Magiſtri diſcipulum, & magni Apoſtoli Andreæ condiſcipulum ſe probavit.

Victima fidei.

Inſomnia per 8 dies

Patibulum oſculo & amplexu veneratur P. Ogilbeus.

4. Placentiæ in Italia, anno 1651, Joannes Bapt. Mocchius, Coadjutor virtutis ordinariam ſupergreſſæ. Demortuo locus datus eſt inter Patrum mortuorum funera; utpote Sacerdotum eximio cultori, quibus pro Socio aſſignatus, ſequebatur, eos potiùs, quàm comitabatur. Cubiculum ejus ornabant anguſtiæ, tenebræ, paupertas. Si quid patiendum eſſet, familiari utebatur lemmate: *Et hoc breve eſt. Sanè Patientia.*

Sacerdotũ veneratio.

Patientia.

5. Com-

5. Compluti in Hisp. anno 1570, P. Franciscus Gonzalez Hispanus. In humili & despicabili ejus corpusculo, præter ingenium humanâ & divinâ literaturâ apprimè instructum, elucebat cœlestis quædam, & res altè inspiciens, prudentia Sanctorum, adeò ut & Rector Collegii & Provincialis dicerent: illius cubiculum sibi esse instar oraculi pro adminiculo ad regendum. Inde illi domi & foris ingens authoritas. Cum DEo multum, cum hominibus rarò & breviter loquebatur. Tyronibus quando præerat; ut ne verbulo alienam famam perstringerent, magnus & severus illis author fuit. Inter acerrimos quinq; annorum dolores effusè exultare visus est: quòd DEus ita vellet.

XI. MARTII.

Prædeterminatio physica lapis offensionis.

1. Congregatis coram Pontifice, Clemente VIII, Cardinalibus S. Officij, anno 1599, retulit Card. Madrutius; Patres Dominicanos permoveri non posse, ut communem doctrinam suam de Auxilijs physicè prædeterminantibus, scripto traderent; non omnes enim in ea consentiebant; urgere autem, ut in censurando Libro Molinæ procederetur. Contra verò Patres Societatis unicè desiderare, ut seposito particularis authoris libro, ageretur de Auxiliorum divinorum efficacia, an ea consistat in gratia physicè prædeterminante? Hanc enim esse lapidem offensionis, quo sublato, facilè inter partes conveniret de cæteris. Rogatis Cardinalium sententijs, vix unus Card. Ausculanus, qui ex Ord. Præd. erat, pro Dominicanis stetit; Pontifex ergo de reliquorum omnium consensu pronunciavit; *Velle, ac jubere se, ut causa Molinæ seponatur: generalis autem Controversia de Auxiliorum efficacia tractetur.* Addidit autem disceptantibus velut moderatores Cardinales duos; Asculanum Dominicanis, Jesuitis Bellarminum recenter opportuneq; creatum: qui cum Madrutio cœtibus futuris præessent. *Eleuther. hist. de Auxil. lib. 3. cap. 7.*

Epistola P. Olivæ ad Episcopum Chyovienſem cum gratiis pro fama Societatis vindicatâ.

2. In Poloniam anno 1673, hac die dedit Epistolam P. Joan. Paulus Oliva, Præpositus Generalis, ad Illust: Episcopum Chijoviensem, Thomam Ujeyski, amplissimas ei gratias agendo; pro strenuissimè vindicata Societatis fama. Intellexi, inquit, quanta egerit Illust: Dominatio Vestra pro vindicanda Societatis fama adversùs Dominum NN. qui editis non semel libellis eam proscidit. Nunquam verò de fama nostra ille tantùm detrahere potuit, quantùm suo isto tam impenso studio Illust: Dom. Vestra eam amplificavit. Nihil enim ad minimæ hujus Societatis commendationem illustrius atq; honorificentius esse potuit, quàm quòd ea talem vindicem assertoremq; sit nacta &c. Offert deinde preces & sacrificia indicenda per Poloniam & Litvaniam. *Ioan: Brictius in Vita cap. 29.*

Eodem

Eodem die obierunt.

3. Neapoli anno 1610, ad immortales transiit P. Petrus Albizius, eximiæ sanctitatis famâ clarus. Episcopus Acernatum dicere solebat: mira se de Patre Petro proditurum, si illi superstes esset: sed prior obiit, & Pater sua se humilitate & abnegatione constanter involvit. Sacrificabat inter liquidissimas cœli voluptates, divina patiens, & subinde à terra sublimis. Singulari pollebat arte, & industriâ tractandi animos. Trecentis plures numerati sunt, quos laqueis sæculi expeditos, ad varios transtulit Ordines Religiosorum. *Sanctus occultus. Felicitas in dirigendo ad statum religiosum*

4. Ibidem anno 1622 P. Guilielmus Levesquius, Gallus, Mortem oppetiit multò antè prædictam notabili vaticinio: quod scilicet moriturus esset quarto pòst anno, pridie quàm BB. Ignatius & Xaverius in Sanctorum numerum rite referantur. Veritatem vaticinii probavit eventus. Morbos pellere, cordiumq; arcana introspicere, res illi fuit non rara: sed magis eum commendavit defæcata & solida virtus. *Vaticinium de tempore mortis*

4. Viennæ in Austria anno 1662 P. Joannes Gans, Germanus, concionandi & hæreses insectandi dote excellens. A Ferdinando III. Imp. in concionatorem & conscientiæ directorem adscitus, magna cum laude munus utrumq; sustinuit. Ipso potissimùm annitente promotus insigniter est cultus & honor DEiparæ V. Immaculatæ Conceptionis, posita in foro Viennensi ejusdem statuâ, & inductis Universitatibus ditionum hæreditariarum, ad juramentum pro defensione piæ sententiæ. *Soutvellus in Biblioth.* *B. V. cultus promotus.*

XII. MARTII.

1. CElebrata est in Urbe, anno 1622, à Gregorio XV. Pont. Max: solemnis canonizatio SS. Ignatij & Francisci Xaverij: pro qua à multis annis institerant Ferdinandus Imp: Henricus IV. & Ludovicus XIII. reges Christianissimi, Philippus II. & III. reges Catholici, Sigismundus III. rex Poloniæ, & complures alij principes; præ omnibus autem DEus ipse, ingentium miraculorum gloria Servos suos orbe toto clarificando. In perennem hujus beneficij memoriam & gratitudinem, sancitum est: ut hac die singuli Sacerdotes offerant S. Missæ Sacrificium, & qui Sacerdotes non sunt Coronam Marianam. *Canonizatio S. Ignatii & Xaverii. Gratitudo Societatis pro eo beneficio.*

2 Sacrum hunc Apotheoseos suæ diem S. Xaverius insigni miraculo illustravit anno 1658: quando Maceratæ in Italia Alexandrum Philippuccium è Societate Scholasticum, desperatæ valetudinis, repentina sanitate donavit. Miraculum, post diligens examen, agnovit Episcopus Maceratensis, ac typis vulgari permisit. *Nadasi in Indice Memor.* *Miraculosè concessa sanitas à S. Xaverio.*

3. Anno 1583 Gregorius XIII. pro incomparabili zelo suo dilatandæ Fidei & salutis animarum, Legationes varias expedivit in Orientem. Ad Jacobitarum Patriarcham Davidem, & ad Armenorum, Melchitarumque Patriarchas, atq; ad Hierosolymitanum Archiepiscopum missus Leonardus Abe- *Expeditiones variæ in Orientem.*

Abela, Sidoniæ Episcopus, genere Melitensis: cui è Societate additi tres. In Ægyptum expeditus Franciscus Saxus noster. Hi omnes hoc die Româ profecti, Venetias prosperè attigere. Hic relicto Saxo, qui rectâ Alexandriam profecturam navim opperiebatur; cæteri navi conscensa, in qua & Dux Olicensis ac Nesuisiensis Nicolaus Radivilius, cum duobus è Societate itinerum comitibus vehebantur, feliciter Cyprum, ac subinde Montem Libanum tenuêre. Ibi optimè jam compositas res Maronitarum invenerunt, atq; ipsum Patriarcham cum Monachis, prælata Cruce obvium habuerunt. Inde inter summa pericula ad Jacobitas profecti ritu peregrinantium Episcopus & P. Leonardus Sanctangelus, ne quidem in conspectum Patriarchæ admissi sunt, sed per Episcopum quendam expediti cum declaratione; à populo Dioscorum, quem omnes pro Sancto colebant, nunquam deserendum. Cùm Armenorum Patriarcha, in observantia Sedis Apostolicæ Romanæ, confirmato, feliciùs transactum; qui etiam ad P. Generalem Claudium humanissimas dedit literas. *Sacch. p. 5. hist. Soc. lib. 3. n. 25. & seqq.*

Iacobitæ Dioscorum sequuntur.

Armenorum Patriarchæ litera ad P. Claudium.

Eodem die obierunt.

P. Gottifredi brevis Generalatus.

4. Romæ anno 1652 P. Alexander Gottifridus Præpositus Generalis IX. Ostensus Societati tantùm fuit in eo fastigio, nec tanto bono frui licuit: nam altera & quinquagesima die ab electione sublatus est. Recenter natum Paulus V. Pont. Max. ex aquis lustralibus suscepit patrinus. Nobilitatem ejus, & pace & bello olim inclytam, si quis extolleret, respondebat: *Nobilitas vera, est vera humilitas.* Vir fuit serij, ac ad omnia accuratè agenda vehementer intenti ingenij: nihil obiter agebat, nihil agi volebat. Incredibilis ei erat commoditatum corporis contemptus, animo semper ad magna & æterna eminente; paternus erga quasvis nationes animus; & parata erga petentes, rerum potiùs, quàm verborum officia. *Cælestis cujusdam mixturæ vir* quibusdam est dictus.

Humilitas vera Nobilitas.

Vir cælestis mixturæ.

Veritatem, ne odium pariat, candor & modestia commendare debet.

5. Maditi in Hisp. anno 1633 P. Hieronymus de Florentia, Hispanus; Ecclesiastes ingenio, facundia, sed maximè veritatis oraculis præstans. Audiebatur magno cum gustu à Philippo III. rege, palàm testante: A nullo mortalium toties, tamq; apertè sibi veritatem dictam: quæ tamen ob singularem dicentis modestiam & candorem, odium non pariebat, sed potiùs authoritatem. In supremo agone idem Rex illum sibi adesse voluit; observataq; ejus circa se solicitudine & indefessâ diligentiâ, monuit: ut aliquid à se postularet. P. Hieronymus, & sui & Societatis oblitus, respondit: *Non aliud se flagitare, quàm ut Rex, quantis posset viribus, incumberet in perfectæ Contritionis actum eliciendum.* Dignum non vulgari Jesuita responsum.

Postulatũ Patris de Florentia à rege moribundo.

Carcer Anglicanus 20 annos toleratus.

6. Audomari in Belgio anno 1604 Rudolphus Emersonus, Anglus, carcere corporis solutus est, post fortiter pro fide toleratas Anglicani carceris ærumnas per ipsos annos viginti. *Tanner. in Soc. apost. Imit.*

Humaniores literæ annis 50 traditæ.

7. Madridii in Hisp. anno 1609, P. Gaspar Sanchez, rude donatus est, post traditas magnâ diligentiâ & laude literas humaniores totis quinquaginta annis.

8. Ro-

8. Romæ anno 1633 P. Cornelius Cornelij à Lapide, recentiorum Sacrarum Scripturarum Interpretum facile princeps, natione Belga. Magno ingenio, magnoq; labori, magnum junxit religiosæ perfectionis studium. Unde cùm eruditissimos in omnem S. Scripturam (præter Psalmos & Job, quos morte præventus non absolvit) confecisset Commentarios, cum Salomone tamen dictitabat: *Verè, & in conscientia mea, stultissimus virorum ego sum; & sapientia hominum non est mecum.* Soutvellus in Bibl. Soc. *Humilitas erudita.*

XIII. MARTII.

1. ANno 1533 Parisijs in Collegio S. Barbaræ, S. P. Ignatius, completo Philosophiæ cursu, ejusdem laureâ insignitus est Doctor. *Nadasi in Indice memoriali.* Obtinuit & alteram ibidem eamq; pretiosiorem lauream heroicæ patientiæ, quâ se comparavit ad sustinendam infamem publicam castigationem, eò quòd pijs colloquijs & monitis condiscipulos ad studium virtutis, & solidæ pietatis cultum excitaret. Sed avertit DEus hoc probrum à servo suo, atq; Rectorem Collegij Jacobum Goveam subitò permovit, non solùm ad revocandum decretum iniquum; sed etiam ad deprecandum publicè & cum lacrymis Ignatium. Hic est ille Govea, qui postea Joanni III. Lusitaniæ regi author fuit: ut in conversionem Indiarum Ignatij Socios adhiberet. *Bartoli in vita S. Ignatii lib. 1. n. 40.* *S. Ignatius Parisijs Philosophica laureâ insignitus.* *Adversarius in Patronum mutatus.*

2. Romæ anno 1598, undecimus & postremus habitus est cœtus Consultorum & Examinatorum doctrinæ P. Molinæ, numerataéq; iterum sunt decem ejus assertiones damnabiles. Decretum deniq;: Censemus, è re Catholica esse, ut liber, qui inscribitur *Concordia liberi arbitrii cum gratiæ donis*, compositus à Ludovico Molina, & ejus doctrina omninò prohibeatur. Atq; idem censemus de commentarijs ejus in primam Partem S. Thomæ, quousq; saltem purgentur &c. Sententia hæc, utpote ab hominibus sinistro affectu præoccupatis præcipitata, effectum alium non habuit: quàm ut Clemens Pontifex, miratus tam celerem de re gravissima sententiam, mandaret librum Molinæ iterum & maturiùs expendi. Quod enim examen nec anni spatio confici poterat: absolverunt illi intra menses duos & paucos dies. *Eleuther. hist. de Auxil. lib. 3. cap. 3. & 4.* *Decretũ Censorum contra librum Molinæ non probatum Pontifici.*

3. Ex Hispania in Floridam, Americæ regionem barbaram, Martyrumq; feracem, solvit hoc die anno 1568 P. Joannes Bapt. Segura cum Socijs quinq;, adolescentibus 8. Societatis Candidatis, & quinq; Floridanis, in Hispania Baptismo initiatis. Quod subsidium opportunissimè venit rei Christianæ in illis terris valde laboranti. *Sacchin. hist. Soc. p. 3. lib. 4. n. 298.* *Expeditio in Floridam.*

Eodem die obierunt.

Febris translata redit ad prius hospitium. 4. Duaci in Belgio anno 1633 P. Joannes Robe, Scotus, in Missione Scotica & Hollandica multis perfunctus laboribus. Quartana febri laborantem, ut pristinæ valetudini & Evangelicis laboribus redderet pia quædam Virgo: petiit à DEo, febrim Patris in se transferri. Impetravit. P. Joanni reddita est sanitas, illa menses 4 febri afflicta: quam cùm nimis pertinacem videret, temeritatis se damnavit, quasi nescisset, quid peteret. Nec mora: puellam febris deseruit, Patrem iteratò corripuit, & extinxit.

Mortificatio rigida. 5. Moricæ in Sicilia anno 1648, P. Fabius Justinianus, Græcus. Morte non inopinatâ, nec ingloriâ defunctus est, post operosas plurium annorum Missiones per insulas Cyclades. Cùm aliis prædicaret, ne reprobus ipse fieret, cruda severitate corpus castigare non destitit. Somnum capiebat vestitus, totoq; triennio non deposuit cilicium è ferreis catenulis contextum. In extremo morbo ægrè illi persuasum, ut deponeret loricam illam: verùm ferreis instrumentis opus fuit, ut extraheretur è carne. Cadaver ne à pio populo direptis vestibus, planè nudaretur, in sacrarium deferri debuit.

Missionarius Sinensis præstans. 6. Pechini apud Sinas annò 1630 P. Joannes Terentius, Germanus. Societatem ingressus est jam tunc celebris per totam Germaniam Medicus, Philosophus & Mathematicus. Virtute maturus Apostolico muneri, adiit Sinas, ibiq; ad mortem usq; fructuosissimè laboravit, plurimorum animabus salutaris per occasionem corporibus medendi. Calendarium Sinense cùm corrigendum esset, primus Imperatori propositus est ad id muneris P. Terentius, à quo Pechinum evocatus, cùm se ad laborem illum accingeret, quievit in Domino. Cùm Indiam, Bengalam, Summatram, Cocincinam & Imperium Sinense peragrâsset: ubiq; naturas peregrinarum plantarum, mineralium, animalium & hominum diligenter observavit; atq; ex his observationibus duos ingentes Tomos confecit, quos vocavit *Plinium Indicum*. Soutvellus in bibl. Soc. *Plinius Indicus*

Libri contra hæreticos copiosi 7. Moguntiæ in Germania anno 1665 P. Melchior Cornæus, Germanus, vir multarum palmarum, præsertim ab hæreticorum impugnatione reportatarum, quos compluribus libris acerrimè exagitavit; viginti sex recenset idem *Soutvellus in Bibl.*

XIV. MARTII.

Admissio ad Societatem sine restrictione conceditur. 1. PAulus III. Pont. Max. cùm anno 1540 primùm approbaret Societatis Institutum, tanquam digito DEi, mirabilium patratore, formatum; restrinxit numerum personarum ad sexaginta tantùm. At ubi experimentis quotidianis comperit: quanta per pusillum hunc gregem pro Ecclesiæ bono DEus operari dignatus est; concepta spe non vana longè amplioris commodi proventuri Ecclesiæ, si in partem laborum plures venirent operarij; laxavit fines præscriptos, & per Bullam, *Injunctum nobis desuper &c.* anno 1543, licentiam concessit; quosvis idoneos sine restrictione numeri admittendi. *Bullar. Soc. Orland. hist. Soc. p. 1. lib. 4. n. 2.*

2. In India anno 1544, S. Xaverius epistolam dedit ad P. Mansillam, qua se probavit non solùm comem & suavissimum in conversatione: sed etiam, instar Apostoli Pauli, rigidum in vindicandis inveteratis delictis. Severè còërceri vult, & còërciturum se, ubi advenisset, promittit ebriosos Patangates, præsertim mulieres, quæ potu Orracha dicto, se ingurgitabant. Minatur, se jussurum vinctos abduci Cocinum viros: unde nunquam sint in patriam redituri. Talem aculeum habuit apis illa. *Epist. novar. l.1, ep.10.* *S. Xaverij severitas in ebriosos.*

3. Eodem tempore Domûs Professæ Romanæ construendæ, opportunissimo loco, facultas oblata est præter omnem spem; propè divinitus. Visitaverat Urbis Ecclesias Salassiorum Episcopus, Philippus Archintus, Vicarius Romani Pontificis per Urbem, deprehenditq; non procul ab Arce Romana, seu Capitolio, desertam Ecclesiam curialem, quam unica mulier custodiebat, Curione in aula & obsequiis Ducis Placentini commorante. Refert ergo ad Pontificem, insinuatq;: eam Ecclesiam cum domo sua & horto opportunam videri Societati, ad id temporis adhuc in alieno hospitanti. Pontifex Societatem, tanquam partum suum complexus, eas ædes offert Ignatio, translata animarum curâ Parochiali ad aliam vicinam S. Marci Ecclesiam. Hæc ubi Romæ geri didicit Curio ille Ecclesiæ desertor, magnis passibus advolavit, grandem litem moturus Ignatio. Sed eam DEus citò diremit. In itinere collapsus, quo vehebatur, equus, miserum oppressit, extinxitq;. Sic vacuus possessore locus, nemine contraveniente cessit Societati. *Orland. cit. n.4.*

Eodem die obierunt.

4. Dolæ in Burgundia anno 1623, P. Valerius Reginaldus, Burgundus. Quàm excellens doctrinâ, tam humilis fuit in conspectu suo. Præclarum opus, quod in materia Theologiæ Moralis elucubraverat, & etiamnum in usu & honore est, tam vile putavit: ut alienum illi nomen cogitaret præfigere, ne qua labes inde in Societatem redundaret. Nunquam verbo offendisse, visus est: si tamen existimaret, durius aliquid sibi excidisse, humili deprecatione corrigere studebat. Vocatus ad portam domûs, non redibat ad cubiculum, nisi salutatâ & adoratâ Ven: Eucharistiâ. Magna illi frequentiâ parentatum est: multiq; primarii & religiosi viri, eos in animo senserunt motus; ut se illi magis, quàm illum DEo commendarent. *Sermo cautus & castigatus.* *Ven. Eucharistiæ veneratio.*

5. Romæ anno 1631, P. Virgilius Ceparius, Italus, concionator disertus & solidus, in provehendis animabus ad perfectionem dexterrimus. S. Maria Magdalena de Pazzis, cùm Rector esset Florentiæ, ipso utebatur Confessario: quæ de ipso testata est, quòd in quadam Exhortatione, quam domi ad Socios habuit, Spiritus Sanctus illi verba omnia, quæ protulit, formaverit in ore. Inter alia scripsit Vitam ejusdem Sanctæ, S. Franciscæ Romanæ, B. Aloysii Gonzagæ, & Joannis Berchmans S. J. *Exhortationē dictat Spiritus S. P. Cepario.*

6. In Hispania anno 1579, P. Antonius Lopez Hispanus, cùm ab Ordinibus Sacris susceptis Granatam rediret; à Mauriscis grassatoribus in via internectus & concisus est cum 4 aliis religiosis. Causam cædis fuisse non tam lucri cupiditatem, quàm Fidei odium, intellectum est postea, quando homicidæ capti & supplicio affecti sunt. Cadavera spoliata & vulneribus fœda, cùm non possent aliud ab alio internosci; P. Antonius agnitus est ex libello Examinis particularis, quem secum tulerat, & in via quoq; utilissimum illud Societatis exercitium non intermiserat.

XV. MARTII.

S. Xaverius Philosophiæ Magister creatus

1. ANno 1530 S. Franciscus Xaverius Parisijs Philosophiæ Magister creatus, eandem per tres annos cum dimidio, præcipua cum ingenij commendatione, publicè professus est. *Nadasi in Indice Memor.*

S. Xaverij suffragium pro Præposito Generali.

2. Idem Sanctus, antequam proficisceretur in Indiam, reliquit Romæ obsignatum chirographum hoc die scriptum, cum suffragio suo, quem vellet Societatis universæ Præpositum Generalem. *Ego Franciscus*, inquit, *dico & affirmo: me censere ex animi mei conscientia, eligendum in Societatis nostræ Prælatum, cui omnes obedientiam præstemus, antiquum nostrum Prælatum, & verum Patrem D. Ignatium: qui ut suo non exiguo labore nos collegit, ita omnium optimè nos conservaturus est, recturus, & semper in meliora provecturus; ut qui penitius omnibus nos nôrit. Et post mortem illius, loquendo ex animi mei sententia, ut si mox essem moriturus, judico eligendum P. Magistrum Fabrum: & in hac parte DEus mihi est testis, me non aliter loqui ac sentio. In cujus fidem subscribo manu propria. Romæ anno 1539 15. Martij. Franciscus.* Bartoli in Vita S. Ign. lib. 2. n. 48.

3. In Hispania Valentiæ ad hunc diem cõmoratus P. Araozius an: 1545, profectus est Gandiam ad Ducem Borgiam. Egerat autem Valentiæ negotiũ salutis animarum tam strenuè: ut bis terve in diem ad populum diceret, nec templa caperent confertissimum populum, fenestras etiam, & tecta vicina insidentem. Ea audiendi erat aviditas: ut duabus ternisq; horis producta concione, non fatigarentur. Facilis inde fuit ad fundandum ibidem Collegium progressio. *Orland. hist. Soc: part. 1. lib. 4. n. 124.*

Eodem die obierunt.

Victima fidei.

Rex cũ proceribꝰ baptizatꝰ

Corpus P. Sylveriæ crocodilos mansuefecit.

4 Monomotapæ in Africa, anno 1561, P. Gonsalvus Sylveria, Lusitanus, qui illustrissimos natales ornavit purpurâ Martyrum. In Cafraria, genti maximè barbaræ prædicavit Evangelium, Regemq; Monomotapæ potentissimum, cum Matre sua & plurimis proceribus sacro fonte expiavit. Sed rege paulò pôst per sacrificulos Mahometanos, & quosdam magnates, perverso; ejus jussu strangulatus est. Corpus P. Consalvi in amnem projectum, crocodilos in illo latentes mansuefecit, ut deinceps hominibus noxii non fuerint: locum verò, in quo demersum fuit, cælesti luce

DEus

DEus illustravit. Cùm autem ad litus devolutum esset, aquilæ quinq; adfuerunt custodes, ne à bestiis violaretur. Ad mortem tam gloriosam disposuit se P. Gonsalvus insigni morum innocentiâ, tantoq; religiosæ perfectionis studio: ut absq; Martyrii gloria, inter Sanctos Confessores adscribi mereretur.

Custoditur ab aquilis.

5. Ulyssipone anno 1575, P. Ludovicus Consalvius à Camera, Joannis & Sebastiani Lusitaniæ regum Confessarius gratissimus in Europa, & operarius indefessus in Africa. A rege Joanne III Romam fuit missus, ut tacitè accurateq; observaret modum agendi & virtutes S. Ignatii: cui P. Ludovicus perquam familiaris fuit, viditq; illum non rarò cœlesti lumine circumfusum. Quanti fecerit rex Sebastianus suum hunc Confessorem & Instructorem, audita ejus morte declaravit: quando diem totum jejunus transegit, quinq; dies in luctu atratus exegit, & visitato defuncti sepulchro, sacrum exequiale in præsentia sua celebrari curavit.

S. Ignatij gesta & dicta observari jussa à rege Lusitaniæ.
Mortem P. Consalvii luget rex Lusit. atratus.

6. Hispali in Hispania anno 1632, P. Didacus Ruiz, quàm eruditus, tam studiosus perfectionis religiosæ. Theologiam editis Tomis 6, illustravit, culinam autem domesticam aliaq; viliora loca, stupendis humilitatis exemplis exornavit. Diebus, quibus à schola vacandum erat, laxamenti loco, orationis spatia extendebat. Mensibus singulis seponebat diem solidum, quo intima sua inspiceret, disponeretq; se ad diem Æternitatis, ad quem frequenter ardenterq; anhelabat: *O dies Æternitatis, quando te videbo!* Flexis genibus studebat, humili situ se disponens ad cælestia lumina recipienda.

Dies vacationum à scholis prolixiori orationi dati.
Mensib9 singulis delectus dies pro recollectione.
Æternitatis desiderium.
Studia flexis genibus.

XVI. MARTII.

1. ANno 1540 S. Xaverius, ordinante S. Ignatio, & benedicente Paulo III. Pontifice, cum Legato regis Lusitaniæ, Româ discessit in Lusitaniam, inde moturus in Indiam. Pridie monitus fuit à S. Patre, ut se ad hoc iter compararet. Apparatus totus in eo fuit: ut laceras vestes utcunq; sarciri curaret, Socijs valediceret, & Pontificiam benedictionem impetraret. Pontifex novum Apostolum opportunis monitis instituit: ut ad calcandas Apostoli Thomæ vias se mitti cogitaret; tanti prædecessoris conciperet spiritus, paratumq; gereret animum, ad consignandam Prædicationem Evangelij etiam sangvine fuso. His Xaverius ea, qua decebat, submissione, & alacritate ad currendam viam in orbem alterum, respondit, & Europam valere jussit. *Bartoli in Vita lib. 1. n. 7.*

S. Xav. Româ movet in Indiam.
Pridie monit9, ut se pararet pro hoc itinere.
Apparatus ad iter qualis?

2. Eodem die anno 1554 ejusdem Indiarum Apostoli corpus, cùm jam à laboribus Apostolicis quievisset, Goam advectum est, summo, qui fieri poterat, apparatu, nec sine manifestis miraculis. Navis enim, quâ vehebatur, vetustate ferè consumpta, & malè sarta, cùm propè Goam in celocem expositum esset corpus sacrum, & merces transportatæ: velut suo functa munere, illico sua sponte, mariq; tranquillo, demersa est. Sanitas compluribus ægris reddita. Sed admirationem maximè movit sacri corporis integritas

Corpus S. Xaverij defuncti Goam delatũ, integrum, succulentum & fragrans.
Prodigia multa patrata.

gritas, viva ſpecies, & cæleſtis, quam exhalabat, fragrantia. *Bartoli in Vita pag. 283. Orland. hiſt. Soc. lib. 13. n. 87. &c.*

3. In Hiſpania anno 1545 Valliſoletum pervenerunt è Luſitania PP. Petrus Faber & Araozius. Cùmq; in aulam Philippi principis regij, ex commendatione regis Luſitaniæ & Procerum, faciles aditus habuiſſent, & humaniſſimè excepti eſſent; utentes favore principis, fidenter ſe laboribus Apoſtolicis impenderunt apud omne genus hominum, magnâ virtutis ſuæ famâ. In hanc ſalsè jocatus Melchior Canus, notus Societatis amicus, ſparſit: Patres illos inſtructos eſſe herbâ quadam, cujus beneficio, etiam in converſatione cum teneriore ſexu, intaminati manerent. Avidus ſciendi, quid rei eſſet, miſit ad Araoſium Philippus princeps, ut aperiret ſecretum. Intellexit Araoſius, quid ageretur, reſpondità; rotundè: Eam herbam eſſe timorem Domini. Acceptum ſecundiſſimis auribus reſponſum, auxit Patrum æſtimationem. *Orland. hiſt. Soc. lib. 5. n. 60. & ſeqq.*

Timor Domini operariorū noſtrorum antidotum.

Eodem die obierunt,

4. In Nova Francia, Americæ regione anno 1649 glorioſa pro fide victima P. Joannes Brebeuff, Gallus. Dum Hurones, gentem à Gallis domitam, excoleret, ab Iroquæis barbaris captus, horrendis tormentis in odium fidei trucidatus eſt. Primùm evulſi ſunt ei ungues aliquot, & inflicta ſudibus verbera per ſingulas corporis partes; tum præciſæ manus, os contuſum lapidibus, lingua aduſta; deinde ſub alas & ad renes admotæ candentes ſecures, ignita collo appenſa collaria, circumdatum cingulum è pice & reſinatis corticibus: Joanne interea animo in cœlum elevato, omnia tolerante ſtupendo ſilentio, & corpore inter flammas immoto. Ubi verò cœleſtia loqui cœpit, os illi obſeptum circulo, labra concerpta, truncatus naſus. In baptiſmi ludicram imitationem, aqua bulliente totus perfuſus; deniq; alligato ad palum, quem peramanter amplexus eſt, detracta cutis de capite, amputati pedes, caro à coxis ad oſſa uſq; avulſa, mandibula ſecuri diffiſſa, ferro uſtæ plantæ, diſſectum pectus, cor evulſum & devoratum. Sic P. Joannes egregium ſpecimen dedit fortitudinis priſcorum Martyrum; ſed non minus illuſtre argumentum zeli veterum Confeſſorum. Appulſus enim ad illas regiones, neminem reperit Chriſtianum, moriens facile ſeptem millia reliquit.

Victima pro fidei gloria.

Patientia ſtupenda inter horribilia tormenta.

Laborum fructus.

5. Romæ anno 1626, Joannes Tibaldus, Coadjutor. Ex milite factus religioſus, totus fuit in deploranda prioris vitæ licentiâ: donec moneretur à Noviriorum Magiſtro, ut abſterſis lacrymis, lætiores de amore DEi ſuſciperet cogitationes. Sic purgato cæleſtes deliciæ pleno alveo ſe infuderunt, mirisq; gratiis ſervum ſuum dignati ſunt JESUS & MARIA. Ajebat, ſe à DEipara nullam unquam paſſum eſſe repulſam in iis, quæ petierat. Aliquando examen cum cæteris tyronibus inſtituenti, Chriſtus adfuit, velut ad excipiendas confeſſiones in ſede compoſitus; ſuggerebatq; Joanni errata, & remedia ad illa evitanda? Interea Joannes tantis affluebat animi deliciis, ut diceret: *Non amplius Domine, non amplius; quia emorior.* Monuit inſuper Chriſtus;

Poſt luctū pœnitentiæ conſolationes divinæ

stus; ut in dubiis confidenter recurreret ad superiorem, & dictis ejus acquiesceret. Aliàs laboranti in culina, Christus amabilissima specie se illi spectabilem exhibuit. Sed mox tam gravis menti incubuit tentatio: ut non solùm culinam, sed Societatem etiam deserere cogitaret. Quare ducto profundo suspirio, *IESV*, ajebat, *IESV bone, ne me desere.* Et JESUS respondit: *Habe fidem, quod ego sim Salvator tuus, & cognosce tuam superbiam, ac scito: quod sine me nihil possis facere.* Erubuit Joannes, & omnis abacta est, nec unquam rediit, tentatio.

XVII. MARTII.

1. ANno 1548 Socij decem Ulyssipone solverunt in Indiam, exigua turma, sed cujus singuli multorum vicem implerent. Eminebat inter cæteros Gaspar Barzæus, Belga, cui post Xaverium vix parem habuit India: Quid inter navigandum præstiterint, docuit exscensio facta in portu. Complures enim, qui ea classe vehebantur, ad pedes Xaverij provoluti, Societatem petierunt: inter quos navis unius Præfectus, alius Gubernator arcis cujusdam præcipuæ, insignis item Doctor Juris, & alij. Ad has cogitationes impulerunt illos tum vitæ discrimina inter navigandum, tum præcipuè Exercitia Spiritualia, quæ in itinere, obierunt. *Bartoli in Vita S. Xav. lib. 2. n. 45. & 46.*

Iter Indicum fructuosum.

2. In Europa electus est anno 1652 in Generalem Societatis Præpositum Decimum P. Goswinus Nickel, Germanus, post magna cum laude gubernata varia Collegia, & bis Provinciam Rheni Inferioris. P. Francisci Piccolominei Assistentem cùm ageret pro decem Provincijs, adeò se probavit: ut supremo chirographo ita scripserit de P. Goswino: *Societatem ei commendo, quem Vicarium nomino, & juratus judico aptissimum, P. Goswinum Nikel, Assistentem Germaniæ.* Vicarij Generalis munus tam laudatè gessit: ut post brevem P. Alexandri Gottifredi Præfecturam, plurimâ Patrum suffragatione eidem successerit. *Nadasi in Anno dier. Memor.*

P. Goswinus Nikel electus Præp. Gen.

3. In Indiam etiam anno 1567 suppetiæ missæ, quæ hac die solverunt Ulyssipone. Eminebat inter cæteros Socios P. Organtinus, celebre nomen in historia Indica: cujus is ardor fuit in ea provincia expetenda: ut datis ad Præpositum Generalem Franc. Borgiam literis scripserit: se vivere non posse, illa negata missione, præ æstu cordis & animi in sola cogitatione illius expeditionis intolerabili. Totum nihilominus cùm se obedientiæ permisisset, his verbis conclusit epistolam: *Quanquam, si negabitur Missio Indica, oportebit te, Pater, suppliciter rogare Dominum, ut hoc desiderium temperet. Nam ut nunc quidem est, tanto in æstu consistere diu vita non potest.* Multa & egit, & passus est in Japonia. *Sacchin. p. 3. lib. 3. n. 222.*

Missionis Indicæ ardens desiderium.

Eodem die obierunt.

Tormenta horribilia Christi causâ tolerata.

4. In Nova Francia anno 1649, P. Gabriel Lallemant, Gallus, P. Joannis Brebeuf, de quo heri, Socius laborum & tormentorum. Præter tolerata omnia, incredibili constantia, quæ heri narrata sunt, tormenta, acutis in corpus suffixis subulis excruciatus est P. Gabriel; oculi effossi, & in eorum cavitatem inserti carbones ardentes, totum deniq; corpus tostum, caro frustatim avulsa, & à barbaris devorata. Stupenda sanè in homine tenerioris complexionis virtus divinæ gratiæ, ad tanta fortiter constanterq; tamdiu toleranda. Solebat aliàs P. Gabriel se ipsum excitare, ac animare: *Age anime, pereamus sanctè: ut dulcissimo IEsu cordi vel sic jucunditatem, quam possumus, pariamus. Dignus est IEsus, pro quo aspera omnia perferamus*

Patiendi ardor purissimus amor

Operarius fervens in nube ascendit cœlum.

5. Mexici in America anno 1610, P. Ferdinandus Gomez, è Mexicano Curione operarius Societatis indefessus. Sequenti ab ejus obitu die, Religiosus Ordinis S. Dominici vidit, ex nostri Collegii fastigio candidam levari nubem, atq; Orientem versùs tendere, tum instar scalæ ad cœlum ferri. Quæ ille animo gestiente spectans, cùm intellexisset, P. Ferdinandum expirasse: ob vulgatam viri sanctimoniam non dubitavit, eum hoc schemate repræsentatum, in cœlum ascendisse.

Conciliorum Collectio Maxima.

6. Parisijs anno 1667, P. Philippus Labbe, Gallus, celebris & copiâ & mole librorum editorum. Conciliorum omnium Collectionem Maximam edidit Tomis 17 in folio: quorum quatuordecim in lucem emisit ipse, reliquos P. Gabriel Cossartius. Opus palmare, & tantis viris dignum. Sed quod magis mirandum, præter vastos illos Tomos, plurimos alios in varia materia libros non tenues edidit Labbæus: Soutvellus in biblioth. Soc: recenset tres supra sexaginta. Rarus certè, qui vel obiter tot perlegerit volumina.

Librorum editorum ingens copia.

XVIII. MARTII.

S. Xaverius petit methodum agendi in India

1. S. Franciscus Xaverius, cùm in procinctu esset, adeundi Apostolatum suum in India, Ulyssipone anno 1541 geminas Romam dedit literas, Alias ad S. Ignatium & P. Codurium; aliàs ad PP. Jagum & Laynez. In prioribus informat inprimìs de eximio Regis erga Societatem, & Indorum salutem affectu, totâq; aulâ ipsius ad singularem pietatem compositâ. Deinde orat obnixè & repetitis precibus: ut sibi & duobus Sociis in Indiam ituris, Ignatius & Codurius præscribant accuratè & minutim modum procedendi in Conversione gentium illarum. *Etsi enim non diffidimus, quin nos experientia ipsa præsens doctura & directura nonnihil in eo sit: præcipuam tamen spem intelligendi, quid in hujus totius administratione negotij, potissimùm DEo cordi sit; in suggestione admonitioneq; vestra ponimus.* Ad hanc suppliciter petendam, dicit se compelli metu: ne hujusmodi subsidijs humanis neglectis, DEus sibi subtrahat lumina & auxilia necessaria & efficacia; prout solet subtrahere iis, qui vel ex incuria, vel ex animi præfidentia & tumore, negligunt consilia aliorum, præsertim Superiorum &c. *Epist. novarum lib. 1. epist. 7. & 8.*

Consilia humana, præsertim superiorũ, neglecta, privant lumine Divino.

2. In

2. In hunc diem cùm incidat festum S. Gabriëlis Archang: juvat recolere disertam ab ipso factam cuidam religiosiori personæ cōmendationem Exercitiorum Spiritualium S. Ignatij, an: 1600 in Hispania. Cùm enim illa proposuisset, animum excolere prædictis Exercitijs; laudavit Archangelus ejus propositum, addiditq;: Singulare obsequium per hoc Reginæ nostræ præstabis. Significat enim tibi: se fuisse & esse, Patronam & Fundatricem illorum Societatis Exercitiorum; seq; adjuvisse, ac docuisse S. P. Ignatium, ut ita fierent. *Nigronius Tract. 6. de Exerc. spirit. cap. 4.* *Exercitiorum S. Ignatij Patrona & Fundatrix DEipara V.*

Eodem die obierunt.

3. Apud Cosanes in America, anno 1611 P. Raphaël Ferrer, Hispanus, à barbaris, quos ad fidem erudiebat, de ponte præcipitatus & demersus. Quadringentos Christo subjecit, & oppida tria condita civibus implevit. Zelus ejus contentus non fuit quibusvis Missionibus, sed maximè arduas appetebat. Insigni dono lacrymarum præditus, quoties vel sacrum diceret, vel litanias aut alias preces recitaret, vel librum spiritualem legeret piis lacrymis diffluebat. Ex aliorum quoq; oculis eas eliciendi artem callebat. Confluxerat aliquando populus ad profanum spectaculum, neglecta Ecclesiâ: ergo P. Raphaël Crucifixo arrepto in scenam provolavit, tamq; acri oratione spectantes concussit, ut communi comploratione coorta, omnes à spectaculo discesserint. *Victima fidei.* *Appetitus magis arduorum.* *Spectaculū profanum discussum.*

4. Cadurci in Gallia anno 1632, P. Jacobus Roche. Erga Ven. Eucharistiam piissimè affectus, cum in ætate juniore vi morbi ad extrema esset redactus, ardenter petiit, illam sibi quantocyus ministrari, non tam ut Viaticum, quàm ut pharmacum. Illâ pastus, illico convaluit, cum stupore medicorum. Divino amore adeò æstuabat: ut ex ore loquentis de divinis, viderentur scintillæ prosilire, & audientium corda succendere incendio beatissimo; quo utinam omnes conflagraremus. *Eucharistia medica.* *Ardor loquentis de divinis.*

5. Mexici in America anno 1640 P. Alphonsus Guererus, Hispanus. Orationi & meditationi mente tam attenta inhærebat: ut excitator matutinus in medio cubiculi flectentem, atq; à terra sublimem, repererit. Ægrotorum tam amantem se præbuit, ut cùm pro nulla alia re facultatem generalem peteret; pro hoc solo obtinuerit, ut infirmos invisere posset. Æger ipse, gratias DEo agebat, & identidem ingeminabat: *Domini sumus Domini sumus.* Tandem, *Valde,* inquit, *sitio: sed DEo gratia; quod tam prope absimus à fonte aquarum viventium.* In lectulo ergo se composuit tanquam moriturus, Sociosq; sui securos jussit ad quietem se recipere. Manè repertus est requievisse in pace.

6. P. Joannes Bonifacius, Hispanus Villagarciæ anno 1606. Annos amplius 40. docuit Grammaticam. Huic erat Germanus frater, alumnus religiosi Ordinis; munia concionatoris, Doctoris, Provincialis, & siqua sunt alia in religiosis familiis honestamenta, consecutus. Ille cùm fratrem longo intervallo viseret, miratus est, ipsum in ludi litterarii pulvere tot jam annos sepultum jacere. Siccine inquit, ætatem tuam, frater, doctrinam, ingeniumq; contemni? commissum oportet à te aliquid gravius, cujus pœnam luas. Cui Bonifacius subridens retulit, magna censeri apud nos munia, quæ despiceret. Se hanc scholam theologicis, in quibus docere potuisset, *Grammatica diu docta fructus.*

cathedris prætuliſſe. Tum fratrem deducit in cubiculum, ac libellum è ſcrinio promit, in quo deſcripta legebantur nomina præſulum, procerum, & religioſorum in primis virorum, amplius mille ac ducentorum, qui è ſua diſciplina prodiiſſent: & his, inquit, radicibus adeo humilibus & obſcuris nituntur illæ arbores, quarum fructus ad publicam utilitatem tam longè lateq; pertinet. *Iuvencius fol.* 446.

XIX. MARTII.

Inter Ordines Prædicatorum & Societatis, diſſidentes quoad doctrinam de Auxilijs Gratiæ, concordiam promovet rex Hiſpaniæ.

1. CReſcentibus in Hiſpania deſidijs, inter Sacrum Prædicatorum Ordinem & Societatem, ratione doctrinæ Molinianæ de Concordia Gratiæ cum libero arbitrio: ad ea componenda, noluit ſapientiſſimus rex Hiſpaniæ Philippus II, ſuam deeſſe operam. Inprimis per literas Ordinis Provinciales convenit: ut omni ſtudio concordiam inirent, pacemq; colerent. Cùm nihilominùs Burgis, Palentiæ, Valliſoleti, Salmanticæ & alibi, adverſarij graviter invecti eſſent & publicè in doctrinam Societatis: evocavit ad ſe Provincialem PP. Dominicanorum, & Viſitatorem Societatis P. Garziam Alarconium, juſſitq;: ut uterq;, inito cum ſuis conſilio, deligerent, ac ſcripto ſibi traderent Media quædam, quæ traderent efficacia ad pacem & amicitiam conciliandam, ſervandamq;. Quæ poſtquam rex attentè perlegit; ſuggeſſit & ipſe, pro exquiſita ſua prudentia, conſtituitque quædam ab utriſque ſervanda: quæ ipſis per Confeſſarium ſuum, Didacum Jepez, ſcripto tradidit hoc die, anno 1596. 1. Utrobiq; præficiantur Collegijs & Univerſitatibus Lectores bene affecti erga doctrinam S. Thomæ; malè affecti removeantur. 2. Donec aliud ſtatuatur, religioſi unius Ordinis non eant ad diſputationes alterius. 3. Nemo qualificet doctrinam alterius tanquam erroneam, hæreticam, &c. 4. Si quis contra hæc peccâſſe deprehendatur; quantocyus ad regem deferatur, ſi non fuerit à ſuis Superioribus ſeveriſſimè caſtigatus. Hæc rex pacis ſtudioſiſſimus, ordinavit, meliore affectu, quàm effectu. *Eleuther. hiſt. de Auxil. lib.* 2. *c.* 28.

Favor Imper. Sinenſis erga legem Chriſt.

2. Apud Sinas anno 1692 obtulerunt Patres Pechinenſes libellum ſupplicem Imperatori Camhi, in corona Mandarinorum primi Ordinis pro tribunali ſedenti: quo querebantur de perſecutione excitata à prorege in provincia Chekiam contra Chriſtianos, & Chriſtianæ legis prædicatores; opemq; ſuæ Majeſtatis implorabant, ac inſuper petierunt abrogationem Decreti contra Chriſtianam religionem lati tempore univerſalis perſecutionis. Non ingratus fuit Suæ Majeſtati libellus, quia ab ipſamet in favorem Legis Chriſtianæ & noſtrorum compoſitus. Ut tamen ſervaretur ſtylus Curiæ, remiſit eum ad Tribunal Rituum: à quo cùm non ſatis favorabile

bile decretum emanâſſet; iterum cum magna indignatione eum remiſit ad idem Tribunal, accuratiùs recognoſcendum. Quo factum eſt, ut tandem libertas prædicandi & ſuſcipiendi Religionem Chriſtianam, per totum Imperium ſit conceſſa publico & univerſali Imperatoris edicto. *Ex literis P. Thomæ Pereira Romam datis ad P. Gener. anno eodem.*

Eodem die obierunt.

3. Pariſijs anno 1626 P. Petrus Cotonus, Gallus, unum è majoribus Societatis Gallicanæ luminaribus. A rege Henrico Magno aſſumptus in Eccleſiaſten, ita placuit: ut ei etiam arcana conſcientiæ crederet; ac ſuo illum curru ad templum vexerit, manuq; prehenſum, ſuggeſto, ut concionaretur, admoverit. Delphini quoq; inſtitutionem ei commiſit, parabatq; virum ad Arelatenſem Archiepiſcopatum, & purpuratum Eccleſiæ Senatum evehere. Sed ille tam ſcitè tamq; validè eos honores eſt deprecatus: ut hoc ipſo deinceps fuerit regi pretioſior. Erat Cotonus cuivis par muneri, & ſcientiarum excellentiâ, & eminentis virtutis merito, & ſingulari agendi dexteriatte efficaciâq;. Ex aulæ fumis & illecebris ita nihil prorſus illi adhæſit: ut paſſim *Bonus aulæ Angelus* diceretur. Animum ejus DEo ſemper inhærentem, nulla inter orandum turbabat diſtractio; zelum, quo inſectabatur hæreticos, nulla extinxerunt pericula, etiam gravi vulnere per ſicarium accepto. Et vivum & mortuum non paucis prodigioſis gratiis honoravit DEus & Angelus Cuſtos.

P. Petrus Cotonus ab Henrico Magno honoratus.

Contemptꝰ honorum.

Aulicus innocens.

4. Poſonii in Hungaria anno 1637, magnum extinctum eſt lumen Eccleſiæ & Societatis Petrus Cardinalis Pazmanus, Hungarus. Purpurâ & Archiepiſcopatu Strigonienſi, ſcientiam virtutemq; ejus condecorârunt Urbanus VIII. & Imperator: ut labenti Eccleſiæ Pannonicæ validos ſupponeret humeros. Nec fefellit ſpem de ſe conceptam. Clerum accuratiſſimè reformavit, multos proceres Eccleſiæ reſtituit, tum verbo ſuavi pariter ac potenti; tum editis nitido ſtylo patrio libris. Collegium Societatis, quam ſemper ut matrem amabat, honorabatq; Poſonienſe, Academiam Tyrnavienſem, Seminarium Clericorum Viennæ, Conventum Patrum Franciſcanorum in Arce nova, Cœnobium S. Claræ Poſonii, inſigni munificentiâ fundavit; ubiq; zeloſus, magnificus, &, quod magis mirum, humilis.

Card. Petrus Pazmanus.

Zeloſꝰ pro Eccleſia.

Humilis magnificus.

5. Goæ in India Orientali anno 1634, P. Antonius de Andrade, Luſitanus, indefeſſus per regnum Tibet Miſſionarius. Veneno propinato à quodam hæretico, extinctus eſt: ſed DEus ſepulchrum ejus fecit glorioſum, tum perſanatis ægris, tum vivâ effigie P. Antonii, in ſuperimpoſito marmore, relucente, tamq; altè marmori impreſſa: ut deleri & eradi non potuerit.

XX. MARTII.

1. ANno 1544 Manapare epiſtolam dedit S. Xaverius ad Franciſcum Manſilam in Comorinum: in qua ſtimulat ipſum ad proſequendos Apoſtolicos labores, ad quos aſſumptum eſſe, raræ felicitatis eſt. *Tene*, inquit, *ſemper demiſſum ante DEum animum, in dulci ſenſu perpetuæ gratiarum actionis: quod elegerit te, in officium tam ſublime, quàm iſtud eſt, in quo verſa-*

Miſſionariorũ officium ſublime.

versaris &c. Epist: novarum lib. 1. epist. 11.

Disputationes de Gratia ad suum tribunal revocat Clemens VIII.

2. In Urbe, cùm Controversia de Auxilijs Gratiæ, & doctrina Molinæ, primùm agitata apud Consultores à Pontifice designatos, deinde apud Cardinalem Madrutium & ipsius Assessores, procul videretur abesse ab optato fine: Pontifex Clemens VIII, anno 1602, ad summum Tribunal suum revocandam censuit; voluitq; in Vaticano palatio ipse adesse disputationibus ut arbiter supremus & judex. Prima igitur hoc die habita est coram Pontifice disceptatio, partes PP. Prædicatorum agente Didaco Alvarez, Societatis Gregorio de Valentia. Pontifici assidebant Cardinales duo, Pompejus Arigonius, & Camillus Burghesius, qui post Clementem Pontifex fuit Paulus V. Episcopi aderant complures, doctrinâ præstantes. Quæstio agitata fuit: *Quis majores vires ad bonum, libero arbitrio tribuat, S. Augustinus, an Molina?* Respondit P. Valentia: Molinam non majores tribuere vires libero arbitrio, quàm tribuerit S. Augustinus: nec ullas eidem negare, quas tribuit S. Augustinus. Utrumq; solidè ac prolixè probavit adductis testimonijs S. Augustini & Molinæ: & visus est, etiam adversarijs non diffitentibus, palmam obtinuisse. *Eleuther. hist. de Aux. lib. 5. cap. 2. & 3.*

Disputatio 1.

Molina nec majores nec minores tribuit vires libero arbitrio, quàm S. Augustinus

Sodalitas pœnitentiū instituitur operâ P. Augerij.

3. In Gallia anno 1583 Henricus Rex, datis manu sua bis literis, ad se Lutetiam evocavit P. Edmundum Augerium: ut ejus operâ uteretur in condenda, quam moliebatur, Sodalitate Pœnitentium. Hoc die initium illi factum est admodùm speciosum. Nam præter ducentos, & ampliùs è prima nobilitate, Rex ipse, Principes 12, Cardinales 6, Duces 3, Episcopi 16, in eam nomina dederunt, & in saccis pœnitentium publicè apparuerunt, stupente populo. *Sacchin. p. 5. lib. 3. n. 103.*

Eodem die obierunt.

Puer radijs circumfusus.

4. Romæ anno 1597, P. Jacobus Tyrius, Scotus, Germaniæ Assistens. Ex ejus adhuc pueri, capite visi sunt radii quidam promicuisse, futuræ sanctimoniæ prodromi. Operam navanti Logicæ in Collegio Romano, nimiumq; literis addicto, spectabilis adfuit S. P. Ignatius, graviterq; redarguit: quòd languente virtutum studio, ex orandi tempore aliquid ad studendum decerperet, ignobili & damnoso furto. Monitum conclusit hoc epiphonemate: *Iacobe, plus de virtute, minus de scientia.* Resipuit Jacobus, DEoq; & virtuti integrè tradens quæ DEi sunt, evasit in virum virtute & scientiâ præstantem.

Magis Virtuti, quàm scientijs studendum.

Liberalitas profusissima, in egenos Patris Brignole.

5. Genuæ in Italia anno 1662, P. Antonius Julius Brignole, olim Senator reip. Genuensis opibus & præclaris operibus insignis, maximè verò stupendâ in pauperes liberalitate. Unico anno 1651 expendit in pauperes plùs, quàm ducenta & quadraginta millia librarum. Extremo ante initam Societatem decennio, ut non nemo collegit ex regestris (quanquam non omnia scribebantur) notatus est plùs, quàm quadrin-

quadringenta & sexaginta quinq; millia librarum eleemosynæ nomine erogâsse. Unde passim vocabatur Thesauri divini Præfectus, *Cassiero di Dio.* Ex tantis eleemosynis Societati obvenit nihil, quod errore multis insito, putârit eam non egere. Quem errorem ubi postea, jam receptus in Societatem, deprehendit ex visu usuq; quotidiano, multùm indoluit: à nemine unquam ex Societate ea de re apud se mentionem esse factam, proditamq; domesticam egestatem. Sed cum defectum compensavit abunde, quando se ipsum, talem tantumq; tradidit Societati. Rogatus à magno quodam viro, an religiosa paupertate contentus viveret? Annuit, & adjecit: *Si totum mundum uni ovo inclusum haberem; ovum illud cum omni mundi gloria terræ allideram.* Monitus ut mitior esset in corpus suum, reposuit: *Animi delicias esse corporis cruciatus.* Concionatorem egit planè Apostolicum; verbis & operibus potens. Plura dat Vita typis edita.

Thesauri divini Præfectus.

Societati per errorem nihil præter se dedit.

Contemptus mundi.

XXI. MARTII.

1. POst hesternum coram Pontifice congressum Gregorij de Valentia, & Didaci Alvarez, non æquè sereni fluxerunt utriq; parti litigantium dies. Nam, ut ipse Thomas de Lemos, in tom. 2. M. S. Actorum suorum testatur: Jesuitæ plaudentes extollebant Valentiam suum: Adversarij autem in luctu positi, quærebant hominem, quem Alvarezio substituerent: designâruntq; ipsum de Lemos, non quidem eruditione, sed ætate & ore validiorem; qui deinceps cum Theologis Societatis congressus est, ac privatim conscripsit Acta quædam in hujusmodi congressibus. Verùm talibus Actis, sicut etiam Francisci Pegnæ, omnem fidem abrogavit Innocentius X. *Eleutherius in Tractat. art. 10.*

Disputatio 2. de Gratia Societati plausibilis

Acta Lemosij & Pegnæ reprobata.

2. S. Franciscus Xaverius in Indiam proficiscens, anno 1540, hoc die Laureti, in sacro illo DEiparæ Sanctuario sacris operatur, & Legato regis Lusitaniæ, aliisq; itineris comitibus, divinam Eucharistiam impertit. *Nadasi in Indice Memor.*

S. Xaverius cum Socijs itineris Lauretum invisit.

Eodem die obierunt.

3. Antverpiæ in Belgio, anno 1616, P. Gerardus Florentii, Belga, impiger & dexterrimus per Hollandiam Missionarius. Morbo, apud Prætorem pagi cujusdam simulato, ab eo benignè acceptus licèt ignotus, tam opportunè ac dextrè se se insinuavit: ut ad religionem Catholicam ipsum, & paulò pòst potissimam pagi partem, adduxerit. Ad omnem obedientiæ nutum promptissimus, cuivis opitulari & servire paratissimus, omnibus omnia fieri satagebat præstare quidvis & poterat, & volebat. Ægro cuidam operam navabat sanus, & disertè prædixit; se illo citiùs è vita discessurum: postea triduum vitæ sibi superesse dixit: nec plus superfuit.

Missionarius industrius.

4. Majoricæ anno 1621, Joseph Cladera, Coadjutor. Cùm magno teneretur desiderio Societatem ingrediendi, nec tamen petere auderet: pia fœmina divinitus edocta, quid animo volveret: Vade, ait, Joseph, Societatem JESU pete, nec time, impetrabis. Petiit, & impetravit. Manè una alterave horâ ante alios surgebat: atq; tempus illud flagellando se, sacra lectitando, atq; orando ducebat.

Studium mortificationis, lectionis & orationis.

5. Mexici in America anno 1622, P. Nicolaus Arnaya, Hispanus, vir inter prima Societatis Americanæ decora numerandus, & qui omnium septemtrionalis Americæ regionum Pater appellari possit. Orationis & Humilitatis studio potissimùm excelluit. Illius testes sunt nocturnæ horæ, & subinde noctes integræ inter precandum ductæ: istius illustre specimen dedit, quando Rectorem Collegii Guandianensis agens, apud Proregem de gravi facinore accusatus fuit à quodam magistratu, famaq; per varias regiones percrebuit, P. Nicolaum in vincula conjectum teneri. Nihil etiam refutationis adhibuit; sed suæ se involvens conscientiæ innocentia & humilitate, pro calumniatore orabat. Adfuit in tempore DEus, & hominem maledicum eò adegit: ut coram multis arbitris caneret palinodiam; atq; innocenti fieret bonæ famæ accessio, unde procurata fuerat pessima. *Soutvellus in bibl.*

Calumnia gravis heroica humilitate tolerata.

XXII. MARTII.

1. CORpus Magni Indiarum Apostoli, S. Francisci Xaverij, anno 1553, è Sanciano Sinarum insula, Malacam in India delatum, integrum, suaveolens, & vivo simillimum; licèt integro semestri calce viva obrutum jacuerit. Occurrit adventanti Vicarius Episcopi cum Clero & effusa urbe, atq; in Ecclesiam reverenter detulêre. Remuneratus est largè & sine mora id officij Sanctus. Pestifera enim lues, quæ complures quotidie absumebat, illicò depulsa est, nec ullus deinceps illa ictus. Fami quoq;, non minori malo, qua laborabat populus, adfuit confestim remedium, appulsis cum annona copiosa navibus. Accessit & tertium miraculum. Candela enim cerea coram Sancti sepulchro constituta pro ceræ quantitate arsura horas decem, arsit totos 18 dies; & ceræ, quæ ex illa defluxerat, pondus majus fuit, quàm ipsius integræ candelæ. *Bartoli in Vita lib. 4. n. 36.*

Corp9 S. Xaverij Malacã delatum.

Peste liberat civitatem, & fame.

Cereus ardens non imminut9

2. Idem Sanctus anno 1552 Goâ epistolam dederat Armuziam ad P. Joannem Rodericum: qua illi commendavit veram constantemq; animi submissionem; ad quam concipiendam duo illi proposuit media: Ut cogitet, se Societati necessarium non esse, & dum aliorum salutis curam gerit, suæ non sit immemor. *Ad modestiam autem submissionemq; animi retinendam, illa nobis,* inquit, *cogitatio saluti erit. 1. Multò magis nos Societate, quàm Societatem nobis indigere. 2. Qui sui immemor sit, aliorum salutariter memorem esse non posse.* Epist: veterum lib. 4. epist: 4.

Societatẽ ipso non indigere, quisq; sibi persuadeat.

3. Romæ coram Clemente VIII. habita est, anno 1604, disceptatio 26, de Auxilijs Gratiæ. Quæstio ventilanda erat: *An sit expressa sententia S. Augustini, vel saltem de ejus mente, an potiùs contra ejus doctrinam: quòd DEus leges ordinarias donorum suorum adultis distribuendorum, magna ex parte usui liberi arbitrij accommodaverit?* Respondit pro Molina P. Ferdinandus

DEus in donis suis distribuendis rationẽ habet plerumq; liberi arbitrij.

nandus Bastida; & cùm Quæstionis sensum explicuisset, ostendit inductione multarum legum, quas servat DEus in distribuendis donis suis, quàm illæ sint accommodatæ usui liberi arbitrij: ac tandem necessitatem hujus accommodationis ratione à priori demonstravit. Deniq; doctrinam Molinæ de his, S. Augustini doctrinæ omninò conformem esse ostendit. *Eleuther. hist. de Auxil. lib. 5. cap. 30.*

Eodem die obierunt.

4. Nangasachi in Japonia anno 1643, P. Antonius Rubinus, Italus, in scrobe Japonica suspensus pro fide. Vix appulerat in Japoniam Evangelii prædicandi gratiâ, mox cum sociis captus, & solicitatus est ad Christum ejurandum. Cùm generosè renuisset: in ærumnosum carcerem primùm compactus est; deinde per totos septem menses, destinatis diebus, tormento aquæ maxima copiâ ori infusæ, & mox maximâ violentiâ compresso ventre, inter acerbissimos dolores egestæ, cruciatus est. Deniq; palàm circumvectus cum adscripta supplicij causa: *Quod ipse, & Socij, Christi fidem prædicatum venissent contra edictum Imperatoris*; in scrobem suspensus capite depresso, pedibus in altum sublatis, est interemptus. *Victima fidei.* *Tormenta Japonica scrobis & aqua.*

5. In Paraquaria Americæ regione anno 1645, apud Itatines, quos excolebant, clavâ ligneâ trucidati sunt P. Petrus Romerus, & Matthæus Fernandez Hispani. Præcordia evulsa, & præciso jugulo, in linguam, qua Christi legem prædicabant, sævitum. *Victima fidei.*

6. Antverpiæ in Belgio, anno 1655, P. Franciscus Perez. Habuit eam felicitatem, ut die nascentis Christi nasceretur, & postea ipso Christi morientis die moreretur. Ante ingressum in Societatem mirè liberalis in pauperes, Angelum, vel Christum ipsum, sub pauperis specie meruit habere convivam. Duos filios dedit Societati, quos deinde secutus est ipse; atq; ante illos sacris initiatus, dum primam DEo hostiam litaret, & aliàs non semel, ministros ad altare habuit, uno diaconi, altero subdiaconi officio fungente. Postquam autem & ipsi primum obtulerunt sacrificium, utriq; filiorum pater adstitit, ut director, jucunda raraq; scenâ *Cum Christo natus & mortuus.* *Pater cum duobus filijs in Societate primam DEo hostiam offert.*

7. In Gallia anno 1628, obedientissimam usq; ad mortem animam tradidit Deo Petrus Colet, Coadjutor, Gallus. Vicinus morti, rogavit P. Rectorem, juberet mori: ut vel sic aliquomodo conformaretur Salvatori suo, obedienti usq; ad mortem. Detrectavit durum imperium Rector: ne tamen infirmus optato fraudaretur merito, monuit: ut se quàm accuratissimè conformaret universali illi decreto divino, quo statutum est omnibus hominibus, mori: Acquievit Petrus, & obediens obiit. *Mors ex obedientia.*

XXIII. MARTII.

1. Julius III. Pont. Max: gravem Societati luctum indixit funere suo, anno 1555, Pontificatûs sui quinto. Sensit inprimis immaturam ejus mortem Collegium Romanum, cui liberale annuum vectigal assignavit: sensit & Collegium Germanicum in Urbe, cui certa pecuniarum subsidia subministrabat ex intervallo; sensit deniq; Societas universa, quæ Julium agnoscebat ut Patrem, à quo amplissimo diplomate confirmatam, immunitatibus *Julius III moritur.*

auctam,

auctam, munitam privilegijs, ornatam beneficijs, propugnatam & propagatam authoritate, se agnoscebat. *Orland. hist. Soc. p. 1. lib. 15. n. 2. & 3.*

Legatorũ Japonum adventus in Vrbem.

2. Romam cùm anno 1585 heri pervenissent Japones, Legati Christianorum Regum, de industria dilatus est in noctem ingressus eorum; ut sequenti majore Pompâ celebraretur. Placuit enim Pontifici Gregorio XIII: ut eadem solemnitate, qua Europæorum regum Legati, exciperentur, & in Aula regia Senatus Patrum Purpuratorum ipsis daretur. Pridie ergo inter tenebras diverterunt ad Domum Professam Societatis, ubi à Claudio Generali, & 200. circiter Socijs, amantissimè, nec sine lacrymis intimi gaudij testibus, sunt excepti, & in templo Hymnus Eucharisticus decantatus, ob tot itinerum difficultates & discrimina feliciter superata, toto jam exacto triennio, ex quo è Japonia solverant. Hodie ad Villam Julij Tertij extra portam Flaminiam delati curru tecto, salutati sunt nomine Pontificis, à quibusdam Curiæ Pontificiæ Ministris; ac dein solemnissima pompâ, reboantibus è Castro S. Angeli tormentis, profecti sunt ad palatium Vaticanum, equites, habitu Japonico, vultibus egregiam indolem, ætatis florem, & generis morumq; non vulgarem nobilitatem præferentes. Excepit illos in aula regia Pontifex cum Cardinalibus, vultu blandissimo, sed oculis madentibus; accedentesq; insigni cum reverentia ad pedum oscula, atq; literas regum suorum exhibentes, ceu filios dulcissimos iterum iterumq; amplexatus est. Exposuerunt post hæc per Interpretem P. Jacobum Mesquitam, qui ipsos ex India deduxerat, causam Legationis suæ: ut scilicet principalium suorum nomine, verum ac fidele obsequium deferrent Summo Christi Vicario, & Universalis Ecclesiæ Pastori. Respondit Pontifex graviter; tandemq; ad privatum illius conclave sunt deducti, dulciq; colloquio distracti, donec epulo tempus adesset. Pari etiam deinceps humanitate atq; splendore habiti sunt, quamdiu in Urbe commorari placuit. *Sacch. p 5. l. 5 n. 6. & seq.*

Solemnis eorũ ingressus.

P. Mesquita Legatos deduxit.

Eodem die obierunt.

Victima fidei in Japonia P. Meczynski.

3. Nangasachi in Japonia anno 1643, P. Albertus Meczynski, Polonus, non minùs religiosa virtute, quàm genere clarus. Iisdem tormentis in eadem causâ, cum P. Rubino, de quo heri, sublatus est. Cùm luculenta hæreditate Societatem in Polonia juvisset: *Iam*, ait, *nihil habeo, nisi sanguinem, quem Deo meo tradam.* Hunc ut pro Christo funderet, Japoniam impetravit. In tyrocinio Romano imitatus B. Kostkam, de V. DEipara, inter tyrones mira verborum sensuumq; affluentiâ sermonem serebat, novasq; eam colendi artes afferebat in medium. Cubiculum ingressurus vel egressurus, facie ad ædem S. Mariæ Majoris conversa, DEi Matrem Dominam suam, venerabatur. Tali tyrocinio respondit vita omnis, & mors gloriosa.

Sermo de B.V.

Salutatio ejusdem.

4. Porti in Lusitania anno 1547, Vascus Ferras, Scholasticus, Lusitanus. E nobili

bili & locuplete Canonico factus humilis & pauper religiosus, quantum has Christi virtutes amaret, declaravit: quando suadentibus medicis, ad patriam auram, qua reficeretur, missus, non in domum paternam, sed in nosocomium se recipit. Mortis die ex vero prædictâ, fertur à DEipara V. & Sanctis Joanne atq; Augustino visitatus & recreatus.

Æger non ad domum paternam, sed nosocomium divertit.

5. Placentiæ in Hisp. anno 1564, P. Joannes Paulus Alvarez, Ecclesiastes, mirabili gratiâ & efficaciâ clarus. Evangelio super ægros recitato pellebat morbos, & dæmones. Methymnæ & Placentiæ Rectorem cùm ageret, eam suaviter fortiterque induxit religiosæ disciplinæ observantiam: ut *Angelorum Collegia* dicerentur. Vitam longiorem non optabat, nisi ut amore Christi plura pateretur.

Angelorum Collegia.

Patiendi ardor

XXIV. MARTII.

1. S. P. Ignatius anno 1522, novam vitam solemni ritu auspicaturus, cùm pridie festi Annunciationis DEiparæ V. venisset in pagum ad radices Montis Serrati positum, proprium peregrinorum simul & pœnitentium comparavit sibi habitum; vilem tunicam ex crassa canabe, funem, quo cingeretur, cucurbitulam aquariam, & viatorium baculum. Sic instructus ad sacrum montem perrexit: ubi exhomologesim totius vitæ tam accuratè districtèq; peregit, tantoq; cordis dolore: ut totum triduum pœnitentialis luctus tenuerit. Confessione absoluta, pretiosas vestes sub noctem mendico donavit, & recenter comparata diploide sese vestivit, totamq; noctem ante aram DEiparæ, stans, vel de genibus precando, vigilavit. *Bartoli in Vita, lib. 1. n. 10.*

S. Ignatius vitam novā auspicatur.

2. In Indiam hoc die, anno 1578, è Lusitania expedita sunt nova subsidia, Socij quatuordecim; parvus numerus, sed multis magnisq; rebus gerendis idoneus. Inter cœteros eminebant Rodulphus Aquaviva, qui postea in Salsettis Martyrij purpurâ donatus est; Michäël Rogerius, & Matthæus Riccius, qui primi in Sinarum mediterranea penetrârunt, & claustrum illud Evangelio reserârunt. Felici navigatione, & opportunissimè pervenerunt Goam. Cœperat enim ibi quorundam levitate laxari disciplina domestica: quæ mox religiosissimis advectorum hospitum exemplis ad normam debitam est feliciter composita. *Sacchin. p. 4. lib. 6. n. 231.*

Exempla magis quàm verba valent ad reformandos mores.

3. Michäël Bay errores suos agnoscit & retractat his verbis: Ego Michäël de Bay, Cancellarius Universitatis Lovaniensis, agnosco & profiteor me ex varijs colloquijs & communicationibus, habitis cum R. P. D. Francisco Toleto, Concionatore Suæ Sanctitatis, & ad hanc rem specialiter misso, super diversis sententijs & propositionibus, jam olim à Sanctissimo D. N. Pio V. fel. record. sub data Kalendarum Octob. anno 1567, & nuper à

Bay agnoscit & retractat errores suos.

Gregorio XIII. moderno Pontifice Max. de data IV. Kalend. Febr. 1579 iteratò damnatis & prohibitis, ita motum, & eò perductum esse, ut planè mihi habeam persuasum earum omnium sententiarum damnationem atq; prohibitionem jure meritoq; ac non nisi maturo judicio & diligentissima excussione præmissis, factam atq; decretam esse, &c. Deniq; declaro me in præsentiarum ab ijs omnibus recedere, & damnationi à S. Sede factæ acquiescere, neq; posthac illas docere, aut defendere velle. Datum Lovanij die 24 Martij anno 1580. *Juvencius fol. 270.*

Eodem die obierunt.

Vita in Societate salutaris. 4. Monachii in Bavaria anno 1630, P. Adamus Saller, Germanus, concionator celebris, ac duplici cælitus accepto nuncio memorabilis. A quodam è Societate jam defuncto, qui ei apparuerat, audivit non sine horrore hanc vocem: *Nisi in Societate esses, periturus eras* At à DEipara V. plenum solatii & gaudii nuncium accepit *Prædestinationis revelatio.* de sua ad beatitudinem æternam prædestinatione. Fidem huic revelationi adstruebant profunda P. Adami animi demissio, ardens animarum zelus, piorum colloquiorum usus, & assidua æternorum cura. *Conciones flectendo scripta.* Conciones genibus flexis scribebat, quasi amanuensis DEi: habebatq; se ut internuncium, per quem DEus populo exponeret mandata sua.

Victima charitatis. 5. In Hibernia anno 1650, P. Patritius Lea, Hibernus, in heroico charitatis obsequio, cum 4 sociis occubuit, serviendo pestifera lue tactis. Quantam de illius sanctitate opinionem conceperit populus, manifestum fecerunt agmina accurrentium certatim è domibus, ut transeuntis fimbriam vestimenti deoscularentur. *Modestia religiosa.* Rapi enim se, ajebant; ab amabili quodam odore suavissimæ virtutis, ex ejus fronte, oculis, & tota membrorum compositione fragrantis. Cùm non solùm Philosophicis ac Theologicis scientiis egregiè instructus esset, sed etiam artis Medicæ apprimè peritus: totis corporis & ingenii viribus incubuit in corporum animarumq; sanitatem, & Sacramenta & medicamenta ministrando ægris. Mortem hausit à fœdissimo cadavere inhumato: quod ne àërem inficeret, suis humeris elatum, terræ mandavit.

XXV. MARTII.

S. Ignatius arma sua appendit aræ B. V. 1. PRimo hujus diei crepusculo, S. Ignatius, novi VERBI incarnati miles, indutus arma lucis, vetera arma, pugionem cum ense, Aræ Marianæ in perpetuum anathema appendit; divinæ mensæ accubuit, equum monasterio donavit, & cùm devotioni suæ largè indulsisset, Montem Serratum properè deseruit: ne à confluentibus undiq; hominibus agnosceretur, & proderetur: Manresam autem se recepit. *Bartoli in Vita lib. 1. n. 10.*

Edictum P. Ministri Gen. Ord. Præd. de concordia cum Societate. 2. Romæ anno 1661 edita est encyclica parænesis à Rndmō P. Joanne Bapt. de Marinis, Generali Magistro Ord. Prædic: in qua hortatur universum Ordinem: *ut cum inclyta Societate JESU sit illis utrimq; anima una, & cor unum in Domino*; allegatq; hanc in rem admonitionem IV. Capituli Gene-

Generalis Valentini anno 1591; & Ordinationem 21 Capituli Generalissimi Romæ anno 1644 habiti; & ibidem anni 1656 confirmatione decima: ubi prævaricatores hujus legis mox ipso facto incurrunt, & incurrisse declarantur privationem utriusq; vocis, graduum & officiorum, cum perpetua inhabilitate; quàm solus Magister Ordinis, vel Capitulum Generale auferre possit. Provinciales quoq; & alij Superiores, quicunq; has pœnas transgressoribus infligere dissimulârint, à suis officijs absolvantur. Ita ibi. Servatur hæc epistola in archivo Domûs Professæ Romanæ S. J. *Nadasi in Indice Memor.*

Pœna in prævaricatores.

3. In Hispania Segobiæ, anno 1572, Venerab. P. Franciscus Suarez primam DEo hostiam obtulit, Verbum Incarnatum hoc die, magna animi sui voluptate, sed nec parvo præmisso apparatu. Novo Sacerdoti statim à P. Provinciali demandatum est munus Confessarij Domesticorum, & rerum spiritualium Præfectura: quamvis vix attigisset ætatem ad sacerdotium requisitam, & in numeroso Collegio non deessent viri ætate & moribus graves. Sed præcox in juvene mysta virtutis, prudentiæ & scientiæ maturitas (jam enim Philosophiam prælegebat) id honoris & muneris, omnium judicio meruerat, *Massejus in Vita.*

P. Franc. Suarez primã hostiam offert.

Fit statim Præfectus spiritûs.

Eodem die obierunt.

4. Nangasachi in Japonia anno 1643, gloriosæ pro Christo oppetitæ mortis palmam adepti, tres Socii P. Antonii Rubini (de quo 22 Martii) P. Antonius Capetius Italus, P. Didacus de Morales Hispanus, & P. Franciscus Marquez, in Japonia Patre Lusitano natus. Centies & quinquies tolerasse Japonicum infusæ aquæ tormentum, feruntur; totis novem diebus in scrobe pependerunt capite depresso, deniq; gloriosum certamen gladio cædente consummârunt.

Victima fidei tres.

Dira tormenta & diuturna.

5. Romæ anno 1561 Ægidius Montanus Belga. Morti vicinus, vehementer angebatur de quadam inobedientia commissa, licèt jam expiatâ: cùm ecce nocte intempesta, vigilanti videtur aperiri cœlum; putabatq; se attolli in altum, sed velut plumbea veste gravari, quominus ad conspectum DEi evolaret. Sentiebat tamen, sensim plumbum illud colliquescere, & se altiùs atq; altiùs attôlli: non tamen ausus est, ex conscientia noxæ illius, oculos levare ad DEum, donec ab eo audiret, condonatum jam esse, quidquid erat culpæ. Eodem tempore cognovit diem mortis suæ, & duorum ex eodem Collègio Patrum: respônditq; prædictioni eventus, & visionem non fuisse vanam docuit.

Inobedientia noxia.

6 Messanæ in Sicilia anno 1619 Bartholomæus Valditarus, Italus, Novitius. Cùm adolescentulus adhuc literis operam daret, eam collegerat apud Coætaneos, sui venerationem: ut aliquantò liberiùs agentes, si intervenisset Valditarus, illi succlamarent; *Bartholomæus venit!* seque ad modestiam componerent. In tyrocinio Societatis vix per anni dimidium versatus, inventus est cœlo maturus. In morbo supremo,

 collo-

colloquia de V. DEipara miſceri volebat, & aliò deviantes, ad inſtitutum revocabat. Deniq; diſertè affirmavit: ſe ad B. V. ab Angelo ſalutatæ feſtum è vita exceſſurum, & exceſſit.

XXVI. MARTII.

Epiſtola de Obedientia à S. Ignatio data.

1. ANno 1553 S. P. Ignatius auream illam de Virtute Obedientiæ dedit Epiſtolam, ad Patres Fratresq; degentes in Luſitania. Cùm enim ibi non pauci è Societate præter modum exarſiſſent in pietatis officijs; putarentq; fas eſſe, agere in hoc genere, quidquid alicui videretur meliùs: ideoq; immoderatus zelus, impatiens directionis Superiorum, non pauca peperiſſet incommoda tum privatis perſonis, tum ipſis communitatibus: còercendos, & intra ſphæram Obedientiæ continendos, exiſtimavit S. Pater. Mira autem prudentiâ formavit, & ſuavitate condivit, ac numeris omnibus abſolvit eam Epiſtolam: ut nihil, quod ad perfectionem Virtutis Obedientiæ pertineat, ipſi deſit; prout diſertè teſtatus eſt S. Franciſcus Borgia in literis ad Societatem datis, poſt electionem ſui in Præpoſitum Generalē. *Quia,* inquit, *B. Pater Noſter Epiſtolam de Obedientia ſcripſit, non utilem modò, ſed omni dignam admiratione; quippe cui nec quicquam addi poſſit, nec detrahi: ad eam vos remitto cum hac una voce Evangelij, Hoc fac & vives.* Bartoli in Vita S. P. lib. 3. n. 25.

Zelus ſine Obedientia noxius.

Epiſtola illius elogium.

Legatio P. Poſſevini in Moſchoviam.

2. In Moſchoviam hoc die movit ex Urbe, anno 1581, P. Antonius Poſſevinus, charactere Legati Pontificij inſtructus, ad pacem componendam inter Stephanum Bathoreum, Poloniæ regem, & Joannem Baſilij Magnum Ducem Moſchoviæ. Preſſus hic victricibus Stephani armis, miſſa Legatione ad Gregorium XIII. Pontificem confugit, orando: ut pro ſua, qua pollebat in Principes Catholicos authoritate, ſuſciperet pacificationis negotium, ne copioſior funderetur ſangvis Chriſtianus, ſed potiùs junctis armis impeteretur communis hoſtis Turca. Addidit ſplendida promiſſa reconciliationis ſuæ gentis cum Sede Romana. Delecta igitur eſt, in hanc rem, multis probata experimentis, prudentia & induſtria P. Antonij: qui pacem quidem feliciter compoſuit; ſed Moſchus promiſſis non ſtetit fideliter. *Sacch. p. 5. lib. 1. n. 110.*

Eodem die obierunt.

S. Ignatius excipit animam defuncti.

3. Limæ in regno Peruano anno 1613, P. Stephanus Paez, laudatus â dotibus religioſæ gubernationis. Cùm mortuo parentaretur, vidit non nemo, non vulgaris virtutis fama celebris, P. Stephanum ad aram procedentem, ab obvio S. P. Ignatio amanter excipi, & eximiis gratulationis officiis honorari.

4. Catanæ in Sicilia anno 1604, P. Ferdinandus Paterno. Confeſſarium egit

B. Aloyſij

B. Aloysij Gonzagæ, quando is, de statu vitæ deliberans, à Beatissima Virgine Societatis ineundæ consilium accepit, atq; id Confessario suo aperire jussus est. Incidit aliquando in grave Castitatis suæ discrimen: quando ad ægram quandam invitatus, sensit lupam latere sub plumis. Solicitatus ad scelus, sine mora fugâ gloriosâ sibi consuluit. *Castitas servatur fugâ.*

5. Brunæ in Germania anno 1627 Balthasar Mayr, Coadjutor, Germanus. Quotiescunq; DEiparæ V. imaginem præteribat, illam humillima salutatione ac reverentia venerabatur. Concionatorum Socius, ad pedes eorum cum Magdalena sedere amabat, ut Verbum DEi reverentiùs exciperet. Corpus ejus in crypta Brunensi repertum incorruptum. *DEiparæ V. cultus Concionatorū veneratio.*

6. Dolæ in Gallia anno 1634, P. Joannes Lorinus, Gallus, insignis Divinarum scripturarum Interpres, quarum magnam partem eruditis Commentariis, in Tomos 8 distinctis, illustravit. Quamvis Romæ Theologum Præpositi Generalis, & Librorum à nostris imprimendorum censorem ageret, atq; in cathedra scholastica sacras interpreraretur Scripturas: habebat tamen tantum temporis ad tot conficiendos tomos: quia nihil illius perdebat. *Soutvell. in bibl Soc.* *Explanatio operosa S Scripturæ.*

XXVII. MARTII.

1. S. Franciscus Xaverius anno 1552 dedit Epistolam ad P. Simonem Rodericium, quâ ipsi commendat juvenem quendam è nostris charitate tenerrima: qui valetudinis gratiâ remitti debuit in Lusitaniam. Oro te, inquit, per DEi Domini nostri amorem atq; obsequium, Charissime mi frater Simon; Andream Carvallium ea istic charitate excipias, quâ & ego, & ipse, speravimus excipiendum & recipiendum & recreandum à te. *Epist. veterum lib. 5. epist. 18.* *Charitas S. Xaverij erga Socium ægrum.*

2. Aliam dederat idem hoc die, anno 1544 ad Franciscum Mansillam, qua queritur de intimo cordis sui dolore, dum videt Neophytos crudè tractari à Lusitanis. Deinde corrigit quædam, quæ Mansilla, transferendo Symbolum Apostolorum in lingvam Indorum, non satis expresserat. *Epist. novarum lib 5. epist. 3.* *Eiusdem erga Neophytos.*

3. E Lusitania in Japoniam hoc die solvit anno 1588 P. Sebastianus Morales, cum Sociorum septem lecto manipulo, consecratus jam Episcopus Ecclesiæ Japonicæ. Inter alia enim, quæ Legati Japonici, & Romæ cum Pontifice, & in Hispania cum rege Philippo in commodum illius Christianitatis egerunt, fuit & istud: ut Ecclesiæ illi, jam propè quadragenariæ, quæ reges in familia sua censeret, numeraretq; supra ducenta millia fidelium, Episcopus proprius daretur: à quo ibidem ordinari possent Operarij Evangelici & Sacramentorum Ministri. Rex Philippus ad id muneris nominavit è Societate JESU P. Sebastianum Moralem, tunc Lusitaniæ Provin- *Episcopus Iaponiæ datus è Societate.*

ciæ Præpositum, virum animo, consilio, virtute, industriâ, cuivis egregio muneri parem. Ratam habuit nominationem Pontifex Sixtus V, expedivitq; sinè mora diplomata consecrationis. Sed DEo, inscrutabili Providentiâ, placuit potiùs; bonum Præsulem ad percipienda præteritorum laborum præmia evocare, quàm novis reservare. Navigatione parum salubri usus, cùm morbi grassarentur in vectores & turbam nauticam, quibus ipse Præsul impiger serviebat Sacramentorum administratione; contracta lue decessit, in proximo Mozambici portu tumulatus. *Sacchin. part. 5. lib. 8. n. 184. & seqq.*

Eodem die obierunt.

Salvatoris nomen ab Angelo inditum P. Pisqueda.

4. Sassari in Sardinia anno 1624 P. Salvator Pisquedda, Sardus, magnus in excolenda Christi vinea operarius. Cùm mater eum adhuc utero gestaret, ingressus est domum ejus peregrinus quidam, an Angelus potiùs sub specie peregrini, edixitq; filium ab ea gestari, eumq; magnum heroem, qui multis esset saluti futurus; ideoq; jussit, nomen *Salvatoris* ei imponi. Et re vera se talem præstitit, præsertim in Missionibus, quas ingenti zelo & indefessus obibat, Domino cooperante etiam signis sequentibus. Cùm vox & latera, ob debilem complexionem, dicenti ad concionem in templis ægrè sufficerent: quoties tamen in pagis & campis ad rudem plebem dicebat, tam sonora validaq; voce & contentione agebat, ut supra naturam videretur. SS. Trinitatis & Christi Eucharistici cultui addictissimus, spectabilem illum non rarò habuit in Sacrificio Missæ, eâ formâ, qua gloriosus à morte resurrexit. Eminenti contemplationi perpetuam junxit sui mortificationem. Vaticinijs multis clarus, etiam post mortem non obscuris miraculis est honoratus. Sed his majus est; quòd morti vicinus, Superiorum jussu fassus sit: se nullius gravis noxæ unquam commissæ, nec alicujus Regulæ violatæ, conscientiam habere.

Immunitas à gravi peccato, & violatione Regulæ.

Procurator Collegij eximius.

5. Glacij in Germania anno 1653 P. Joannes Warlichius, Germanus, morum candore, & singulari in DEum fiduciâ clarus. Oeconomiam Collegij Glacensis per annos 25, religiosè, peritè, atq; accuratè administravit. Morti proximus, dixit Confessario: se à DEipara V. coram ejus statua miraculosa, petijsse, ut ibi moreretur, ubi tanto tempore pro viribus laborâsset: illam verò disertis verbis annuisse. Eventus annutum probavit.

Libellis parvis impugnandi hæretici.

6. Viennæ Austriæ anno 1657 P. Jodocus Kedd, Germanus; Ecclesiastes & scriptor zelosus pro Ecclesia Catholica; solitus à puero, conscenso scabello, vel arboris trunco, in Prædicantes cacodoxos invehi. Nova in illos bella, seu bellandi methodum elegit, per minores libellos: qui ut facili sumptu parantur & comparantur; ita sine tædio, & à pluribus leguntur. Triginta aliquot hujusmodi libellos ab illo editos recenset *Soutvellus in bibl.*

Ingenium dissimulatum.

Ariani è Polonia proscripti.

7. Cracoviæ in Polonia anno 1669 P. Nicolaus Cichovius Polonus. Initio vitæ religiosæ obtinuit, ut Coadjutoribus temporalibus adscriberetur; vixitq; triennio ea sorte contentissimus. At ubi clariùs se prodidit ejus ingenium & industria, studijs applicatus ita profecit: ut Theologiam cum dignitate docuerit. Arianos acerrimè insectatus est, effecitq; tandem: ut generali reipub. edicto proscriberentur è regno, pœnâ capitis proposita contumacibus. *Soutvellus in Bibl.*

XXVIII. MARTII.

1. P. Claudius Aquaviva Præpositus Generalis, dedit anno 1587, epistolam ad Provinciales Societatis, de quibusdam Medijs ad ejusdem conservationem conducentibus: quam ipsorum forti executioni commendavit. Habetur inter impressas Generalium Epistolas. *Epistola P. Claudij de medijs conservandi Societatem.*

2. Anno 1556, postquam Rex Lusitaniæ Joannes III. nuncium accepit de obitu S. Indiarum Apostoli: ex concepta de illius sanctimonia opinione, illicò mandavit Francisco Barreto Proregi: ut quamdiu esset recens memoria gestorum viri Sancti, & patratorum miraculorum; curaret inquiri juridicè, & relata firmari juramento, de virtutibus & miraculis illius. Fecit hoc Rex pijssimus eò propensiùs; quò certiùs credebat: quidquid fiebat in India, sive ad DEi gloriam, & Ecclesiæ propagationem, sive ad sua commoda; id totum laboribus & meritis Xaverij deberi. *Bartoli in Vita l.4.n.41.* *Inquisitio juridica de Sanctitate S. Xaverij.* *S. Xaverius fortuna regis Lusitaniæ.*

3. In Lusitania turbatum est aliquantum anno 1589 ratione Scholarum Collegij Conimbricensis: quæ ut in corpus Academiæ admissæ fuerunt ita urgebant Academici cum Procuratoribus regijs; ut & illæ à Visitatore regio inspicerentur. Res tam absona & incommoda visa est Præposito Generali Claudio: ut habita cum suis consultatione, decreverit, potiùs cedere omni jure docendi in Academia Conimbricensi, & omnibus redditibus, quos eo titulo Collegium possideret. De qua sententia sua jussit Claudius P. Fonsecam, quantocyus reddere certiorem Regem. Exposuit omnia Regi Fonseca hoc die; tamq; benignè auditus est: ut rex laudata P. Generalis prudentiâ, non tantùm nihil voluerit innovari; sed etiam censum Collegij jusserit amplificari. *Sacchin. p. 5. lib. 9. n. 198.* *Inspectio Collegij ab extraneo, evitata.*

Eodem die obierunt.

4. Camberii anno 1606, P. Alexander Hunnæus Scotus, ad omnes legum nostrarum apices ita formatus, ut veri Jesuitæ viva effigies diceretur. Magna illi Latina & Græca eruditio, vi stupendæ memoriæ, quâ librum semel à se lectum ita complectebatur: ut, quidquid non solùm in Capitibus ejus sed versibus etiam contineretur, memor fuerit. Quotquot illi unquam de nomine noti fuerunt, illorum semper illi recens fuit memoria. Militum animos in missione castrensi ita rapuerat: ut procul adventantem genibus nixi opperirentur. Intra paucos menses fertur bis mille hæreticos Ecclesiæ adjunxisse. *Memoria stupenda.* *Missionarius Castrensis efficax & venerabilis.*

5. In Peruana occidentalis Indiæ provincia gloriosum cursum consummavit P. Andreas Ortiz Orunnius, Hispanus, post præclarè provectam ibidem rem Christianam per annos 39. Multos ægros persanavit, post mortem quoque in illos beneficus. Crucifixi simulacrum, quod de more manibus mortui P. Andreæ inseruerant, fertur ori suo, velut ad osculum, admovisse. Cadaver post tempus non modicum, non *Mortuus Crucifixi simulacrum deosculatur.*

solùm

folùm incorruptum, fed etiam miro fragrans odore repertum.

6. Majoricæ anno 1583, P. Julius Cuffola, Hifpanus. Intentus femper in occafiones vexandi corpus, gulam vel maximè caftigandam fufcepit. Inter prandendum, optima illi fubtrahebat; vefpere plerumq; nihil attingebat. Plures dies abfq; ullo potu duxit, ne guttula frigidæ æftuanti linguæ permiffâ. Paupertatem amabat intimè, & fingulari conftantiâ. Unde nunquam aliquid novarum veftium vel calceamentorum admifit, conteftans: Si mortuo fibi imponerentur, fe ea rejecturum.

XXIX. MARTII.

Ad labores Apoftolicos difpofitio optima Humilitas.

1. ANno 1545 Ulyffipone vela fecit in Indiam P. Joannes Beira, tyro unius anni, fed jam maturus laboribus Apoftolicis. Goam appulfus, rerum magnarum, ad quas vocabatur, humilia jecit fundamenta, in minifterijs infimis fe fe exercendo, donec cum Antonio Criminali proficifceretur ad Paravos. Inde ab Xaverio Malacam evocatus, in Moluccum deniq; miffus eft, ubi inter quotidianas mortes ægrè vitam trahens, multis faluti fuit. Innumeris infidijs appetitus etiam à regibus, mirabiliter ope divina evafit; uti etiam ex naufragio non uno. *Bartoli. Afiat. hift. lib. 6.*

Bavariæ Ducis egregia epiftola pro Societate.

2. In Europa, Ecclefiam moderante Sixto V. rumor percrebuerat: Pontificem moliri mutationem aliquam in Inftituto Societatis. Qua famâ quàm funt gavifi hæretici, tam conflernati Catholici, etiam principes. Inter alios Guilielmus Dux Bavariæ, literas propria manu exaratas, dedit ad Sixtum hac die, anno 1589: quibus eum prolixè fortiterq; dimovere ab ea fententia conatus eft, deniq; conclufit: *Quare Beatiffime Pater, fubmiffè iterum rogo: hocce Religionis Catholicæ in his partibus fere unicum præfidium, laudabilem hanc Societatem, ex ratione tueri nobis ut velit; ne circa ejus Salutare, totiq; Ecclefiæ proficuum Inftitutum, ulla ratione perturbari, vel contriftari eam finat &c.*

Inftitutum Societatis mutari non permittit DEus.

Quas literas ubi Sixtus accepit, compofitas à Iefuitis, atq; adeò fuppofitas dixit: fuitq; Minutio Ducis Oratori egregiè laborandum exhibitis alijs Guilielmi epiftolis, unde & manus ejus & ftylus innotefceret, ut proprias effe Ducis perfuaderet. Refpondit ergo Sixtus tum Bavaro, tum aliis principibus: non veniffe fibi in mentem, aliquid de inftituto laudabili Jefuitarum mutare: fed folùm rationem vitæ quorundam fibi difplicère. *Sacchin. p. 5. lib. 9. n. 22. & feq.*

Eodem die obierunt.

Cautela in fermone.

3. Genuæ in Italia anno 1620, P. Bernardinus Zanonius, Italus. Tam accuratus fuit in numero & pondere verborum fuorum: ut non nemo fuerit, qui per annos 20, nullum verbum otiofum illi elapfum obfervârit. Si de mundi rebus tractaretur inter

ter colloquendùm, obdormiſcebat: ſi ſermo ad cœleſtia, ſeu ſpiritualia, flecteretur, evigilabat. Genuam induxit Virgines, quas vocant cæruleas, ſeu Cæleſtes Annunciatas: eiſq; leges prudentiſſimè præſcripſit, ab Archiepiſcopo, & Pontifice ſummo laudatas, & approbatas. *Somnus inter colloquia profana.*

4. In regno Peruano anno 1654, P. Joannes de Villalobos, vir quàm innocentis conſcientiæ, tam fortis patientiæ in apoplexia, & diuturna, 24 annorum arthritide tolerata. Vini uſu omni ſibi interdixit, & quidquid palatum mulcebat, Chriſto libabat per abſtinentiam: à quo præſcientiâ futurorum, & abſentium notitiâ donatum fuiſſe, non uno patuit experimento. Diſciplinæ domeſticæ tam ſeverè retinens fuit: *ut Diſciplinæ columna* diceretur. Confeſſarius teſtatus eſt: eum nullâ gravi culpâ primam innocentiam contaminâſſe. *Mortificatio guſtûs.*

5. Ripoli in Hiſpania Gabriel Vayle, Hiſpanus, Scholaſticus. Inter cætera non vulgaris ejus virtutis ſpecimina eminebat ardens DEiparam V. exquiſitè colendi ſtudium; quod illi ſtimulus erat ad alias virtutes comparandas; ut tantò magis Dominæ ſuæ placeret. Fructum ejus pietatis luculentum percepit, quando in itinere quodam deficienti, jamq; morituro adfuit Angelorum Regina, multâ ſplendidâque cœlitum coronâ ſtipata; & Gabrielem ſuum in domum beatæ æternitatis invitavit

XXX. MARTII.

1. S. Xaverius anno 1545 tranſiturus ad Macazares Chriſto ſubjugandos, exiſtimavit, primùm ſibi conciliandum eſſe S. Thomam Apoſtolum, quo uteretur potenti Patrono ad eam expeditionem. Meliaporem igitur, ad ſepulchrum, peregrinationem ſuſcepit, totamq; hebdomadam ſine cibo jejunus exegit. Eo in itinere navi, quæ ſecundiſſimis ferebatur ventis, periculoſam prædixit tempeſtatem, qua fere convulſa eſt. Meliapore quidem noctu inter orandum in templo à dæmonibus peſſimè delumbatus eſt: at Divum Apoſtolum tam propitium habuit; ut plenus animorum & ſpei de ſecundiſſima in Macazares expeditione, abierit. *Bart. in Vita l. 1. n. 49. & ſeq.*

2. Anno 1549 P. Gaſpar Barzeus Goâ Ormuzium ſolvit, graviſſimis & opportuniſſimis monitis, quæ prolixè recitat Bartoli lib. 5. hiſt. Aſiaticæ, inſtructus à S. Xaverio: ut & alijs utilem, & ſibi non noxiam exerceret prædicationem. Ceciderunt pia monita in terram bonam, & fructum tulerunt centeſimum in multa patientia. Barzeus ita rem egit, ut alter videretur Xaverius. Statim ac attigit inſulam, atq; in ea celeberrimum totius Orientis Emporium, detonare cœpit contra ſectas, quarum ibi colluvies eſt, gentilium, Judæorum, Mahometanorum, Schiſmaticorum, hæreticorum, & pravorum Catholicorum: juvitq; DEus pios conatus. Graviſſimi enim terræ motus trigeſies intra 9. dies concuſſerunt Urbem, & indurata omnium corda: ut certatim concurrerent ad Barzeum prædicantem, *Barzeus Ormuſij mira operatur.*

Terra motus prædicationi ipsius opportunus.

quærentes; quid faciendum, ad avertendam Numinis iram, & urbis præsentem interitum? Unde opportunissimam habuit ille occasionem, jam nutantes animos impellendi ad fidem veram, & seriam pœnitentiam, magno cum fructu. *Bartoli ibid.*

Carolus Spinola iterum solvit in Iaponiā.

3. E Lusitania Ulyssipone, hoc die anno 1599, iterum solvit in Indiam & Japoniam P. Carolus Spinola, cum Socijs 20, quibus ipse præfectus fuit; melioribus auspicijs ingressurus pridem expetitam Japoniam: in qua non ex vano augurabatur se ornandum Martyrum laureâ, sed multo labore comparandâ. *Hugo in Vita cap. 10.*

Eodem die obierunt.

Victima fidei.

4. In Germania ad Rhenum anno 1622, P. Joannes Sandæus, Belga, tribus globis trajectus ab hæreticis, odio fidei & Societatis: vir orandi studio, animarum zelo, ac multa patiendi desiderio conspicuus.

Ad ordinaria recreationis horam pia dispositio.

5. Valencenis in Belgio anno 1619, P. Henricus Sommalius, Belga, homo aureæ ætatis ob morum candorem & comitatem. Ipsi S. P. Ignatio ob experrectum virtutis studium percharus fuit. Nunquam ad consuetum recreationis ordinariæ locum accedebat, nisi tribus instructus punctis spiritualibus, quæ captata occasione proponeret, ad piam sermocinandi materiam suggerendam.

Zelus fidei.

6. Caunæ in Litvania anno 1652, P. Nicolaus Lancicius, Polonis parentibus in Litvania natus: vir inter Sanctos Heroas censendus. Catholicam religionem tanto animi ardore amplexus est adolescens: ut ad delendas sectas omnes etiam Jesuita fieri voluerit, gravissimis perruptis obstaculis. Romæ tyrocinio & studiis altioribus absolutis, applicatus est Archivo Romano excutiendo pro conficienda Historia Societatis. Quo labore cum laude perfunctus, datus est Collegio Romano Præfectus Spiritus Primarius à P. Claudio Præposito Generali, quamvis ætate non admodum provectus. Provincias dein Polonam, Bohemicam, & Litvanam, jam Rector, jam Præpositus Provincialis, aut Præfectus Spiritûs, doctrinâ Asceticâ, & heroicis virtutibus illustravit. Externis proceribus, Prælatis, & regibus charus & venerabilis, apud domesticos non raro invenit, quod pateretur, & quidem maximo animi sensu. At ille inter quævis honoris & famæ detrimenta, *Hoc & non aliud, ingeminabat, Domine, sit condimentum & solatium crucis, dolorum, & afflictionum mearum, novas semper experiri cruces, & nunquam cessantibus afflictionibus, propter Te DEum meum abundare.* Sed quò magis ille incurius fuit Nominis sui, eò pluribus, etiam prodigiosis gratiis, ante & post mortem cumulabat eum DEus: de quibus plura in vita typis edita.

Patiendi ardor

XXXI. MARTII.

Bulla Cruciata quoad Confessiones non utitur Societas.

1. URbanus VIII. anno 1629 prohibuit, per Breve *Romanus Pontifex*; ne Nostri eligant sibi Confessarium virtute Bullæ Cruciatæ: sed pro suis Confessionibus utantur tantùm Confessarijs à Superioribus Societatis designatis. *Bullar. Soc. & Commune tom. 5. Constit. Urbani 125.*

2. In

2. In Hispania anno 1566, Venerab. P. Ludovicus Granatensis Ord. Prædic: doctrina & vitæ sanctimoniâ clarissimus, insigni epistola consolatus est quendam è Nostris, mœstum ob famam Societatis canino dente laceratam. Ostendit, felicem esse Societatem, quod ejus primordia Providentia Divina exerceat adversis: contrà verò timet suo Ordini propter homines tam infestos Societati; concluditq;: Maximo ergo gaudio Vestra Rntia exundet: quod Societas ipsismet Ecclesiæ primitivæ vestigiis insistat. Et væ Romæ, quando funditus evertettur Carthago: ut non habeat, qui illam exerceat. *Gomez in Elog. Soc: p. 1. Class. 7.*

Felix Societas ob copiam adversorum.

Adversarij utiles.

3. Societati non nocuisse, sed potiùs incrementa dedisse adversa, quibus in Hispania exercebatur: docet epistola ad S. Ignatium Romam data hoc die ab Antonio Corduba, Rectore Academiæ Salmanticensis, parentibus Comitibus & Marchionibus genito: qua, ut purpuram Ecclesiæ sibi imminentem, ex promotione Caroli V. Cæsaris, posset atra Societatis veste mutare; urgentissimè institit apud Ignatium, & impetravit. *Orland. hist. Soc. p. 1. lib. 12. n. 42.*

Contemptus mundi, Societatis amor.

Eodem die obierunt.

4. Cantone in China anno 1606 Franciscus Martinez, Chinensis Scholasticus. Cùm rem Christianam pro viribus promoveret, à quodam apostata proditus, & falso accusatus est tanquam proditor & magus. Unde Iudicis decreto, tam crudeliter est fustibus verberatus, ut exspirârit, prima pro Christi fide victima apud Sinas. Quamvis enim Iudex gentilis fortè necem non intulerit fidei causâ: certè ab eo scelere excusari non potest proditor, qui Iudicem falsis criminationibus incitavit.

Victima fidei prima apud Sinas.

5. Valentiæ in Hispania anno 1621, Franciscus Rodes, validæ patientiæ, & teneræ pietatis juvenis. Itinerantem aliquando cœca nox & horrida tempestas ita involvit: ut omne consilium, quâ eundum esset, eripuerit. At afflicto S. P. Ignatius magna luce splendidus apparuit, ac viam commonstravit.

Itinerantē dirigit S. Ignatius.

6. Patavii in Italia anno 1538, mense Martio, sed incerto die, è militante Societate ad triumphantem evocatus est P. Didacus Hosius, unus è primis decem Patribus Societatis. Cùm magnos motus concionando faceret in illa Civitate, à Vicario Episcopi, ne aliquid sinistri spiritus lateret, in carcerem & vincula conjectus est: sed paulò pòst cum honore dimissus. Postremus S. Patri Socius accessit, & primus ad cœlum abiit. Animam ejus ab Angelis cœlo inferri vidit S. Ignatius, magna luce coruscantem.

Didacus Hosius primus è Societate defunctus.

Animam ejus cœlo inferri vidit S. Ignatius.

I. APRILIS.

1. ANno 1555 Ulyssipone solverunt in Indiam Socij 12, duo Goam, cæteri in Æthiopiam destinati. Iter habuerunt, & procellis & imperitiâ navarchorum tam periculosum: ut ipsos religiosos destituisset animus, nisi paratum ad naufragia & mortem attulissent. Sed pejus negotium fuit cum ipsis homi-

nibus, qui navibus illis vehebantur, milites, turba nautica, negotiatores, & varij alij: de quibus dixit non nemo, Indiæ gubernator; Societatis Patres, navigationibus ad Indos, etsi aliud operæ pretium non ferrent, multum præstare magnumq;: quòd hujusmodi hominum colluviem, ad frugem meliorem reducant. Cùm in ea navi, qua vehebatur P. Antonius Quadrius, initiò vix aliquis compareret, qui Patrem audiret concionantem: tandem patientiâ & comitate ipsius deliniti, sensim è latibulis suis emerserunt, itaq; capti sunt: ut frequentissimi deinceps adessent, & manifesta appareret morum mutatio. Inter alios etiam meretricula è cavo suo prorepserat, quæ prostituendum pudorem in Indias vehebat: sed evicit P. Quadrius apud Præfectum navis, ut instar feræ belluæ, tabulis concluderetur; ne ulli nocere posset. Sic domita lupa, quinq; mensium spatio didicit sapere; ut virtutis amore in India ultrò servaret pudorem: quem in navigatione coacta servaverat. *Bartoli hist. Asiat: lib. 6. n. 37.*

Navigatio Indica periculosa & fructuosa.

Meretrix in navi conclusa, & conversa.

2. In Italia anno 1576, deprecante Alphonso Salmerone onus gubernandi Provinciam Neapolitanam, quam ab ipso ejus ortu ad id temporis rexerat: Borgia Generalis id munus devolvit in Claudium Aquavivam, qui in gubernatione Collegij Neapolitani insigne experimentum dederat prudentiæ, dexteritatis, suavitatis simul ac efficaciæ, quamvis ætate ultra trigesimum annum vix processisset. Calendis Aprilis, & solemnem Votorum 4. Professionem emisit, & impositum munus suscepit: itaq; provinciam administravit; ut cuivis muneri altiori jam tum par videretur. *Sacchin. p. 4. lib. 4 n. 57.*

Claudius Aquaviva Provincialis juvenis, sed idoneus.

Eodem die obierunt.

3. In Paraquaria anno 1639, P. Gaspar Osonus, & P. Antonius Riparius Italus, ob damnatas avitas gentis superstitiones, & prædicatam Christianam religionem, à barbaris Ciaccis, ligneis clavis trucidati. Post mortem ipsos sacrificali veste indutos, multaq; luce circumfusos comparuisse, & fidem Christi commendasse, prodiderunt barbari ipsi.

Victima fidei

4. Antverpiæ in Belgio anno 1598, P. Franciscus Vanden Bergen. Ad Societatem traxit illum spes Martyrii apud Indos: sed cùm hæc fefellisset, totus incubuit in se ipsum perdomandum, & crebras de se victorias reportandas, quas *parva Martyria* scitè vocitabat. DEiparæ V. & Virgineo ipsius Sponso, S. Josepho impensè addictus, fatebatur: se ab hoc nihil petiisse, quod non liberaliter impetrâsset. Domi Angelus, foris dicebatur Apostolus, elogio maxima ambitione appetendo. Domi enim versabatur modestus, silentiarius, ad omnem legum apicem compositus, Foris conversabatur, longè lateq; verbo & exemplo spargens animarum, & divinæ gloriæ zelum.

Martyrij compensatio per frequentes mortificationes sui

S. Josephi cultus fructuosus.

Domi Angelus, foris Apostolus.

5. Cracoviæ in Polonia anno 1612, P. Justus Rabus, Polonus. Adolescens ab hæreticis

reticis parentibus ad varias heterodoxorum Academias, Wittembergensem, Argentoratensem, Lipsiensem, expeditus est: ut in magnum sectæ suæ columen evaderet. Sed Parisios delatus, dum Maldonati nostri lectionibus de Fidei Controversiis adest, DEo favente convictus, non solùm ad Catholicorum, sed etiam Jesuitarum castra transiit, in excidium hæreseon militaturus. Lublini Arianorum Ministrum ita exagitavit: ut planè obmutuerit. Ad conciones, & in conscientiæ arbitrum à Sigismundo III. Rege Polon: Assumptus, rara facilitate & felicitate, prout occasio ferebat, Polonicè, Germanicè, Latinè, Græcè, Italicè & Gallicè concionabatur magno fructu auditorum. Cùm fractis viribus sacrificare ampliùs non posset; quotidie tamen epulo divino pascebatur, donec ad Cœnam magnam evolaret. *Soutvell. in bibl.*

Hæretici insignis conversio.

Linguarū peritia.

II. APRILIS.

1. S. Indiarum Apostolus Goâ Malacam dedit epistolam ad Jacobum Pereiram negotiatorem, amicissimum suum: qua eum monet, ut augendarum opum conscientiæ, quàm fortunæ, sit avidior. Mando tibi, inquit, pro amicitia: ut priusquam proficiscaris in Sinas mercem quandam compares sanè pretiosam, quam Malacenses, Sinæq; negotiatores ferè negligunt, bonam dico conscientiam; quæ istiusmodi hominibus parùm admodum nota est. Vulgò enim mercatores ita sibi persuadent: si animorum suorum conscientiæq; suæ negotium agant, se continuò decocturos. Ego autem DEo adjutore futurum confido: ut Jacobus Pereira, amicissimus meus magnas bonæ conscientiæ merces secum afferens, locupletetur: tametsi cæteri hujusmodi rerum incuriâ ad egestatem redigantur. *Epist. vet. lib. 2. ep. 7.*

Conscientiæ cura præ omnibus habenda.

Fructus illius curæ.

2. Alias dedit idem Sanctus literas anno 1552 Bazainum ad P. Melchiorem Gonzalez: quibus ei author est, ut quàm maximè studeat conciliandæ sibi hominum benevolentiæ prudentiâ & humilitate. *Si fueris humilis & prudens*, inquit: *magna me spes tenet, te plurimum, DEo juvante, fructum relaturum.* Et infrà: *Spero enim, fiduciâ non defuturi favoris Domini nostri, Te, si fueris humilis, in magnum concionatorem evasurum*; quamvis paucioribus naturæ dotibus ad id esset instructus. Et iterum: *Mihi crede: spes ampli successus in perorando è sacro pulpito, non est sita in exquisitione sacræ doctrinæ, in elocutionis elegantia, in pompa & specioso choragio facundiæ. Caput & compendium artis est, ijs probari & placere, quos alloquaris: & priùs parâsse claves cordium, quàm aurium aditum tentes. Persuadebis, quod voles, si te, qui audiunt, amaverint.* Epist. Novarum l. 5. ep. 16.

Prudentia & humilitate concilianda hominum benevolentia.

Humilitas facit egregios concionatores.

Amari curet Concionator.

3. Eundem diem insignibus miraculis Potami in Calabria illustravit idem S. Apostolus, mortuis suscitatis, & sanitate reddita anno 1652. Matronæ Sorianensis duo filij, Carolus & Bruno, eadem nocte, in eodem strato jacen-

S. Xaverij Potamiensis miracula.

jacentes, fatali quodam morbo extincti erant. Consternata duplici funere mater ad Thaumaturgum Potamiensem, Magnum Xaverium, supplex recurrit, emisitq; votum procurandi sacrum in ejus honorem, si filij vitæ restituerentur. Dormienti apparuit Sanctus in amictu Sacerdotali, dixitq;: Filios ejus sanos esse. Expergefacta vivos sanosq; reperit, & jurata coram Judicibus constitutis miraculum confessa est. Altera quoq;, Portia Garofoldi, filiam Catharinam lethali morbo oppressam, & omni sensuum usu destitutam, voto à se facto ad Divum Potamiensem, subitò sanitati restitutam, testata est. Tertia etiam, Vitaliana Rimedi, juridicè asseveravit: se ipsam ex doloribus colicis triduo jacuisse absq; omni sensu; monitam autem ab apparente sibi sancto Apostolo, ut suam opem imploraret. Imploravit, & repentè sana surrexit. Quarta Anna Primeriani in primo partu gravissimè cruciata, cùm secundo vicina esset, voto facto S. Xaverio, sine omni dolore prolem est enixa 2. Aprilis. *Ex libello Miraculorum à S. Xaverio editorum Potami, legitimè approbato.*

Eodem die obierunt.

Christus commendat Indorum salutem. 4. Limæ in Peruvia, anno 1626, Pater Didacus Martinez, Hispanus, magnus in illis terris operarius. Commendaverat enim illi Indorum salutem disertis vocibus ipse Crucifixus JESUS, quam Didacus multis magnisq; laboribus egregiè promovit; admirandis solatiis inter colloquia cum Sanctissima Trinitate, DEipara Virgine, & Angelis recreari solitus. Sæpè futura prædixit ex vero, non semel visus in aëre sublimis. Exercendis actibus Divini Amoris, & Gratiarum actionis ita assueverat: ut primum intra diem unum ducentos, deinde trecentos, postea mille, deniq; etiam septem millia elicuerit.

Actuum amoris Divini aliquot millia intra diē eliciti.

Desponsatio facta Christo. 5. Parmæ in Italia, anno 1606, innocentem & insigni virtute adornatam, animam edidit Carolus Casarius, Italus, Scholasticus; postquam illam anno præterito, 2. Februarij, præsente DEipara, Angelo Custode paranympho, Sponso Christo desponderat; prout retulerunt, quibus arcana conscientiæ illius patuerunt.

Mortificatio honorata. 6. Posnaniæ in Polonia, anno 1662, P. Gaspar Druzbicki Polonus, exuvias corporis, perpetua & acerba mortificatione exhausti, deposuit, ejusdemq; incorruptionem meruit. Vir fuit Apostolico spiritu in agendo, admirabili lumine in scribendo, sublimi prudentia in regendo conspicuus, atq; inter prima Provinciæ lumina censendus; confirmatus in gratia, Pretiosissimæ DEi Parentis tenerrimo & accurato cultu insignis, Prophetiæ & altissimæ contemplationis dono, adeoq; communi sanctitatis eximiæ famâ illustris. Plura & singularia dat Vita typis edita.

Confirmatio in gratia.

Victima pro fide in Insulis Latronum. 7. In insulis Marianis, quæ aliàs infami nomine *Latronum insulæ* dicebantur, anno 1672, à barbaris occisus est P. Didacus de San Vitores, Hispanus: postquam cum novem Socijs in iisdem tam fructuosè laboravit; ut intra quadriennium in tredecim insulis, 50 millia, & ampliùs, barbarorum Christo sint aggregata. *Soutwell in Bibl. Soc.*

8. Varsaviæ in Polonia anno 1640 P. Mathias Casimirus Sarbiewski, Polonus, vir

vir omni scientiarum genere excellens. Cùm Theologiæ laureâ ornandus esset in Academia Vilnensi, Vladislaus IV. rex Poloniæ gloriosissimus, interesse, suoq; annulo illum inaugurari voluit. Plurimùm famæ gloriæq; sibi comparavit Lyrica Pòësi, Horatio par non paucis visus, & insignibus encomiis celebratus à Pòëtis Belgis. *Soutvell. in Bibl. Soc.*

Laurea Theologica ornata gemmâ regiâ. Pòësis Sarbievij.

III. APRILIS.

1. ANno 1582 concessit Gregorius XIII. Pont.Max. facultatem: ut Confessarij Societatis à locorum Ordinarijs ritè approbati, & à suis Superioribus designati, etiamsi Magisterij vel Doctoratûs gradibus in Theologia, aut Jure Canonico, insigniti non sint; possint S. Pœnitentiariæ Romanæ literas aperire, & absolutionis beneficium, juxta ipsarum dispositionem pœnitentibus impertire. *Bullar. Soc.* Breve incipit: *Exponi nobis nuper fecisti.*

Facultas aperiendi literas Pœnitentiariæ Rom.

2. Romæ anno 1706 finita est Congregatio Generalis Decima quinta, præsidente A. R. P. Michäële Angelo Tamburino, primùm ut Vicario Generali, mox ut Præposito Generali Societatis. *Decr. ejusdem Cong.*

Congr. Gen. XV. finita.

Eodem die obierunt.

3. Guamangæ in Peruvia, anno 1598, Pater Jacobus de Zuniga, Hispanus, multas terras, & maria emensus lucrandarum animarum causâ, relictis ubiq; excelsæ virtutis vestigiis. In supremo morbo singularem Divinæ Providentiæ circa se curam expertus est. Cum enim langvente & cibos nauseante stomacho aliquando insinuâsset; cuniculi carnes sibi non ingratas futuras, & alia vice certum pisciculorum genus optaret; adfuit illico ante domum, qui cuniculum; & alius, qui pisciculos illos offerebat venales: quàmvis cuniculi in tota regione prorsus non invenirentur, species verò illa pisciculorum non nisi rarissimè. Exequiæ defuncto celebratæ per octo dies, à Clero, & Religiosis Ordinibus.

Prudentia divina circa ægrum.

Exequiæ Solemnes.

4. Viennæ, anno 1654 heroica charitatis victima cecidit in obsequio peste laborantium, Joannes Bapt: Lechner, Coadjutor, Germanus, ab obedientiæ & paupertatis studio laudatus. Vexillum gestaverat in prophana militia; sed eo abjecto, ad Christi castra se recepit, & DEiparæ V. in mancipium consecravit, gestata è collo catenulâ, quam secum sepeliri voluit. Vitam conclusit morte heroica, expertus illud: *Vexillum ejus super me Charitas.*

Victima Charitatis.

5 In Belgio Antverpiæ P. Joannes Tollenarius, Belga, anno 1643. Erga ægros pauperes tenera & forti erat charitate. Mortui pauperis cadaver, in humeros sublatum, è superiore ædium parte deorsum deportavit, cùm feretrum per angustos gradus ferri sursum non posset. Ægri, qui viaticum acceperat, vomitum generosè ipse hausit, in reverentiam Eucharistici JESU. Aliàs è pauperis ulceribus horridi scutella bibit, ut se pervinceret. Animus illi excelsus & imperterritum ingenium: quòd ipse illa fere cote acuebat: *Ad Majorem DEi Gloriam. In nomine Domini* Auctor præcipuus fuit insignis Libri, *Imaginis primi sæculi Societatis* Inter moriendum se allocutus, *Ubi*, ajebat, *ubi hodie erimus?* & respondit sibi: *In sinu JESU & MARIÆ.* Felix receptus? Utinam esset noster! Mortuo parentârunt etiam Episcopi, & primaria Literatorum Sodalitas magno apparatu.

IV.

IV. APRILIS.

B. Aloysii gloria & perfectio ostensa S. Magdal. de Pazzis.

I. ANno 1600 Florentiæ S. Maria Magdalena de Pazzis, in mentis excessu vidit gloriam B. Aloysij Gonzagæ, erupitq; in hæc verba: O quam gloriam habet Aloysius, filius Ignatij! Nunquam id credidissem, nisi mihi ostendisset meus JEsus. Vellem proficisci per totum orbem, & dicere: quòd Aloysius, filius Ignatij, sit Magnus Sanctus. Habet tantam gloriam, quia operabatur ad intus. Aloysius fuit Martyr incognitus, tum per sui mortificationem; tum quia intimè cruciabatur, quòd DEum non amaret, sicut desiderabat; & quia videbat illum ab hominibus offendi. Sagittabat cor VERBI, quando erat hic inter mortales; scilicet crebris actibus Divini amoris, aliarumq; virtutum: & nunc dum est in cælo, sagittæ illæ conquiescunt in corde illius. *Nadasi in Indice Memor.*

Martyr incognitus.

Orationes jaculatoriæ.

Eodem die obierunt.

Volatilia nonnisi deplumata mensæ idonea.

Prædestinationis revelatio.

Summa S. Thomæ memoriæ mandata.

2. Ulyssipone, anno 1552 Pater Gonsalvus de Medeiros, Lusitanus; Societati olim aggregatus, postquam pro concione audivit: altilia, non nisi occisa & deplumata, regiæ mensæ inferri. Statuit igitur, omnibus relictis, mundo, & sibi mori, ut cælesti mensæ fieret idoneus. Aliquando graviter perplexo de salute sua æterna, adfuit Angelus, dicens: *Confide: tu salvus eris.* Manè tres horas, vesperi alias tres orando ducebat. S. Thomam Aquin. dicitur totum memoriâ complexus.

Concionator efficax.

Meretricum conversio.

Centeni juvenes ad statum religiosum perducti.

Imago B. V respondet consulenti.

3. Compluti in Hispania anno 1586, P. Joannes Ramirez Hispanus pro concione dicere, ac vivere desijt; magnum inter claros Hispaniæ concionatores nomen. Vox ejus vox erat virtutis divinæ. Valentiæ è triginta prostituti pudoris fœminis, quæ cuidam ejus concioni aderant, duæ supra viginti ad castitatis castra repentè sunt conversæ. Salmanticæ per Quadragesimam auditus, ducentos præstantis indolis ac doctrinæ adolescentes, inter quos clarissimus Theologus Franciscus Suarez, impulit ad varios Religiosorum ordines. In quodam dubio cùm coram Imagine DEiparæ V. consilium ejus imploraret: Imago manifestè illi annuit, capite inclinato. Hæsitanti adhuc, & nutu capitis & voce diserta respondit Virgo: *Ita faciendum esse.* Et res de qua agebatur felicem exitum est sortita. Oranti intensiùs pro defuncta fœmina nobili coram Venerabili, apparuit illa, tota in igne, dixitq; : æternis supplicijs se addictam ob Confessionem præ pudore sacrilegè factam.

V. APRILIS.

S. Ignatius peregrinus Romam venit.

I. ANno 1525, S. Ignatius intentus in peregrinationem Hierosolymitanam, Romam pervenit, habitu peregrini vilis & subsidio omni destituti, præter copiosissimam in Divina Providentia fiduciam. Acceptâ ab Hadriano VI. Pontifice benedictione, pedes & mendicans Venetias tetendit. Perpulerat eum quidem quorundam benevolentia: ut nummos 7. aureos acciperet in futuram navigationem, & occursuras necessitates: at ille mox graviter doluit de admissis, omnesq; ne obolo sibi relicto, in occurrentes men-

Eleemosynam acceptam in pauperes erogat.

mendicos divisit, ratus satis opulentum & benevolum provisorem sibi sufficere DEum. *Bartoli in Vita lib. 1. n. 23.*

2. In Hispania, inclyta Complutensis Academia anno 1602, hoc die, datâ epistolâ ad Clementem VIII, omni, quo poterat, optimo modo fidem fecit; Doctores suos Theologos, ex mandato supremi Senatûs S. Inquisitionis, Librum P. Ludovici Molinæ, diligenter legisse, consideràsse, & excussisse, tam privatim, quàm collatis in unum consilijs; sententiamq; suam pro illo ad sacrum illum Senatum expedivisse. Hanc epistolam dedit Academia prædicta in Confirmationem prioris, quam anno præcedente, 10. Novemb. expediverat ad eundem Clementem, significando, de diligentissimè excusso libro Molinæ per annum integrum, & sententiâ pro illo pronunciatâ: quam etiam approbârunt plurimi alij Hispani Doctores. Epistolam utramq; recitat. *Eleuther. hist. de Auxil. lib. 4. cap. 35.*

Academiæ Complutensis sententia honorifica de libro Molinæ.

3. In Gallia anno 1565 ingens tempestas consurrexerat contra Collegium Parisiense, imò sub hoc nomine contra Societatem universam. Contra Collegium in Senatu steterunt, & pugnârunt, nomine Academiæ Paschasius quidam, antesignanus cæterorum; nomine Episcopi alius, nomine civium seu mercatorum alius, alius nomine Curionum, ac deniq; pro Mendicantium Ordinibus alius. Adversùs tam numerosam & potentem aciem unicus pro Societate stetit Patronus, Petrus Versoris, qui hac die non minùs graviter, quàm fideliter & feliciter peroravit. Post hunc consurrexit Advocatus regius, homo ancipitis religionis, cujus tamen in Senatu Parisiensi maxima erat authoritas. Prima specie agere videbatur pro Societate: sed paulò pòst acerbissimè in eam est invectus. Profecit tamen nihil, cum omnibus asseclis suis. Senatus rejecit causam ad regium consilium. Interim Pontifex Pius V, datis literis, plenaq; authoritate sua, causam Collegij commendavit Regi, & Cardinali Borbonio; & sic compositi sunt motus, *Sacch. p. 3. lib. 1. n. 8. & seqq.*

Collegium Parisiense gravẽ superat tempestatem.

Eodem die obierunt.

4. Conimbricæ, anno 1599, P. Georgius Tavora, Lusitanus, in obsequio peste infectorum. Vir planè misericordiarum, natus videbatur ad miserorum levamen. Ipse ægros è publico in hospitia deportabat, lavabat, vestiebat, tondebat, vulnera fovebat, tuguria construebat, ligna cædebat, & comportabat, nihilq; omittebat quo ad corporum curam, ut animas lucraretur. Cum à Sandapilariis efferretur ipse, urbs tota ingenti miserorum ejulatu personuit.

Victima charitatis pretiosa.

5. Bituricæ in Gallia anno 1635, Pater Ludovicus Lallemant Innocentia illi nulla graviore noxâ temerata, mirum in affectus suos dominium. Paupertas etiam in

Paupertas etiam in Biblijs & Breviario.

in Bibliis sacris, & Breviario relucens, conscientia quotidiè diligenti exomologesi purgata. Mortuo capilli & vestes vulsæ ad venerationem.

Gubernandi peritia. 6. Montellæ in Hisp. anno 1637, P. Martinus de Roa, Hispanus. Post annos 16 impensos Cordubæ juventuti humanioribus literis, & solidæ pietatis exercitiis excolendæ, atq; sacrarum literarum eruditam interpretationem, gubernationi admotus, rarâ prudentiâ & charitate rexit Collegia, Xerense, Astigitanum, Hispalense, Malecitanum & Cordubense, ac deniq; Provinciam Boeticam. Inter curas gubernationis non omisit piorum eruditorumq; librorum elucubrationem: quorum duos supra viginti recenset Soutvellus *in Bibl.*

Victima fidei. 7. In America anno 1690 odio fidei interfecti sunt à barbaris Tauramaribus P. Didacus Ortiz de Zovanda, & P. Emmanuel Sanchez. *Ex libro Suffragiorum.*

VI. APRILIS.

S. Xaverij gravia monita. 1. ANno 1552 S. Xaverius in procinctu itineris Sinensis, communicavit P. Gaspari Barzeo, Rectori Collegij Goani, Privilegia Pontificia Societati concessa, sibi recenter transmissa à S. Ignatio; concedendo etiam, ut eorum usum alijs, quos idoneos judicaverit, communicare possit. Subjunxit deinde complura monita, quæ diligentissimè observaret, ad felix regimen istius Collegi. Primùm est: ante omnia satage, ut in continuo intimæ tuæ depressionis sensu defixum teneas animum. *Humilitas prima dos regentium.* Cum Patribus, sive qui domi tecum vivunt, sive qui alibi degentes tibi subsunt, age semper cum magna modestia, affabilitate, indulgentia; sinè asperitate ulla vel fastu: *Affabilitas & suavitas superiorum.* nisi si qui eorum tua moderatione & humilitate abuterentur. Quidquid à Patribus aut Fratribus contra obedientiam peccabitur; aliqua pœna vindicetur: & in hoc Sacerdotum supra Clericos & laicos nihil eximij sors habeat. Si qui è tibi subjectis superbè se tecum gerent, & opinione sua tumidi, *Severitas in recalcitrantes.* supercilium elatum, ac frontem duram opponent tuis nutibus, eos tu vicissim preme, plùs imperiosæ severitatis, quàm benignæ affabilitatis ad illos adhibens. Ergo pœnas istis, maximè pro culpis quotidianis, publicas in- *Pœna publica.* junge; ac omni ratione provide, ne debilitatem in te aliquam hi sentiant, seq; timeri putent. Nihil magis confirmat in audacia, provehitq; ad rebellionem contumaces subditos; quàm experimentum infirmitatis in Præsidibus. Fac igitur omninò, quod jubeo; nec te respectus ullus aut metus judiciorum sermonumq; teneat, quominùs quod debes, exequaris. *Epist. novarum lib. 6. epist. 4. & 5.*

Pœnitentiaria Vaticana Collegium occupatum. 2. In Urbe anno 1570 Vaticanum Pœnitentiariorum Collegium, Societati reluctanti à Pio V. impositum, hoc die cum ipsius benedictione largissima occupatum est à duodecim presbyteris Nostris, variarum lingvarum peritis

peritis: ut cujusvis nationis accedentibus hominibus usui esse possent. *Sacch. p. 3. lib. 6. n. 1. & seqq.*

3. Rigæ in Livonia anno 1582 authoritate Stephani regis Poloniæ, compulsus est Senatus civitatis tradere Societati Templum S. Jacobi, cum ædibus adjacentibus, expulsis hæterodoxis ministris. *Sacch. p. 5. l. 2. n. 83.*

Rigæ Societati traditur templum S. Iacobi.

4. In Americæ portum, Buenos Aëres dictum Hispanis, feliciter appulsi sunt Missionarij nostri 44, anno 1691, operaturi salutem Americanorum in Provincia Paraquariæ, numerante præter Collegia Reductiones populosissimas 26, quarum minima numerat quatuor aut quinq; millia Christianorum. *Ex literis P. Antonii Sepp datis in Europam 1692, impressis Norimbergæ in Germania.*

Eodem die obierunt.

5. Mussiponti in Lotharingia, anno 1604, P. Thomas Darbisphirus, seu Albicher, Anglus, è patria odio fidei proscriptus. Ad carceris ærumnas ferendas animatus est ab ipso Christo objectu cruentæ imaginis suæ. Cum deliberaret, an Carthusiam, vel Societatem ingrederetur, inter orandum vidit virum clausis januis con clave intrantem, audivitq; dicentem: *Tu quidem Carthusianus si eris, saluti tuæ consules; sed ubi futurus est proximus?* In Societate egit Magistrum Novitiorum religiosissimum, operarium strenuissimum usq; ad 85 ætatis annum, catechistam parvulorum tam solidum & clarum: ut ejus catecheses Theologi in commentarium referrent.

Exul pro fide.
Christus confortat incarceratum.
Cura proximi commendata.
Catechista celebris.

6. Reginæ-Hradecii in Bohemia, anno 1654, P. Matthæus Preitenberger Bohemus, religiosa morte defunctus est, quem puerum DEipara V. à gravi morbo liberaverat. Ut in Societatem admitti posset ope S. Norberti, & S. P. Ignatii impensiùs imploratâ, strumam depulit. In tyrocinio Magistri Novitiorum jussu imperavit muscis aliisq; vermibus infestis; ut è granario facesserent, nec corrumperent frumentum, in usus servorum DEI congregatum. Habuit vim prompta obedientia. Conciderunt enim animalcula illa in tanta copia, ut palis ejici debuerint. Obsequio peste tactorum bis caput suum & operam devovit, magna virtutis & Societatis commendatione. Si quid novarum vestium ei afferretur, negabat hæc esse idonea vestiendo cadaveri; rejiciebatq;.

Obedientia cæca muscas enecat.
Vestis nova non admissa.

7. Vilnæ in Litvania anno 1668, Michael Iudkiewicz, Litvanus, Coadjutor Temporalis. Angelicæ puritatis studiosissimus, ante somnum manus sibi colligabat, ne fortè inter dormiendum minùs conveniente corporis tactu exerrarent. Totos 26 annos in Collegio numerosissimo impendit officio Coci tam accuratè: ut assiduè videretur ipsi obversari illud S. Patris effatum: *[C]um servio ijs, qui sunt servi Domini mei, cogito me servire ipsi omnium Domino.* Unde cùm duobus circiter ante obitum annis superiores illum à laborioso illo avellere vellent munere: cum lacrymis deprecatus est eam indulgentiam; *Ah liceat mihi,* orabat, *ad supremum usq; agonem Sanctis DEI id præstare obsequij.* Et præstitit fideliter alacriterq; usq; ad morbum supremum. *Ex Annuis*

8. Varsaviæ in Polonia anno 1666, P. Joannes Rywocki Prutenus: vir morti-

tificationis & religiosæ perfectionis perquàm studiosus. Ab ipso tyrocinio, assumpto corporis vexandi studio, nec muscas nec culices à facie vel manibus abigebat; & quàmvis per plures annos ante mortem acutissimis configeretur doloribus, consuetas corporis afflictationes nunquam intermisit. Coram Venerabili plures transigebat horas, ac præsertim illam, quæ post mensam relaxationi animi concedi solet. Cùm Provincialis iter ageret, semper oculos & mentem in Christi Crucifixi effigiem, intentam habebat, dicebatq; se à Christo Crucifixo mirabilem viam ad perfectionem didicisse. Gubernationis dono præstans, Collegia Brunsbergense, Vilnense, Domum Professam Varsaviensem, & bis totam Provinciam Litvanam gubernavit.

VII. APRILIS.

S. Xaverius in Indiam solvit è Lusitania.

1. ANno 1541 Ulyssipone solvit in Indiam S. Xaverius, cum Prorege Martino de Sosa, & duobus socijs, Paulo Camerte, & Francisco Mansilla. Jusserat rex Procuratorem classis Ataidium Comitem: ut omnia, non solùm ad necessitatem, sed etiam commoditatem, largè suppeditaret. Sed multa habita contentione cum Xaverio, non plùs extorsit: quàm ut paucu los libellos, & rusticas penulas pro frigore hyemali arcendo admitteret. Tantùm enim opibus sanctæ paupertatis detrahi, dictitabat Xaverius: quantum adderetur de bonis terrenis. *Bartoli in Vita lib. 1. n. 32.*

Itinerantium commoda neglecta.

Alexander VII creatur Pontifex.

2. In Urbe anno 1655 creatus est Pontifex Alexander VII, antè dictus Fabius Chisius. Propensum animum in Societatem declaravit, tum alijs luculentis argumentis, tum maximè constanti fortiq; solicitudine: ut Societas, quæ ex observantia erga Sedem Apostolicam, è ditione Veneta ultrò cesserat sub Paulo V; in eandem restitueretur. Quod tandem evicit. *Gomez in elog. Soc.*

Affectus ejus erga Soc.

Humilitatis cõmendatio S. Xaverio familiaris.

3. In India egregiam epistolam dedit S. Xaverius ad P. Barzeum, virum Apostolicum: quam sic orditur. Petis à me, mi Gaspar, ut quoniam multus esse soleo in commendanda humilitate, & tu ipse intelligis, quanti ea virtus pretij ac momenti sit: etiam ejus exercendæ quandam methodum suggerere ne graver. Equidem libenter in eo argumento versor: ac quoniam tui causâ volo plurimùm, & tibi audiens circumstrepere plausus concionum interdum (ut est amor anxius) vereor: ne dum sentis te placere omnibus incipias ipse tibi non displicere. Adscribam hîc quæ in mentem veniunt idonea, nî fallor, ut velut amuleti tibi vice sint, ad prævertendam vim noxiam blandi veneni arrogantiæ, per auram popularem, inter gratulationes, insidiosè ad incautos adrepentis. Ita Xaverius: proponit deinde varia media? *Epist. novarum lib. 6. epist. 1.*

Media ad eam acquirendam, vide in ep.

Eodem

Eodem die obierunt.

4. Vigorniæ in Anglia, anno 1606, Pater Edvardus Oldetonus Hallus, Anglus, post 18 annos in patria excolenda multo labore positos, tentus, atq; in odium fidei Catholicæ suspensus, & laniatus. Ignis, quo ejus intestina combusta sunt, per totos 16 dies extingvi non potuit, licet aquâ largissimè affusâ. Crevit postea in eodem loco gramen in modum regii diadematis, diuq; perseveravit. Inter alios ad Ecclesiam reductos, nobilem matronam in sua secta contumacissimam, expugnavit tandem (cùm rationibus flecti non posset) pertinaci quatuor dierum jejunio. Fassa est ipsa, conversam se; quòd vidisset P. Edvardum sui causâ, quarto jam die jejunium tolerare.

Victima fidei. Ignis inextingvibilis. Corona graminea. Jejunium efficax ad animarum conversionem.

5. Madriti, anno 1658, mors suavissima sustulit P. Joannem Eusebium Nirembergium, Germanis parentibus in Hispania ortum: cujus morientis vox, post altum silentium, fuit: *Quam dulcis res est mori!* Ad talem mortem per omnem vitam se disposuit singulari Orationis & mortificationis studio. Orationi, dum scholasticus esset quotidie quaternas dabat horas, septenas postea. In alios blandissimus, in corpus suum crudus omnino fuit, quod exquisitis modis, & somno quatuor tantum, vel trium horarum, atterebat; nunquam lecto, nisi cum ægrotaret, usus. Dirigendis in spiritu Prælatis, proceribus & illustribus matronis, excipiendisq; affluentis populi confessionibus ita se impendit: ut miraculi loco habitum sit, eum tot tantosq; elucubrare potuisse Tomos, & libros eruditione omnigena refertos. Quinquaginta recensset Soutvellus in Bibliotheca Societatis. Non unum misit DEipara V. ad Patrem Joannem pro consilio in salutis negotio. Angelus quoq; expedivit quendam ad ipsum: ut quædam ab Angelo, dicta obscuriùs sibi peteret explicari.

Mors suavissima P. Nierembergij. Oratio prolixa. Somnus 4 horarum sine lecto. Director conscientiarũ excellens. Librorum editorum copia.

VIII. APRILIS.

1. ANno 1544 S. Xaverius literis Manapatare datis ad P. Franciscum Mansillam, laudat fructuosum ejus laborem in excolendis Indis sibi commissis, monetq;: ut fructum omnem non sibi imputet, sed authori DEo. Sic tecum reputa, inquit, si quid bonæ frugis molendino elaboretur, totam ejus in solidum laudem esse magni Molitoris & Domini, qui aquam affundit, quâ mola versatur, ac tota incitatur ac vivit machina. *Epist. nov. lib. 2 epist. 4.* Miranda DEi judicia! Insignis hic operarius, à S. Apostolo tam laudatus, tot epistolis informatus, eò tandem devenit; ut è Societate dimitti debuerit. Nimirum in provectiore ætate eam amplexus, ingenium attulit minùs tractabile; & bona quæ agebat, proprij judicij ac voluntatis tenacitate corrumpebat. Cùm igitur Superioribus non satis morigerum se præberet: maluit Sanctus, in tanta operariorum paucitate, laborum socio carere: quàm cervicosum tolerare. *Orland. hist. Soc. p. 1. lib. 5. n. 94.*

De laboribus Apostolicis non gloriandum. Operarius strenuus sed judicij sui tenacior dimissus à S. Xaverio.

2. In Prussia Regiomonti, civitate vasta, inchoata est Missio Collegij Brunsbergensis, anno 1650, promovente Serenissima Regina Poloniæ Ludovica. Primi illuc expediti sunt P. Michaël Radau, & P. Andreas Zieniewicz;

Missio Regiomontana inchoata.

wicz; ille Germano, hic Polono idiomate rem Catholicam promoturus. Insignes atq; copiosos fructus tulit hæc Missio: quæ nunc jam quinq; constat Operarijs nostris, numeratq; Catholicos millenos, quorum illo tempore erant perpauci. *Ex hist. Coll. Brunsb.*

Eodem die obierunt.

Obedientia & humilitas terribilis dæmoni. Vindicta divina inexorabilis.

3. Ulyssipone, anno 1559, magnus in pusillo corpore Servus DEI P. Leo Henriquez, Lusitanus. Præclara illius obedientiæ, humilitatis, aliarumq; virtutum decora, terribilem fecerunt dæmonibus, gratiosissimum DEO & hominibus. Non uni comparuit adhuc vivens & absens, juvitq; in gravi necessitate. Coram SS. Sacramento ferventiùs oranti pro avertendis publicis calamitatibus, allapsa vox est ex hostia sacra: *Nequaquam, nequaquam! Dimitte me, dimitte: nam castigabo, castigabo!*

Vocatio ad artem medendi animis. Pater cum 3 filijs Societatẽ ingressus.

4. Messanæ in Sicilia, anno 1592, obdormivit in Domino P. Antonius Sardus, Siculus, ante initam Societatem medicus celebris, & qui quasi principatum artis medicæ per Siciliam obtinebat. At ubi à Christo audivit: *Veni post me, faciam te fieri medicum animorum*; relictis omnibus Societati ejus se addixit cum tribus filiis eximiæ indolis; respond itq; cumulatè vocationi suæ moribus & gestis.

Humaniores literæ 34 annis traditæ. Boni Patris cognomentum.

5. Luxenburgi in Germania, anno 1657, religiosam mortem oppetiit P. Dominicus Pierius, Belga; longâ plùs quàm quatuor ac triginta annorum patientiâ in humanioribus literis tradendis exercitatus, cum amplissimo fructu virtutis. Apud omnes singularis modestia, suavis animi candor, & religiosus agendi modus, nomen *Boni Patris*, illi conciliârunt.

IX. APRILIS.

Marcellus II. creatur Pontifex.

1. DEfuncto Julio III. Pont: successit anno 1555. Marcellus II. Cervinus antè dictus, ingenti bonorum omnium gratulatione ac plausu, ipsis etiam plaudentibus sibi purpuratis Patribus, ob tam felicem electionem. Novum Pontificem cùm adorandi gratulandiq; causâ, noster quoq; adiisset Pater, S. Ignatius: Pontifex hominem arctè complexus, & suaviter deosculatus, cum eo inambulans, de re componenda Christiana, de propaganda Christi fide, de veteri disciplina restituenda, de sanandis denique affectis Christianæ reip. partibus, multa contulit. Deniq; cohortatus ad augendam religiosæ militiæ Societatem; *Tu*, inquit, *milites collige, & bellatores instrue: nos utemur.* Sed spes amplissimas paulò pòst inopina mors succidit. *Orland. hist. Soc: p. 1. lib. 15. n. 3.*

S. Ignatium hortatur ad milites colligendos & instruendos pro Ecclesia.

Constitutiones Soc. primùm promulgatæ.

2. In Hispaniam expedivit S. Pater anno 1553. P. Hieronymum Natalem, cum titulo & potestate Commissarij; ut Constitutiones recens editas promulgaret: & si videretur è re Divina, & communi Societatis bono, futurum, etiam declararet, corrigeret, & ad constantem observantiam aptaret. Tantum homini tribuit Vir modestissimus, & rerum suarum parcus æstimator. *Orland. ibid. lib. 13. n. 7.*

3. In India S. Franciscus Xaverius ad Sinas profecturus anno 1552, epistolam dedit Romam ad S. Ignatium; quâ petijt idoneos operarios pro vinea Indica. Concludit epistolam: *DEus nos in cælestium felicitate, & (si ex ejus gloria futurum est) in hac vita conjungat. Id enim si mibi imperetur, Obedientiæ vi nullo negotio effici potest.* Epist: veterum lib. 4. ep. 6. En stupendam resolutionem, ad nutum Obedientiæ deserendi terras vitâ sibi chariores, Indiam, Japoniam, Sinas; & remetiendi Oceanum, immenso tractu ab illis avulsum! *Obedientia S. Xaverij parati ad redeundum in Europam.*

Eodem die obierunt.

4. Vallisoleti in Hisp. anno 1615, pro fide exul, P. Guilielmus Westonus, Anglus, post ærumnosissimos carceres annis 17 toleratos infractâ constantiâ. Expeditus ex Hispania in Angliam, vestes novas admittere noluit, dicens: se in attritis & vilioribus faciliùs à DEO agnoscendum pro suo. Post sacrificium divinum celebratum horam integram dabat gratiarum actioni, & colloquio cum DEO: cui cùm aliquando anxius se & negotia sua commendaret, in carcere; vidit instar fili lucidum radium protensum è cælo, cum hac voce: *Hoc ego te filo sustensum habeo è providentia mea: tutum sum ego, nec te deseram.* Inde illi admirabilis fiducia in DEUM, inter mille præsentissima capitis pericula, & infestissimos Dæmonum insultus; quos vicissim ipse graviter vexabat, ejiciendo ex energumenis. Præfuit Missioni Anglicanæ singulari prudentiâ, dexteritate & zelo, fructu verò incomparabili. Accepto imminentis mortis nuncio, exultans occinuit: *Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi: in Domum Domini ibimus.* *Exul pro fide. Carcer annorum 17. Paupertatis amor. Providentiæ divinæ filum. Victima fidei jucunda.*

5. Messanæ in Sicilia, anno 1612, inter dulcissimos cœlestis musicæ choros, requievit P. Hieronymus Galitia, Siculus, ingenio, doctrinâ, puritate, & religiosæ disciplinæ studio insignis. *Musica mors.*

6. Romæ anno 1583 Vincentius Aragonius, Ducis Terranovæ, & eo tempore Gubernatoris Mediolanensis, filius: ut egregiè efflorescentem virtutem suam proveheret ad perfectionem, & honores Ecclesiasticos, quibus à patre parabatur, declinaret: inscio ipso Romam evolavit, & se ad Societatis domum probationis recepit. Sed mox gravi ægritudine correptus, intra decimum quartum diem piè decessit. Initio morbi Cardinalis Farnesius juvenem ad palatium suum transferre summopere contendit: sed ille in sinu Societatis pauper mori, quàm in palatio splendidè foveri maluit.

X. APRILIS.

1. MAgnum columen Societati subtraxit hic dies, anno 1585, Gregorium XIII. Pont. Max. cælo quidem maturissimum; ut qui ætatem ad annos 83 extenderat; meritorum autem copiam in omnem æternitatem. Nemo alius tot Societatem Constitutionibus & Indultis firmavit, & munivit; nemo tot beneficijs ornavit & locupletavit; nemo tot laudibus extulit, & planè paternâ curâ fovit. Unum pro multis beneficentiam ejus prædicabit æter- *Gregorius XIII moritur.*

Beneficentissimus in Societatem. æternùm, Collegium Romanum, munificentissimè grandi sumptu fundatū, præter plura alia urbis Collegia, & sparsa per orbem Seminaria, Societatis gubernationi tradita. Obijt Sanctissimus Pontifex in affluentia solatiorum liquidissimorum, paulò pòst, quàm P. Mesquita trium Japoniæ Principum Legatos, sacras ejus plantas, & supremam in terris dignitatem veneraturos, in urbem adduxit. *Sacch. hist. Soc. p. 5. lib. 5. n. 12.* Romani Pontificis idea, qui in pauperes vicies centena aureorum, millia (ut ex publicis tabulis constat) scribitur impendisse, rectè usus Christi sangvine & liberalitate Christianorum: sub cujus Pontificatu in S. R. E. ditione justitia, pax, rerum omnium copia floruisse perhibentur. Laudatus est eximiè à M. Ant. Mureto Lemovice excellentissimo Oratore, & non satis, materiâ orationem superante. *Brietius.* Eidem Pontifici in perpetuam rei mem: exstat insculptum sequens elogium Brunsbergæ: GREGORIO XIII. Gente Boncompagno, Patriâ Bononiensi, Pontifici virtute, doctrinâ, meritis in urbem & orbem Maximo, Seminariorum pro diversis mundi partibus viginti trium (& in his Brunsbergensis pro Svecia, Gothia, Vandal: Norveg: Dania: Pomer: Prussia; Livon: Moschov: Russia, Litva: & Hungaria. Anno 1582.) Fundatori munificentissimo memoriam hanc erigi fecit Joannes Stephanus Wydzga Episcopus Varmiensis; ut legant & videant, qui carpunt quæ non capiunt: Romanis Pontificibus esse simul divitias artemq; fruendi: & Catholicam Ecclesiam habere opes, non ut servet, sed ut bene eroget. Anno 1664.

Elogium Gregorio XIII. insculptum.

2. In Lusitania anno 1596 Ulyssipone in Japoniam solvit P. Carolus Spinola, cum P. Hieronymo de Angelis, & sex alijs sociis, quanta alacritate, tam infelici navigatione. Vi enim tempestatis acti sunt primùm in Brasiliam; deinde altera tempestate in insulam Portoricco; deniq; cùm hinc cursum repeteret navis, ab hæreticis Anglis capta est, & in Angliam abducta cum sociis. Nihil tamen hostile passi sunt, quod non de industria appulissent in Angliam, & non Hispani, sed Itali essent. Permissi deniq; repetere Ulyssiponem, post tot ambages tantaq; pericula. Sed hæc omnia extingvere non poterant charitatem, qua rapiebantur in Japoniam, & ignes Japoniæ. Per biennium solicitavit P. Carolus Præpositum Generalem, ac tandem impetravit: ut iterum tentaret fortunam, quam expertus est magis faventem; feliciterq; penetravit in Japoniam, ex illa per ignes evolaturus in cælum. *Hugo in Vita cap. 5. & seqq.*

P. Caroli Spinolæ expeditio prima in Japoniam infelix.

Captus cum Socijs.

Post biennium repetijt iter felicius.

Eodem die obierunt.

3. In Philippinis, anno 1645, P. Joannes Dominicus Aresius, Sardus Missionarius impiger, inter orandum ab Indo (quem reprehenderat; quòd matrem mori permisisset, se non vocato, ad illam Sacramentis muniendam) lanceâ trajectus occubuit. Percussorem nullo modo prodere voluit; ne alicui exitio esset, qui omnium saluti se devoverat. *Victima fidei & charitatis.*

4. Limæ in Peruvia, anno 1651, innocentem vitam pia morte clausit P. Isidorus de Saavedra Peruanus, SS. Ignatij & Xaverij, imò ipsius Cæli Reginæ conspectu, non semel recreatus, & ad excelsam virtutem provocatus. *Deipara V. & SS. conspectus.*

5. Panormi in Sicilia, anno 1593, Magister Joannes Bapt. Tuballinus, Italus mori desijt, post toleratam per annos undecim paralysim, quâ prostratus, jacebat immotus, cadaveris instar, sed dolorum plenus. Nullum unquam impatientis animi signum dedit; nunquam petijt aliquid, quo recrearetur, licet obnixè invitatus à Superioribus, semper vultu amœno Angelum spirare videbatur pati nescium, ita; ut ipsos quoq; aliorum turbatos animos aspectu suo serenaret. *Mors diuturna sed amœna.*

6. Ingolstadij in Germania anno 1651 P. Georgius Stengelius, Germanus: doctorali Theologiæ laureâ, sed magis religiosa pietate ornatus. Fuit in dicendo, scribendo, & usu conscientias gubernandi, felix, amœnus & solidus. Insectationes, quæ subinde occurrebant, non ut injurias, sed ut benevoli animi tesseras accipiebat; vir & sine supercilio doctus, & non artificiosè humilis. Ut proximo diutiùs & solidiùs prodesset; labori dicendi ex pulpito sacro, junxit lucubrandi studium, editis in diversa materia libris ad septuaginta & ampliùs, quos recenset Soutvellus *in Bibl. Soc.* *Librorum editorum copia.*

7. P. Didacus Strunica. Post abdicatas cum hæreditate lauta (Majoratum Hispani vocant) nobilitatis avitæ spes, receptus in Societatem Salmanticæ Indias omnibus votis concupivit. In Peruam secunda navigatione delatus, cùm in Americanis mancipijs instituendis, uti optaverat, lateret, translatus est subitò ad Limanum tyrocinium regendum, ob eximiam sanctimoniam pari conjunctam prudentia. Procurator ad conquirendum Christi cohortibus supplementum in Europam missus, inde copiosam strenuæ juventutis retulit manum. Dum infestum prædonibus mare percurreret, incidit in Anglorum classem: portenti simile visum est, quòd oborta repente nebula, navim qua vehebatur, oculis hostium subduxerit. Neq; hoc prodigio caret, quod ægrotanti contigit. Jacebat omni ciborum sensu gustuq; captus. Jubente medico, ut ediceret, ecquid obsonij palato arrideret; ille ut erat obsequentissimus, candidè ferinam nescio quam appellavit. Sed hujus ne notum quidem illic nomen erat. Quæritur nihilominus, ut ægroto satisfiat. Prodeunti famulo puer ignotus in limine occurrit cum illo ipso ferculo: idq; ipsum aliàs eidem accidisse narrant. Sic servos suos DEUS ac filios *usq; ad delicias amat.* Extinctus est Guamangæ hoc die 37. annorum, sed virtutum plenus & meritorum. Exequiæ per dies octo à Clero & Ordinibus religiosis celebratæ. *Iuventius fol.* 782.

XI. APRILIS.

1. Cùm laudatissimo Pontifici justa persolverentur, Gregorio XIII, in Basilica Vaticana: P. Stephanus Tuccius solemni panegyri immortalia ejus merita celebravit tantò splendidiùs; quantò plùs veritatis, quàm pigmen- *Gregorio XIII parentatum.*

mentorum Rhetoricorum, illuſtrabat orationem. Statuam in Capitolio S. P. Q. R. poſuit Principi Optimo & Pontifici Maximo; Societas multis ſacrificiorum millibus parentavit beneficentiſſimo Patrono ſuo, & Fundatori Collegij ampliſſimi, è quo, velut ex arce, erumpunt in orbem univerſum validæ copiæ in propugnationem & propagationem Eccleſiæ: prout jam olim vaticinatus eſt S. P. Ignatius. *Spondan. ad ann: 1585.*

2. Idem Gregorius, Pont. Max: propenſiſſimi animi ſui in Societatem inſigne dedit argumentum anno 1573. Cùm enim hoc die acceſſiſſent eum, Congregationem tertiam Generalem celebraturi, P. Polancus Vicarius Generalis cum alijs aliquot Patribus Deputatis, benedictionem à Sua Sanctitate petentes pro electione novi Præpoſiti Generalis, poſt obitum S. Borgiæ: peramanter excepit illos; inſinuavit tamen: cùm præcedentes Generales omnes fuiſſent Hiſpani, nunc ex alia aliqua natione illum eligendum videri. Sed cùm Polancus repoſuiſſet; Congregationes Generales eâ potiſſimùm de cauſa Romæ à Societate celebrari, ut ſub umbra & tutela Sedis Apoſtolicæ illæſa gaudeant ſuffragiorum libertate: facilè annuit, benedixitq; Pontifex. Et electus tandem eſt Everardus Mercurianus, is quem ipſemet optaverat. Promovit negotium Electionis Beatiſſimus Pater non votis ſolùm, ſed Sacrificijs DEo oblatis. Cùm enim illuxiſſet dies Electionis, inter eundum ad Sacrum, clara voce, ut omnes circumſtantes audirent, ſacrificaturum Sacerdotem appellans: Fac de S. Spiritu, inquit, pro Generali Societatis legendo. Idemq; ob interrupta eo die comitia, juſſit poſtero die fieri. *Sacchin. hiſt. Soc: p. 4. lib. 1. n. 35.*

Eodem die obierunt.

2. Poſnaniæ in Polonia, anno 1610. P. Stanislaus Gawronski, Polonus, olim B.
Commoditatum neglectus. Aloyſio Romæ contubernalis, & virtutum æmulus. Illuſtri licèt domo natus, cùm
Romam proficiſceretur, aurigam agere non erubuit; & aliàs etiam Rectorem Colle-
gij agens, ultima omnia eligebat, cibo valdè modico, ſæpè nullo, contentus lectulo
duro, veſtibuſq; attritis paſſim utebatur. Quem commoditatum ſuarum neglectum
videtur DEUS compenſâſſe etiam in hoc mundo; quando poſt annos à morte duo-
Incorruptio cadaveris. decim, cadaver ejus inventum eſt penitus incorruptum, colore albo, quin & ſangvine
è preſſo labio, & auriculâ dexterâ expreſſo; cum interim Sarcophagus ac veſtes pla-
nè conſumptæ eſſent. Rem & noſtri, & 4 Medici exploravêre; auxitq; admirationem
corporis complexio, ſucci & carnis plena, locuſq; ſepulchri humidus à fluvio vicino.

3. Limæ in Peruvia, anno 1652, terrena reliquit Antonius Ruiz de Montoya, Apo-
Seraphicus amor impetratus ſtolicis laboribus in Paraquaria perfunctus. A DEipara V. ut Seraphinorum Regina
multis precibus & ſui mortificationibus Seraphicum erga DEum & ipſam amorem pe-
tijt, ac impetravit. Offerens illi aliquando cor ſuum, vidit ab ipſa gratioſè acceptari,
Cor Marianū pectori insertū & in pectore ſuo recondi; ac viciſſim cor Marianum pectori ſuo inſeri. A Chriſto
lateri ejus aperto admotus, cæleſtes delibavit delicias. In quanta fuerit opinione ſan-

ctita-

ctitatis, funus docuit. Prorex enim Peruanus cum consilio Regio, suis humeris corpus P. Antonij sepulchro intulerunt: Religiosus autem pius de Mercede Redemptionis Captivorum, vidit animam ejus cum gloria cælo inferri. *E Christi latere haustus.*

4. Vilnæ in Litvania anno 1668 P. Joannes Jacknowicz, Litvanus. Inter quævis honorata officia, quæ gerenda fuerunt, sive Rectoris, sive Præpositi, instituendis rudibus juvandisq; pauperibus constanter sese impendebat. Ter ad obsequia pestiferorum se demisit. In suprema ætate, ferè octogenarius, ad Grammaticam docendam descendit: nec paucis editis libellis proximi salutem promovit, vir æquè humilis ac zelosus. *Soutvellus in Bibl. Soc.* *Humilis charitas.*

XII. APRILIS.

1. ANno 1599 Albertus Archidux, Cardinalis, & Lusitaniæ Gubernator, literas dedit ad Clementem VIII, quibus significavit: P. Ludovici Molinæ Librum de Concordia Liberi Arbitrij, cum Gratiæ donis, Divina præscientia, & Prædestinatione, à se traditum esse examinandnm Senatui Inquisitionis, alijsq; Doctoribus, inter quos aliqui erant ex Ordine S. Dominici: atq; ab ipsis in eo Libro nihil compertum esse, quod Censuram promereretur; imò potiùs judicatum esse; eum continere doctrinam valde utilem, sanam & conformem Scripturæ, Concilijs & SS. Patribus; & quòd Author omnibus, quæ opponebantur, solidè satisfaciebat: ut liquet ex Decreto ejusdem S. Inquisitionis. *Hæc Albertus Cardinalis.* Sic in judicio contradictorio probatus & approbatus Liber (qui primus fuit ex editis in materia Theologica, à Societatis Theologicis) ac insuper à regijs Castellæ & Arragoniæ Concilijs laudatus, gravi præjudicio tutus videbatur: sed ut magis inclaresceret, ad tribunal Romanum trahi debuit. *Eleuther. hist. de Aux. lib. 2. cap. 3. & 4.* *Liber P. Molinæ ab Inquisitione Lusit: approbatus.* *A Consilio regio Castellæ & Arragoniæ laudatus.*

2. Venetijs anno 1550 institutum est Collegium Societatis, promovente, imò authore, Andrea Lipomano, Viro amplissimo & doctissimo: qui jam antè primum in Italia Collegium Patavij erexerat, alebatq; ibi personas 12; quot etiam pro Venetijs à S. Ignatio expetijt. *Orland. hist. Soc. lib. 10. n. 96.* *Venetum Collegium fundatum.*

3. Romæ, post translatum ad Beatos S. Franciscum Borgiam Præpositum Generalem, celebrari cœpta est Congregatio III. Generalis: in qua deinde P. Everardus Mercurianus electus est in IV. Societatis Generalem. *Hist. Soc. par. 4. lib. 1.*

Eodem die obierunt.

4. In Æthiopia, anno 1940, P. Brunus à S. Cruce, Italus, & P. Ludovicus Caldeira, Lusitanus, in odium fidei ab Alexandrinis Schismaticis suspensi & lapidati, pro more Æthiopum hac morte Catholicos plectentium. P. Brunus ante suspendium ad Patris Ludovici genua provolutus, petijt ab eo benedici funi suo & sibi, multaq; morti- *Victima pro fide.*

 tifica-

tificatione se ad eam lauream disposuit. Aliàs ab ijsdem hæretico-Schismaticis Catholico nomini infensissimis, quinq; lethalibus vulneribus sauciatus est: vixit tamen superstes, altiori theatro & gloriosiori triumpho reservatus. Cùm aliquando Deip. V. peteret robur & constantiam in periculis & tormentis; adspectabilis facta V. Mater annulo in digitum inserto, eum sibi despondit. Propertius Medicus, P. Bruni Germanus, acerbis doloribus humeri afflictus, audita ipsius morte, literas quas antè ab ipso ex Æthiopia acceperat, humero ægro admovit, petens à DEo sanitatem, si verum esset, quòd Pater Brunus odio fidei Romanæ occisus esset. Confestim cessavit dolor, nec redijt.

P. Brunus à DEipara V. desponsatus.

Cædes ipsius pro fide divinitus firmata.

5. In Peruvia, anno 1603, P. Petrus de Anasco, Hispanus, ad immortales transijt, percharus DEiparæ V. à qua cum parvulo JESU comparente, sanitati olim restitutus fuit, & jussus ingredi Filij sui Societatem. Ad insignem perfectionem se excitabat exemplis aliorum, quibus convivebat, observando quanam virtute quis excelleret, eamq; imitari studebat.

Vocatio ad Societatem per B. V.

Exempla domestica.

6. Montanæ ibidem anno 1624 non sine suspicione propinati veneni obijt P. Gaspar Ruess, Germanus, zelo Apostolico, & lingvarum novem peritiâ præstans. Pudicitiæ & Obedientiæ insigne specimen dedit: quando, in defectu medici, adducta est anus honesta, quæ gravi morbo remedium afferret. At P. Gaspar eam conspicatus, illicò contestatus est, se mori malle, quàm partem aliquam sui committere fœminæ. Ubi autem intellexit, eam esse Superioris voluntatem; sine mora morigerum se præbuit; & perpetuam, qua florebat, Virginitatem suam, pretioso victricis Obedientiæ diademate coronavit. *Soutvellus in Bibl. Soc*

Pudicitiæ & Obedientiæ insigne specimen.

XIII. APRILIS.

I. ANno 1552, Goâ literas dedit S. Xaverius Meliaporam ad P. Cyprianum; quibus graviter eum monet: ut asperiorem agèndi modum, præsertim cum Prælatis & Magistratibus sæcularibus, deponat. Accepi, inquit, te isthic aliquid negotij habere, & alijs facessere. Oro te per DEum, & Societatis nostræ Parentem Ignatium, qui tibi sanè notus est: ut demissum te, humilem ac patientem omnibus præbeas. Atq; illud mihi affirmanti credas, velim: quod Christiana humilitas atq; modestia non impetrat; haud quaquam per elationem animi, atq; iracundiam extorqueri posse. Sed nimirum in eo interdum hallucinamur, quòd observantiam à populo, atq; obedientiam expetimus, hoc uno nomine; quòd simus è Societate JEsu. Neq; enim admodùm laboramus de virtutibus Sociorum proprijs, ob quas scilicet DEus Societati tantùm apud populos auctoritatis dedit. At nos ejus auctoritate, atq; existimatione uti malumus; quàm humilitate, moderatione cæterisq; virtutibus, quibus illa partam tuetur dignitatem. *Concludit postea:* Noli per DEum immortalem, cum Magistratibus, quamvis multis ac magnis lacessitus injurijs, suscipere simultatem. Sic enim habeto: ejusmodi diffidijs multos ac magnos animorum fructus interire, quos erat latura concordia &c. *Epist. veterum lib. 4. epist. 10.*

S Xaverius observantiam Prælatorum & Magistratuum graviter commendat.

Societatis nomen & honor nullius defectum excusat.

Etiam acceptâ injuriâ non litigandum cum Magistratibus.

2. Pius IV. hoc die, anno 1561, confirmavit concessam à prædecessoribus suis Paulo III. & Julio III, facultatem, & de novo concessit: ut Societas etiam intra 140 cannas aliorum Ordinum, excitare possit domicilia sua. Constitutio incipit: *Etsi ex debito Pastoralis officij &c.* Bullar. Societ.

Domicilia Societatis intra 140 cannas construi possunt.

Eodem die obierunt.

3. Brunsbergæ in Prussia anno 1622, P. Engelbertus Keilert, Germanus, operarius perstrenuus, maximè in disponendis ad felicem mortem ægris: quos non verbis solùm opportunis, sed multa oratione, & sui mortificatione juvare studebat. Hanc Patris Engelberti opem expertus Sacerdos quidam externus, post mortem illi comparuit, gratiasq; egit amplissimas pro fideli opera in extremis sibi præstita.

Pro dispositione bona ad mortem gratiæ actæ à defuncto.

4. Giennæ in Hisp. anno 1657. vitâ functus est P. Franciscus de Laredo, Hispanus, inter primos ætatis suæ Concionatores dicendi facundiâ & animarum zelo, numeratus. Inter exequias panegyri funebri pro merito laudatus est à quodam diserto, sibiq; peramico, Ecclesiaste ex S. Augustini familia. Post paucos dies comparuit eidem interdiu P. Franciscus, ex interiore cubiculo in conclave ingressus, in solita Societatis veste, vultu tamen solitò amœniore, & quiddam cælestis jucunditatis ac majestatis præferente. Turbatum primo aspectu religiosum jussit bono esse animo; & mox adductâ sellâ, ut amici solent, consedit, dixitq;: Se DEi nutu venisse ad gratias ipsi agendas pro panegyri in funere suo dicta, quam Angelus suus Custos honorârit, concionanti assistens. Addidit deinde scito Societatem JESU æterno Numini in delicijs esse. Sunt enim ei gratissimæ hujus Ordinis functiones. Perge porrò sinè mora ad P. Collegij Rectorem, & hæc ei meo nomine dicas: Caveant maximè Societatis Concionatores, ne verborum phaleras & flosculos captent, spargantq;; sed solidis argumentis corda moveant; ego enim, quia junior elegantiæ studiosior fui, plusculos dies in Purgatorio vanitatem expiare debui. Sic ille Concionatorum post mortem concionator, dixit, & disparuit.

Gratiæ actæ pro f[illegible] panegyri à defuncto.

Societas DEO grata.

Concionatores Societatis non ament verborum phaleras & flosculos.

XIV. APRILIS.

1. ANno 1552 S. Xaverius, ratus Apostolatus sui terminos non esse Indiam, & Japoniam, solvit Goâ in Sinas, effracturus ibi, DEo juvante, adamantina repagula, quibus Evangelio obseratum credebatur imperium illud. In itinere duplici vaticinio, & futura prædixit, & præsentia, longissimè dissita enunciavit; scilicet pestiferam luem depopulari urbem Malacam, & cum sole cadente casuram tempestatem, quâ jactabantur, terramq; apparituram: prout evenit. *Bartoli in Vita lib. 4. n. 14.*

S. Xaverius Goâ solvit ad Sinas

2. Magni hujus Thaumaturgi & Apostoli honores ampliaturus Alexander VII. Pont. Max. constituit anno 1657: ut in regno Navarræ non celebraretur S. Firminus Martyr, ut Patronus principalis, & S. Xaverius ut secundarius; sed quilibet ex illis ut Patronus æquè Principalis, tam quo ad Officium, quàm Missam. Et hoc præcepit motu proprio, & de plenitudine potestatis. *Bullar. Comm: Constit: 34. Alex. 7.*

S. Xaverius cũ S. Firmino principales Patroni regni Navarræ.

3.

3. Coram Clemente VIII. habita est anno 1603 disputatio XVI, de doctrina Molinæ, quæsitumq;: An Molina & Cassianus conveniant in hac propositione: *Quod propter bona opera naturalia detur gratia; & an uterq; eodem modo temperet hanc propositionem?* Ad utrumq; respondit P. Arrubal negativè. Nam primum absolutè non docet Molina: ideoq; nec temperamento utitur, quo utitur Cassianus docens: prævia opera naturalia non habere se quidem ut causam meritoriam respectu gratiæ, esse tamen occasiones seu dispositiones. *Eleuther. hist. de Auxil. lib. 5. cap. 20.*

Molina non convenit cum Cassiano in materia de Gratia.

4. Romæ anno 1601, Sabbatho ante Dominicam Passionis, hoc die Sacerdotio initiatus est Venerab: P. Nicolaus Lancicius. Quantum verò DEUS in anima recentis Sacerdotis sibi complacuerit: monstratum fuit piissimæ cuidam personæ, extraordinarijs gratijs à DEo honoratæ; quæ sibi imperare non potuit; quin post sacrificium Patrem his verbis compellaret: O Pater gratias ago, quia me in hoc Missæ sacrificio magna consolatione implevisti! Ostendit enim mihi DEus hoc tempore: quantoperè illi placeat Anima Vestræ Rntiæ, & quòd in illa tanquam in suo dilectissimo tabernaculo cum gustu resideat. *Balbinus in Vita, cap. 7.*

P. Lancicius sacerdotio initiatus.

DEus in anima Neomystæ mirificè sibi complacuit.

Eodem die obierunt.

5. Hispali in Hispania, anno 1587, P. Rodericus Alvarez, Africanus. Qua nocte obijt, visa est anima ejus ab uno & altero, magno stipante Angelorum & hominum de Societate choro in cælum ferri. Visionem hanc firmant excellentes viri virtutes, specialiter incredibilis in DEum & MARIAM amor, quorum familiari colloquio non rarò recreatus est. Deliberans de statu vitæ, vidit audivitq; Christum dicentem: *sequere me*: Cogitanti porrò, quomodo sequi deberet, respondit DEipara V. Id facturum, si Societatem JESU ingrederetur. Paruit & fideliter secutus est.

P. Rodericus Alvarez inter Angelos & alios Cælites ascendit in cælum.

Vocatio ad Societatem per B. V.

6. Conimbricæ in Lusitania, anno 1615, requievit in Domino P. Sebastianus Barradas, Lusitanus, egregijs in Historiæ Evangelicæ Concordiam, editis Tomis 4, & libris 10 Itinerarij filiorum Israël ex Ægypto, clarus. Juveni ut Societatem ingrederetur, imperavit DEipara V. In concionibus ejus sonabat vox Domini in virtute, ita; ut uno anno ad sexaginta auditorum suorum impulerit ad religiosa castra. Paupertatis studium prodidit calceorum par unum per annos octo portatum, vestes tam laceræ, ut post mortem nec mendicis dari potuerint; thorax lineus clam illi subductus tam erat pannosus, ut perticæ fuerit à pistore alligatus, ad cineres è furno colligendos. At illum bonus Pater solicitè repetiit, nec sinè lacrymis, testibus tenerrimæ erga Matrem suam Paupertatem voluntatis. Sub mortem jussus aliquid socijs dicere pro extremo documento, collecta voce dixit: *Humiliamini sub potenti manu DEI; ut vos exaltet in tempore visitationis*; addiditq; non posse se meliùs suggerere consilium, quàm Humilitatis, Virtutis Christi, studium.

Paupertatis amor summus.

Humilitas in morte commendata.

XV.

1. SEnense in Italia Collegium anno 1556 inchoatum est à 4. socijs illuc expeditis à S. Ignatio. Dispofuerat ad ejus fundationem civium animos P. Alphonsus Salmeron, redux è Polonia, quò cum Aloysio Lipomano Nuncio Apostolico abierat; sed mox à Pontifice cum Cardinali de Motula proficisci jussus in Belgium ferè dissipavit, quod ædificaverat; civibus ejus absentiam ægerrimè ferentibus. Adfuit tamen in tempoee cæteris socijs DEus, tam liberaliter, in civitate bellis omninò exhausta, annonam aliaq; necessaria suppeditando: ut alijs 4. socijs advocatis, omnibus abundè sufficerent. Cùm enim primi omnibus necessarijs destituti, nihilominùs nulli parcerent labori spirituali: terrena sibi ultrò adjici, meruerunt. *Orland. p. 1. hist. Soc. lib. 16. n. 5. & seqq.*

Senensis Collegij initia.

Liberalitas divina erga strenuos operarios.

2. In India, anno 1552, S. Xaverius datis literis respondit P. Gaspari Barzæo petenti informari, de modo ac ratione agendi sine offensione cum hominibus. Præ cæteris monuit: Mulieres, cujuscunq; ætatis, ordinis, gradûs sint, nemo nostrorum alloquatur alibi, quàm in loco publico, puta templo: nec in domibus visat, nisi periclitantes extrema necessitate infirmitatis minantis mortem. Ac ne tunc quidem conveniantur, nisi viris aut consangvineis ipsarum præsentibus. Ne in matribus quidem familias, quæ templorum nostrorum terunt limina, licèt multam ostentent propensionem ad bonum erudiendis adhortandisq;, nimiùm vellem operæ atq; otij nostros impendere. Causa mihi sic judicandi est; quòd inconstantes in propositis, verbosæ in congressibus ferè sint fœminæ: unde sequitur, & temporis plurimùm illis alloquendis perdi, ac certi & securi fructûs colligi perparum &c. Sic temperari voluit zelum zelosissimus Apostolus. *Epist. novarum lib. 6. epist. 8.*

Cum mulieribus parcissimè agendum.

Eodem die obierunt.

3. Romæ, anno 1610 P. Robertus Personius, Anglus, ex innumeris insidijs & periculis in portum salutis feliciter invectus. Missiones Anglicanas multis annis magno ingenio, prudentiâ, zelo & fructu incredibili gubernavit, inter assidua vitæ discrimina, quæ singulari Providentiâ Divinâ, & mirabili dexteritate sua semper elusit, vel superavit, quàmvis proditoribus ipsius ingens præmium per totam Angliam propositum esset ab Hæretica Regina, & omnes adhiberentur artes ad eum intercipiendum. Par ingenio elucebat in eo virtus, & peregregia in scribendo felicitas; facundia verò tanta, ut medulla Suadæ Anglicanæ diceretur. Multum illi debet melior Anglia, multum domicilia, pro ejusdem nationis juventute Catholica, fundata in Hispania, Lusitania, Belgio, Italia. Cùm enim Personio satis non esset, Angliam in Anglia juvisse, verbo & stylo: ad reges Galliæ, atq; Hispaniæ, ac demum Romam ad Summum Pontificem

P. Personij labores & pericula in Anglia.

Seminaria Anglicana fundata.

tificem excurrit: ut alios super alios in Angliam immittere posset operarios, erectis quàm posset plurimis Anglorum Seminarijs. His intentum mors religiosissima occupavit, post annos 30, totis viribus naturæ & gratiæ, impensos Angliæ saluti, ita; ut verissimè de illo scripserit Cardinalis Alanus Anglus, ad Præpositum Gen. Aquavivam: *P. Roberti industria, prudentia, zelus, in scribendo & agendo dexteritas, superat omnem fidem.*

Mors prævisa, & à nutu Superioris pendens

4. Granatæ in Hispania, anno 1567, P. Martinus Gomez Hispanus, post vitam religiosissimè actam morte memorabili defunctus est. Rogatus enim aliquando à Rectore suo, quando putaret, sibi è vita migrandum? Respondit: crastino die post sumptum Sanctissimum Viaticum; modo ipse P. Rector annueret. Ad hæc Rector: Fiat DEi voluntas; per me licet. Dictum factum. Sequenti die, P. Martinus intra semihoram post sumptum SS. Viaticum, placidè expiravit.

XVI. APRILIS.

Stephani regis Pol. Votum.

1. ANno 1577 Stephanus Bathoreus, rex Poloniæ, tendens cum exercitu contra Gedanenses, rebelles ac hæreticos, quin umerosis copijs viciniam infestabant; vovit: si Gedano potiretur, Catholica ibi restiturum sacra, & Societatis Collegium positurum. Paulò pòst, hoc die, præclaram retulit ex hoste victoriam, quamvis urbe validè munita potitus non est. Reparârunt tamen per autumnum rebelles copias suas, tantoq; ferociùs agebant, quantò potentiores erant classe. Trajecto igitur sinu maris Baltici, quem Habum vocant, Varmiæ inferebant arma & vastitatem. Brunsbergenses, qui primi occurrerunt, pecuniâ se suaq; redemerunt: sed adjecerunt hæretici conditionem: ut ejicerent Jesuitas, qui celebre, & primum in Polonia & Litvania, ibi habent Collegium, à Cardinale Hosio fundatum: aliàs cuncta se promiscuè eversuros, minabantur. Itaq; socij, ne civitas propter ipsos periclitaretur, ultrò in vicinas civitates & pagos se receperunt, relicto uno alterove Fratre ad custodiam Collegij. Non fuit diuturnum exilium. Post unam alteramve hebdomadam, cùm de pace ageretur cum rege, reversi sunt ad sua. *Sacch. p. 4. lib. 5. n. 78.*

Brunsbergâ pelluntur Socij ab hæreticis Gedanensib9.

Eodem die obierunt.

Vir nemini displicens. Theologia, lingua sacra, & Philosophia tradita annis 50.

2. Parisijs, anno 1620, P. Jacobus Gordonus Huntleus, Scotus, vir doctrina & virtute excellens, ob accuratissimam morum compositionem, rarum illud consecutus elogium: quod in illo nihil unquam ulli displicuerit. Philosophiam, Theologiam & Lingvam sanctam docuit per ipsos annos 50. In Hibernia personam sustinuit Nuncij Apostolici. In Anglia & Scotia multa acerba, & ærumnosos carceres perpessus, mortem cruentam evasit hoc titulo, quod regio sangvine ortus esset.

3. Clattoviæ in Bòëmia, anno 1643, Apostolicæ vitæ cursum feliciter consummavit P. Albertus Chanowski, Bòëmus, Missionarius toto Bòëmiæ regno celeberrimus, quem DEUS ferè violentè in opus Evangelij apud Hussitas, & Wicleffistas aliosq; hæreticos prædicandi, segregavit. Quidquid enim aliud muneris & negotij gereret, infelici -

feliciter cedebat; morbis insuper gravibus podagræ, chiragræ, colicæ &c: torquebatur, quoties in Collegio aliquo commoraretur, à quibus illicò liberabatur suscepta Missione aliqua. In omnibus autem, ijsq; continuis, itineribus nullo unquam jumento vel curru devehi sustinebat: sed pedibus omnia, sarcinulâ cum rebus & munusculis sacris, ab humero pendulâ, conficiebat, multis extraordinarijs gratijs à DEo honoratus, à populo autem Sancti & Apostoli elogio.

Morbus in Collegio, sanus in Missionibus. Pedibus omne iter peragit.

4. Neapoli, anno 1548, bonam, quam sortitus fuerat animam insignibus ornatam virtutibus reddidit Creatori Guilielmus Elphinstonius, Novitius, regio sangvine in Scotia natus, DEiparæ Virginis amori & cultui præprimis addictus. Moriens Angelorum conspectu & colloquio recreatus est; post mortem visus; à B. Virgine in cælum introduci, & coram throno SS. Trinitatis in genua provolvi, ritu adorantis.

DEipara V. clientem suum in cælum deducit.

XVII. APRILIS.

1. P. Simon Rodericus, unus è primis Decem Patribus, à S. Ignatio prima designatione expeditus in Indias cum P. Nicolao Bobadilla, deinde cum S. Xaverio, Ulyssiponem attigit anno 1540, Xaverio adhuc cum Legato regis in itinere detento, quod seriùs Româ abiissent. Fuit Rodericus egregiis dotibus ad Indicam expeditionem comparatus: sed cùm Ulyssipone utilissimam præstitisset operam in juvandis verbo & opere animabus; volente rege, jussus est ibidem subsistere, tum ad Lusitanos juvandos, tum ad propagandam Societatem in Lusitania, atq; ad expediendos inde idoneos operarios in Indiam. *Orland. hist. Soc. p. 1. lib. 2. n. 101. Bartoli in Vita S. Xav. lib. 1. n. 7.*

P. Simon Rodericus detinetur in Lusit.

Eodem die obierunt.

2. Eboraci in Anglia, anno 1595, odio fidei suspensus, & sectus quadrifariam, P. Henricus Walpolus, Anglus, post immanem torturam vicibus 14decim fortiter toleratam. Damnatus ad mortem, patri suo scripsit, ut excubitoribus carceris certam pecuniæ summam donaret. Adhuc adolescens prodidit, quantus futurus esset adultior, fidei zelator & propagator; quando hæreticos 20 Catholicæ Ecclesiæ reddidit: ad Societatem verò exemplo suo consobrinum unum suum, & tres germanos pellexit.

Victima fidei. Equuleus 4vicibus toleratus

3. In Lusitania, anno 1635, P. Emmanuel Texeira pretiosa justorum morte decessit; cujus testes fuerunt tum cælestis quidam odor, quo à morte fragravit corpus ejus, triduano quot hebdomadis jejunio maceratum; tum innocentiæ stola nullo per omnem vitam peccato lethali amissa.

Iejunium fragrat in corpore defuncti.

4. Nesvisij in Litvania anno 1687 P. Michaël Radau, Prutenus, vir egregijs naturæ ac gratiæ dotibus ornatus. Quidquid ageret, cum plausu & fructu agebat; in humaniore literatura elegans, in severioribus disciplinis acutus, in concionibus fervidus & eruditus, in disceptando cum acatholicis acer ac solidus. Rem Catholicam difficillimis temporibus Regiomonti non solùm sustinuit, sed promovit & auxit; quàmvis de illa per Prussiam conclamatum esset. Doctoris Catholici cognomento passim honorabatur ab hæreticis: quod ille docendo, disputando & prædicando, cumulatè implebat,

Missionarius consummatus.

Theo-

Theologus & Missionarius consummatus: cui pretiosam imposuit coronam humilitas, quando post traditæ Philosophiæ ac Theologiæ curricula gloriosè confecta, docendos trivialis scholæ pueros Regiomonti suscepit; ne ab hæreticis magistris venenum cum literis biberent. *Ex Annuis.*

XVIII. APRILIS.

Clementis VIII Epistola ad Card. Bellarminum Archiepiscopum Capuanum.

1. CLemens VIII. Pont. Max. accepta relatione Vicarij Capuani, & communi famâ de Apostolicis & fructuosissimis laboribus Cardinalis Bellarmini in Archiepiscopatu Capuano, ad quem ipsum promoverat: gratulatoriam ad ipsum dedit epistolam, anno 1603, ut currentem magis incitaret. Libenter vidimus, inquit, Angeluccium, Vicarium olim tuum, qui mirificè nos exhilaravit: dum retulit de virtutum exemplis, quæ in Provincia ista concionibus, jejunijs, supplicationibus, & sacrorum mysteriorum usu frequenti edis. Hinc verò agnoscimus, quas agere Divinæ Majestati gratias debeamus, quæ tibi adest Numine tam propitio, & præbet vim suam cælestem: ut sustineas pastorale onus, atq; impleas ministerium tuum. Et sanè æquiùs multò postulare nos à te preces ad DEum debemus: quàm ut tu in his, quæ agis laudabiliter, votis & precibus nostris indigeas &c. *Petrasancta in Vita Bellar. lib. 4. cap. 3.*

Expeditio Societatis prima in Angliam.

2. In Angliam anno 1580 prima suscepta est à Societate, sub Everardo Mercuriano, expeditio. Pridem illa concepta fuit vel ab ipso S. Ignatio: sed deerant in Societate illius nationis homines, per quos promoveretur Tandem ab anno 1575 Anglorum tam multi & egregij viri ac juvenes ad Societatem accesserunt; ut diceret Everardus Generalis: Jam haud dubiè DEum adversùs Angliam comparare bellum. Tredecim ergo partim ex Societate, partim ex Seminario Anglicano Romano, hoc die ex Urbe expediti sunt; inter quos eminebant Robertus Personius, & Edmundus Campianus, magna nomina inter athletas fidei in Anglia. Primum experimentum ingenij & doctrinæ suæ dederunt Genevæ (in illa hæreticorum colluvie) præsertim Campianus, cum ipso Theodoro Beza congressus: quem ubi uxor advertit in angustias redactum, opportuno commento evocavit, porrecto literarum fasciculo, tanquam recenter ex Gallia allato. Genevâ in Galliam, inde in Angliam feliciter transmiserunt; quamvis ibi accuratissimè custodirentur portus, & effigies Personij atq; Campiani prostarent. *Sacchin. hist. Soc. p. 5. lib. 8. n. 82 & seqq.*

Campiani cum Beza congressus.

Eodem die obierunt.

3. Xeresij in Hispania, an: 1601, P. Antonius Sanchez Hisp. religiosè obijt charitate in proximũ, & sui mortificatione insignis. Peste infectis eximia charitate opitulatus est.

In corpus suum ferè crudelis, cum illud acerbissimè laceraret, *sustine*, inquiebat, *sustine tantisper canis* Brachia interdum fervente aqua perfundebat, vel ardenti lampadi admovebat, dicens: *Vstulare immunda sus, ustulare* Cùm à natali domo sua nonnisi leucæ intervallo abesset, nunquam tamen adduci potuit, ut suos inviseret. *Mortificatio corporis rigida. Neglectus familiarium suorum.*

4. Halæ in Germania, anno 1630, vivere desijt Daniel Rosner, Germanus, Coadjutor: apud quem ex hæresi ante initam Societatem educendum, cùm nihil proficerent alia argumenta, tandem persuaderi sibi passus est, ut quotidiano Divino Sacrificio interesset. Fecit non gravatus, semper tamen dubius de præsentia Christi sub speciebus panis, donec in elevata sacrosancta hostia Christum patientis specie vidit. Hæresi ergo deserta, Societatem amplexus est, amabilis Sacramenti, è quo sapere didicerat, longè amantissimus. *Christus spectabilis in Ven: Eucharistia hæreticum convertit.*

5. Gadibus in Hispania anno 1601 P. Petrus Bernal, Hispanus. Magni nominis Jurisperitus cùm esset; judicij Divini metu in Societatem se recepit, ad tyrocinium Septimacense, complurium dierum itinere pedibus & mendicatò profectus est. Talibus initijs reliquus vitæ cursus consonus fuit. Cùm Collegia & Provinciam regeret, cum gravitate suavis in alios, in se immitis fuit, Loricatum illi pectus & dorsum, quà setis cilicij, quà ferreâ radulâ carni adstricta. Quàm multus tam efficax fuit in orando, etiam miraculosis gratijs impetratis. Moriens illud dilecti sibi S. Pauli acroama pronunciavit: Reposita est mihi corona justitiæ. Defunctus Prælatorum humeris elatus est, & ære publico parentatum illi,

XIX. APRILIS.

1. S P. Ignatius anno 1541 suscepit tandem munus Præpositi Generalis, ad quod communibus suffragijs jam ante complures dies vocatus fuerat; sed in animum inducere non potuit, ut admitteret. Ab urgentibus Socijs id ægrè impetravit: ut re diligentiùs commendata DEo per quatriduum, iteraretur electio. Sed eadem omninò tulit suffragia scrutinio secundo. Interpretatus tamen est vir humillimus, eum suffragiorum favorem non aliunde provenire, quàm quod minùs nosceretur à Socijs. Impetravit igitur, ut posset adhuc diligentiùs divinam explorare voluntatem: Recepit ergo se ad Fratrem Theodosium Franciscanum, ad S Petri in Janiculo, qui confitenti solebat aures præbere. Huic spatio triũ dierum vitam omnem confessione perdiligenti exposuit; deinde edocuit, quid actum esset de ipsius Electione, petijtq; : ut ipse, qui se penitius nosset, sensum suum de hac electione secundùm DEum aperiret, & scripto testaretur, coram Socijs legendo. Præstitit desiderata F. Theodosius: sed in scheda publico in conventu reserata, jussit Ignatium Sociorum votis parere, & ampliùs DEi voluntati non reluctari. Sic tandem acquievit Ignatius, ne DEo resisteret. *Bartoli in Vita l. 2, n. 48.* *S. Ignatius tergiversatur in Generalatu admittendo. Tandem admittit jussus.*

Eodem die obierunt.

2. Monachij in Bavaria, anno 1630, ad immortales transijt P. Hieremias Drexelius,

Concionator per annos 23. sine ullo supplemento. lius, vir ut calamo, ita moribus tersus ac suavis, Maximiliano Duci Bavariæ unicè charus, cujus concionatorem solidum annis 23 egit, sine ullius supplemento. Quanta gratia & vis libellis ejus insit, docent in varijs provincijs sæpiùs repetiti typi, & ingens Exemplarium editus, facileq; distractus numerus. Monachij tantùm impressa numerantur centum septuaginta millia exemplarium. Locupletissimæ eruditionis thesaurum illi collegerunt, silentium cum legendi atque notandi indefessa assiduitate. *Libelli P. Drexelij quàm grati.* Visus est non semel, dum ad concionem diceret, toto corpore luce cælesti coruscare.

3. Mussiponti in Lotharingia, anno 1657, P. Ludovicus Maignet obijt, studio orationis humillimo memorabilis. *Oratio humillima.* Inter orandum enim, præsertim coram SS. Sacramento, clam funem gestabat è collo tanquam reus læsæ Majestatis divinæ; cubiculiq; pavimentum frequenter osculis lambebat, instar miseri canis, ut ipse loquebatur. Extremis octo annis coadjutoribus se adjungebat, cùm illi à Præfecto spiritûs, materiam pro more ad meditandum acciperent, licèt ipse totius Provinciæ gubernationem cum laude sustinuisset.

4. Apud Sinas anno 1640 P. Alphonsus Vagnonius, Italus, vir planè Apostolicus. *Labor conversionis fructuosus.* Postquam improbo labore in perfectam idiomatis Sinensis, possessionem venit: ita verbo & opere commovit provinciam sibi creditam; ut, cùm nullum prorsus in ejus ingressu reperisset Christianorum cætum, moriens centum & duas in diversis civitatibus, & oppidis reliquerit Ecclesias egregiè instructas. In civitatis Chianensis ingressu, solùm viginti quinq; invenit fideles, decedens autem è vita, reliquit octo millia, & in ijs ampliùs ducentos honoribus literarijs & Mandarinorum Præfecturis insignes. Tam fructuoso labori non defuit messis patientiæ. *Patientiâ fœcundatus, constantiâ coronatus.* Anno 1617 decreto Judicis Christianis infessimi, raptus in carcerem, crudeliter baculis delumbatus, in cavea extra fines regni deportatus est. Sed extincto Judice illo, redijt Alphonsus ad Apostolicos labores, perseveravitq; ad finem multo cum fructu. *Soutvellus in Bibl.*

XX. APRILIS.

1. CONtroversiarum circa doctrinam PP. Prædicat: & Societatis, & Collationum institutarum coram Card: Ludovico Madrutio, cursum interturbavit, imò abrupit, mors ejusdem Cardinalis, hoc die anno 1600 oppetita. Ad primum proinde consilium suum recurrerunt Adversarij, institeruntq; apud Pontificem Clementem VIII: ut non de doctrina duorum Ordinum, sed particulari Ludovici Molinæ, & de Censuris contra ejus librum latis ab Examinatoribus, ageretur. *Adversarij Molinæ malunt contra librum ejus, quàm doctrinam Societatis agere.* Hoc enim negotium putârunt faciliùs confici posse, & per latera Molinæ configendam Societatem. Procuratores ergo Molinæ, P. Didacus Alarcon, & Christophorus de los Cobos, jussi sunt à P. Claudio Aquaviva Præposito Generali, invigilare causæ, ac petere à Pontifice copiam Censuræ concinnatæ contra librum Molinæ: quam & impetrârunt. *Exceptio contra Censores.* Obtulerunt paulò post Pontifici supplicem libellum, quo exceperunt contra Censores tanquam multis nominibus suspectos, & non æquos

quos Molinæ: quam exceptionem tam solidè firmârunt: ut Pontifex maturiori examine recognosci Censuram jusserit. *Eleuth. hist. de Aux. l. 3. c. 15 & seq.*

2. Anno 1560 Ulyssipone solverunt in Indiam hoc die Socij quatuor, cum primo Archiepiscopo Goano. E sex navibus unam conscendit cum Socio P. Petrus Arboreda, alteram alij duo. Omnes paucis pôst diebus dispersæ sunt, non minùs periculosam, quàm laboriosam tenentes navigationem. Eminuit ingens P. Alboredæ pietas & charitas. Ita enim officia pietatis inter vectores & vectos distribuerat: ut navis, formam Ecclesiæ repræsentaret. Ita se infirmorum curæ, & spirituali & temporali, impendit: ut cùm omnes ad unum contracta lue prostrati jacerent, nec ipse cum Socio immunis esset; aliorum manibus ad ægros deferri voluerit, ut ipsis impenderet offi ia charitatis. Unde apud omnes eam sibi conciliavit authoritatem: ut quidquid vellet, obtineret. Fuit in eadem navi homo, qui vindictæ furijs agitatus, eo solùm fine ibat in Indiam, mille periculis caput objiciens, ut ibi adversarium suum confoderet. Sed emollitus Patris obsequijs, procidit ad ejus pedes, delictum confessus, injuriamq; condonavit. *Sacchin. hist. Soc. par. 2. lib. 4. n. 271.*

Navigatio ærumnosa.

Æger ægris servit.

Charitatis obsequia emolliunt animos.

Eodem die obierunt.

3. Luxemburgi in Germania, anno 1636, piè decessit P. Nicolaus Cusanus, Germanus, strenuus & planè religiosus operarius domi & foris. Ad Missiones se dispone bat petitâ in triclinio erratorum veniâ, varijs in culina humilitatis obsequijs, & acribus corporis castigationibus. Iter pedes instituebat, & orando transigebat. Ubiq; B. V. Rosarium & vespertinas ejus Litanias persvadebat. SS. nomen JESU non aliter scribebat, & pronunciabat, nisi aperto & inclinato capite. In concione iras & ignes spirabat, aliàs irasci nunquam visus. Scrupulis conscientiæ cùm agitari cœpiet, eosdem fugavit assiduo & strenuo labore. Unde si de quopiam hujusmodi molestiæ obnoxio sermo inferretur: Cessabunt, inquiebat, illi scrupuli, si egregiè occuperur.

Dispositio ad Missiones.

Erga Ss. IESV nomen reverentia.

Labor assiduus remedium contra scrupulos.

4. Oeniponti in Tiroli, anno 1650 mortem religiosam oppetijt P. Andreas Bruner, Germanus, olim à S. Andrea Apostolo, sibi aspectabili, non verbis tantùm, sed plagis etiam tergiversanti impositis, impulsus est, ad ferendam in Societate Christi crucem. Animabus Purgatorij juvandis mirè addictus, multam vicissim ab ipsis experiebatur gratiam; à S. P. Ignatio ab hernia, à B. Aloysio à longo & gravi capitis dolore curatus.

S. Andreas plagis impellit juvenem ad Societatem.

5. Messanæ in Sicilia, anno 1601, terrena reliquit Magister Franciscus Cajetanus, Italus, è Marchione Religiosus, humilitate, sui mortificatione, & perpetua cum DEo conjunctione conspicuus. Cùm divinæ Synaxi accumberet, visa est aliquando flamma ex ore ejus erumpere. In morbo extremo à DEipara V. & Angelis visitatus, etiam post mortem admirandis quibusdam claruit.

Ex ore communicanti flamma erumpit.

6. Cibini in Transylvania, anno 1690, pro stipendio bonæ militiæ, quam militaverat, abijt P. Lucas Kolich, Moravus, in expeditionibus nuperis contra Turcas Missiona-

Cura animarum in expugnatione Budæ

ſionarius Caſtrenſis ſtrenuiſſimus, & mirè induſtrius. In expugnatione Budæ aſſilientium militum globo immiſtus, inter primos penetravit in urbem; ut præſtò eſſet tum militibus caſuris, tum maximè Infantibus Turcarum, qui promiſcuè cum adultis à furente milite cædebantur, à Patre autem Luca, antequam expirarent, baptizabantur; non paucos abduxit ad caſtra vivos. Funus defuncti præſidium militare Cæſareum militari pompa deduxit, comitante tota fere, licèt hæretica Civitate, Virumq; planè Sanctum prædicante. *Ex Tann*

Miſſionarius exequiis Caſtrenſibus honoratus.

XXI. APRILIS.

Pragenſe Collegium inchoatum.

1. INeunte anno 1556, Summi Pontificis Pauli IV. juſſu, poſtulante autem Ferdinando I. Cæſare, S Ignatius Socios 12. in Bohemiam expedivit pro Collegio Pragenſi inchoando. Pragam attigerunt hoc die, excepti omnibus charitatis officijs à P. Petro Caniſio, qui eorum adventum opperiebatur, & Cænobium S. Clementis in Collegij formam utcunq; redegerat. Abituri ex Urbe, cùm Pontificem acceſſiſſent, benedictionem petentes: Pontifex, ut erat pietate & eloquentia inſignis, præclarâ eos incitavit oratione: ut Chriſto duce irent intrepidi, tanquam oves inter lupos, columbæ ſimplicitate, prudentiâq; ſerpentis armati; nec dubitarent, ſi communis boni, & cultûs divini ratio poſceret, vitam ipſam in glorioſum diſcrimen offerre. Cui adhortationi non defuerunt Socij, multa incommoda per viam ab hæreticis perpeſſi; nec ulli parcentes labori, ut Pragenſium expectationi cumulatè reſponderent. *Orland. p. 1. hiſt. Soc. lib. 16. n. 19. ſeq.*

Adhortatio Pontificis ad Socios.

2. In Italia Pontifex Clemens VIII. ſicut Robertum Bellarminum inter purpuratos Patres adlegerat: ita honoris cauſâ, voluit purpuram ejus pallio Archiepiſcopali ornare, conſtituendo Virum meritiſſimum Capuanum Archiepiſcopum 21 Aprilis, anno 1602, Dominica 2 à Paſchate, qua Evangelium legitur *Ego ſum Paſtor bonus*. Hanc electionem præterire non potuit Card. Baronius, quin eam infereret Annalibus ſuis Eccleſiaſticis, ubi agit de Eccleſia Capuana in Metropolitanam evecta à Joanne XIII, rogatu Othonis Imperatoris. His diebus, *inquit*, quibus hæc ſcribimus (quod non tacendum) maximum acceſſit eidem Eccleſiæ ornamentum, dum vacante eadem Sede, obitu Cæſaris Coſtæ Archiepiſcopi, delectus eſt à S. D. N. Clemente Papa VIII. ad nobiliſſimæ Eccleſiæ regimen, vir doctiſſimus ac religioſiſſimus, Robertus Bellarminus, S. R. E, Cardinalis, virtutum meritis toti Chriſtiano orbi conſpicuus, exoptatus votis, collaudatus ſuffragijs, atq; exceptus plauſu, illud ſacro Collegio acclamante: Dignus, Dignæ! *Petraſancta in Vita lib. 4 cap. 1.* Admiſit hanc Dignitatem Bellarminus duas præſertim ob cauſas. Primò quidem, ut à Romanæ curiæ luce

Card. Bellarminus fit Archiepiſcopus Capuanus.

Elogium ejus à Card. Baronio.

A Collegio Cardinalium.

luce ac negotioso strepitu longius abesset: deinde verò, quia videbatur ipsi conjunctior ea dignitas cum Societatis nostræ, quibus assueverat munijs & laboribus in salute animarum occupatis.

Eodem die obierunt.

3. Messanæ in Sicilia, anno 1634, mortis die ex vero prædicta quievit in Domino P. Benedictus Moletus, Italus, inter assiduas occupationes semper conjunctus cum DEo, & orationi etiam magna noctis parte deditus? Fratris sui germani homicidæ non solùm ignovit ipse, sed matrem etiam, totamq; familiam nobilem in ultionem exardescentem, permovit, ut ignoscerent. A procaci fœmina ad scelus solicitatus, etiam cum comminatione infamiæ nomini ejus affingendæ, si non consentiret; vehementi invectione, & æternorum suppliciorum metu, lupam absterruit. Cùm Superiorem agens, nihil haberet domi, quod in triclinio apponeret: jussit tamen hora consveta signo dato domesticos adesse: & mox Divinâ Providentiâ ad portam allatum est, quantum abundè sufficeret.

Inimicorum amor.

Castitas strenuè defensa.

Paupertas Collegij mirabiliter sublevata.

4. Vallisoleti in America anno 1624, Joannes Bapt. Spinosa, Hispanus, Coadjutor, plenus dierum & meritorum, ad annum usq; nonagesimum collectorum, piè obijt; nullius lethalis noxæ sibi conscius, & fortiter servata virginitate, cùm apud Turcas captivus, acerrimè solicitaretur, gloriosus, Mira DEi providentia ex ea captivitate evasit. Cùm enim in mari advertisset triremem, ab omnibus desertam, inito cum cæteris captivis consilio, eam opportuno tempore conscenderunt, & favente vento, in Americam usq; Mexicum appulsi sunt feliciter: ubi Joannes Societati se addixit.

Audax & felix facinus.

5. Brunsbergæ in Prussia Varmiensi anno 1669 P. Andreas Stibigk, Prutenus. Maximam ætatis partem impendit Missionibus Livonicis, Curlandicis, Prutenicis, magno cum fructu. Pro concione ita dictionem temperabat: ut non minùs suavis esset, quàm fortis; non tam florulenta, quàm valida, & ad captum etiam rudissimorum accommodata; unde à frequentissimo populo semper audiebatur avidissimè, quàmvis prolixior esset. Cùm diuturnior phtysis reddidisset imparem Cathedræ: Doctrinæ Catecheticæ se impendit, quamdiu superveniens hectica aliquid raucæ vocis ferventi zelo indulsit. Magna vitæ parte gravissimis conscientiæ scrupulis exercitus, in conversatione tam suavem comemq; se præbebat; ut ipsi heterodoxi ejus consuetudinem appeterent. Placidissima morte quievit ipsa Resurgenti Christo sacra die. *Soutv. in Bibl.*

Concionator suavis & fortis.

Comitas in legendo, etiam in medio scrupulorum.

XXII. APRILIS.

1. ANno 1541 S P. Ignatius Romæ unà cum Socijs, visit 7 Ecclesias: in quarum una, quæ est S. Pauli, ad aram B V. ipse ac Socij in ejus manibus, solemnia Professionis vota ritè nuncupârunt. Tum per 46 dies in templo Domûs Professorum, quod S. MARIÆ de Strada nuncupabatur, catechesim rudibus tradidit; scilicet postquam munus Præpositi Generalis admittere est coactus. *Nadasi in Indice Memor.*

S. Ignatius cum Socijs solemnem Professionem emittit.

Post illam Catechesim habet per dies 46.

2. Anno 1622 Gregorius XV, concedendo per Breve facultatem Carolo à Lotharingia, Episcopo Virdunensi, ingrediendi Societatem; *Proficiscere,*

Gregorius XV facultatem

grediendi Societatem concedit Carolo à Lotharingia, Episcopo.

re, inquit, *ad eam sacræ militiæ Societatem, Catholici nominis defensione, & hæreticis excidijs clarissimam: quam quidem quanti nos faciamus, duo illi Christiani Imperij propagatores, Ignatius & Xaverius, Sanctorum cognomento nuper à nobis aucti, cunctis terrarum provincijs sæculorum ætatibus declarabunt.* Idem ibid.

Congregatio IV Gen: finita.

3. Anno 1581 Congregatio Generalis IV, electo Claudio Aquaviva in Præpositum Generalem, feliciter finita est, quamvis initium fuerit turbidum. Lætiorem fecit finem inexplebilis Gregorij XIII. in Societatem beneficentia: quæ Patres Congregatos excitavit, ut ab eo petere auderent Collegij Romani fundationem. Non abnuit Optimus Pontifex, sed affirmavit: rem sibi cordi futuram. Sic dispositum, insigni ingenio impulit in vota Societatis Cardinalis Contarellus. Is, ut erat Pontifici perfamiliaris, cùm sermo misceretur de Collegijs ab ipso erectis, dixit: Præclaram sibi videri ab eo elaboratam statuam, sed ei similem, quam per quietem vidit Nabuchodonosor. Quærente Gregorio: quid ita? respondit: E Collegijs, quæ vestra Sanctitas munificentissimè condidit, Urbanum hoc Germanicum Collegium videtur Caput aureum, Anglicanum pectus argenteum, cætera cæteris membris congruunt. Omnia tamen videntur insistere pedibus terreis, & ruitura, nisi isti fulciantur. Roganti Pontifici, quinam essent isti pedes? respondit esse Collegium Societatis JESU malè materiatum, & de annuis proventibus nondum provisum: quàmvis ex eo cætera disciplinam, eruditionem, & profectum suum desumant, adeoq; sit quasi basis cæterorum. Exhilaratus Pontifex, *Fulciamus ergo*, inquit, *istos pedes*: & ex eo tempore sedulò in eam curam incubuit. *Sacch. p. 5. l. 1. n. 45. & seqq.*

Gregorius XIII insigni comparatione adducitur ad fundandum Collegium Romanũ.

Eodem die obierunt.

P. Colnagus novus Paulus & Seraphinus dictus.

B. V. hortatur eum ad zelum animarum.

Familiarissimus SS. Antonio & Agathæ.

4. Catanæ in Sicilia, anno 1611, magnus DEi servus, P. Bernardus Colnagus, Siculus, vir excelsæ & heroicæ virtutis. Ob ardorem animi in prædicando, & indefessum animas lucrandi zelum, vulgo dictus novus Paulus & Seraphinus. Ad hunc zelum ab ipsa DEi Matre incitatus est, quando adspectabilis facta, manum Virgineam pectori Bernardi imposuit; dixitq;: *Labora naviter & indefessus pro salute peccatorum, & adducas ad me animas. Hoc enim obsequium præ reliquis omnibus, est mihi longè charissimum.* Suavissima illi cum S. Antonio Patavino, cùm S. Agatha, & alijs cælitibus intercessit familiaritas. Conspectus est post mortem ad latus S. P. Ignatij dicentis: *Hic est verus filius meus:* Plura de illo, imitatione digna exhibet typis edita ejus vita.

S. Ignatius eum Filium suum verum asseruit.

5. Xeresij in Hisp. anno 1615 quievit in Domino P. Antonius de Cardenas, Hispanus, divino oraculo olim monitus, ut Societatem ingrederetur. In dicendo videbatur cordium Dominus, quæ non solùm flectebat ad nutum, sed etiam introspiciebat arcana. Sæpè cum pallio & socio descendebat ad portam, dicendo: se vocandum. Et mox ade-

aderat, qui ad ægrum vocabat. Integram suam sodalitatem Clericorum subinde educebat ad animas occupandas, & mira cum illis operabatur. *Promptitudo ad officia charitatis. Clericorum institutio.*

6. Regij in Italia anno 1651 P. Albertus Ruffinus, Italus. Cum duobus Germanis suis Collegium Regiense fundavit, & rexit magno studio disciplinæ. In aula Ducum Estiensium ita pluribus annis versatus est: ut Cardinalis Estensis testatus sit: nihil fumi aulici ei adhæsisse. Pridie mortis suæ ad celebrem miraculis DEiparæ V. Imaginem vesperi adijt, Dominæ Patronæq; suæ dicturus Salve & Vale. Dixit, & eadem nocte religiosè migravit è vita.

XXIII. APRILIS.

1. Cùm quidam monachus Cassinensis, Constantinus Cajetanus, Exercitia Spiritualia S Ignatij traduxisset in quodam libro edito, tanquam non ab ipso concepta & composita; sed excerpta ex Exercitatorio Garziæ Cisneri Abbatis Benedictini: Calumniam hanc Congregatio Generalis Benedictinorum Ravennæ collecta anno 1644, Decreto communi edito hoc die detestata est, damnavitq; hominis levitatem & audaciam. *Bartoli in Vita S. Ignatij lib. 1. n. 21.* *Exercitia spiritualia vindicata S. Ignatio.*

2 Romæ anno 1573 electus est in Præpositum Generalem IV. Societatis, P. Everhardus Mercurianus, Belga, vir egregius, & præcipuis in Societate muneribus functus, cum magna ipsius S. Ignatij approbatione. Ad supremum in Societate magistratum cùm provectus esset; convenit eum per literas frater germanus, petijtq; tenuiori sorti suæ subsidium à fratre sic honorato. At ille hoc honore se nihilo ditiorem factum esse, respondit; nec quidquam sibi ampliùs suppetere, quàm cuivis fratri Coadjutori. Proinde rebus suis aliter consuleret. *Soutvellus in Bibl. Soc.* *P. Everardus Mercurianus præficitur Societati.*

3. In causa Molinæ disputatio 27. habita est coram Clemente VIII, anno 1604; in qua quæsitum: *An DEus effectualiter exigat ab homine, ut faciat, quod in se est, antequam fidem donet? Quàmvis enim DEUS fidem non conferat propter ea, quæ antecedunt: nihilominùs eam concedere non solet, nisi illa antecedant; ut dicit Molina.* Respondit P. Ferdinandus Bastida: Nec DEus exigit, nec Molina id docet; quod DEus antequam aliquem vocet ad fidem, exigat ab illo, ut prius viribus naturæ faciat, quod potest. Sæpè enim vocat resistentes, adeoq; non facientes, quod in se est. Probavit utrumq;. *Eleuther. pag: 456.* *Vocatio DEI ad fidem absq; merito & dispositione naturali.*

4 Finitis coram Tribunali Pontificio Controversijs de Auxil. Gratiæ, quidam Adversariorum corraserunt & vulgârunt sub nomine Francisci Pegnæ, & Thomæ de Lemos, Acta quædam Congregationum habitarum in ea materia coram Clemente VIII, & Paulo V. imò & Decretum Pauli V. contra

Molinam & Societatem confinxerunt & adjunxerunt. Quæ omnia Innocentius X, anno 1654. 23 April: in Decreto edito contra libros non paucos, Jansenium & 5. Propositiones ejus defendentes, rejecit tanquam conficta, nullamq; fidem illis adhiberi voluit. *Disquisitiones in novam Histor: de Auxil: part. 1. cap: 1. & Eleuther: in Præfat: 10.*

Eodem die obierunt.

Societatis præconium in morte.

5. In America Peruana, anno 1620, P. Gonsalvus Barnovus, Hispanus, pia & gaudij plena morte sublatus. Morti proximus, exultavit in Domino, & conversus ad sociorum præsentium coronam, *Quis*, inquiebat, *non altissimè sentiat, Patres mei, de Instituto Societatis? O quam Religionem! O quam certum centuplum, quod in illa morientibus promittitur! O quale centuplum.*

S. Iosaphat Martyr sanat infirmum.

6. Polociæ in Russia Litvana, anno 1643 fatis cessit P. Andreas Bruchman, Prutenus, vir magnæ absolutæq; virtutis. Lethali quadam ægritudine laborans, ac pro desperato habitus, cum se impensè commendâsset S. Martyri Josaphat, Polocensium Archiepiscopo in ritu Græco; plenè vigilans adspectabilem habuit, audivitq;, dicentem: *En quia invocâsti me, adsum. Habe spem Pater in Domino DEO firmam: nam hac vice non morieris* Veritatem dictorum firmavit mox subsecuta sanitas.

7. Hispali in Hisp. anno 1677 P. Ignatius de Fonseca, Hispanus, Humilitate, sui afflictatione, rerumq; divinarum peritia & usu eximius; dono quoq; curationis morborum, & vaticinijs, à DEo est honoratus.

XXIV. APRILIS.

Proventus fundationum severè exigendi.

1. S. Xaverius institutâ ad Sinas expeditione, Cocino scripsit ad P. Gasparem Barzeum, cui loco sui commiserat curam Sociorum in India; vehementer ipsi commendando: ut inter cætera efficaciter curet, accuratè solvi pensiones annuas ad sustentationem Collegiorum & domorum destinatas à rege Lusitaniæ. Vide, inquit, ne molliter, aut obnoxiè, negotia hæc tractes: fortiter ac penè præfractè transigi debent res ejusmodi. Dura nimirum est tota ista natio quæstorum, publicanorum, quocunq; nomine pecuniam regiam dispensantium: quantumlibet æquas, si lenes & verecundæ sint, postulationes eludunt; nec nisi quod extorquetur, laxant. Fronte non tenera, ore libero, adeundi alloquendiq; sunt; nec facilè moræ indulgendæ; importunè improbeq; flagitetur, ubi modestè agere prævaricari est; ne recusaveris pene ad jurgium & dissidium usq; descendere. Aliter vix unquam vitabitur, quin quæ Rex piè decrevit in usus Religionis necessarios, de suo impendi; per ejus ministros avarè & nefariè intervertantur, perniciosissimo & irreparabili rei Ecclesiasticæ, & salutis animarum detrimento. *Epist: novarum lib. 6. epist. 11.*

Sixtus V. creatur Pontifex.

2. Romæ Sixtus V. creatus est Pontifex anno 1585, antea dictus Felix Pere-

Peretus humili loco natus, & ipse aliquando subulcus, & postea relictis porcis factus Franciscanus, deinde sui Ordinis Generalis, tum Cardinalis, ac demum eodem, quo natus erat die, Kal. Maji coronatus Pontifex. Hic qui ante Pontificatum *obstipo capite, & defigens lumine terram,* incedebat, statim erexit caput, jocatus antea se quæsivisse claves, tunc seram quærere, ut cæli portam reseraret. Ad eum biduo pòst accedens cum Assistentibus Claudius Aquaviva, commendavit ejus protectioni Societatem, & ipsius obsequia obtulit ad nutum. Ad quæ clementer Sixtus: Felices, inquit, veneritis, delectat nos vester conspectus; novimus, vestra Societas, quàm salutaris sit Ecclesiæ DEi: itaq; ad nos liberè adite, libenter accipiemini; clementiam in nobis & opem reperietis. Quod dixit, egregiè præstitit primis Pontificatûs sui annis, præsertim in componendis turbis tum Gallicis, tum Hispanicis. *Sacchin. p. 5. lib. 5. n. 14.*

Societati se benevolum promittit & præstat.

3. In Gallia anno 1589, Henricus III. rex, Societati aliàs addictissimus, inductus invidorum calumnijs, quasi Patres Burdigalenses magis faverent fœderatis principibus; jussit eos ex urbe excedere, donec turbæ componerentur. Excesserunt magno cum dolore civitatis, ac se in loca vicina receperunt: ubi ita operam suam probârunt; ut ex ea occasione duo nova fundata sint Collegia, & Burdigalense paulò pòst sit recuperatum, occiso rege à Sicario. *Sacchin. p. 5. lib. 9. n. 132.*

Burdigalâ excedunt Socij.

Exilium cum fœnore.

Eodem die obierunt.

4. Nancei in Lotharingia, anno 1630, P. Joannes Gueret, Gallus. Animam egit, igne tribulationis instar auri egregiè purgatam. Cum enim discipulus ejus immane parricidium perpetrasset: P. Joannes illius Magister, quasi conscius, in suspicionem venit, & ad diram quæstionem tractus est: Ante tormentum quartam horæ partem ad orandum petiit, qua elapsa, equuleum tam fortiter sustinuit, tam sapienter respondit; ut judices fortitudinis admiratores, ac innocentiæ testes habuerit. Ipse verò deinde fassus est, se ab invocata DEI Matre ita roboratum, ut nihil dolorum persenserit; & postridie pedibus octo Gallicas leucas emensus sit. Sinistram suspicionem diluerunt insuper, non solùm honorata officia, quæ sustinuit cum laude, ut Novitiorum Magister, & Principum Confessarius: sed etiam Angeli Custodis familiaris conspectus.

Innocens graviter torquetur, sed ope Deiparæ V. sine dolore.

Angeli Custodis familiaritate honoratur.

5. Limæ in Peruvia, anno 1654, religiosè obiit Emmanuel de Arteaga Coadjutor Hispanus, Angeli Custodis cultui imprimis addictus; cujus opem opportunam expertus est, quando ab impudente fœmina ad conclave dissimulanter invitatus, ab Angelo monitus est de periculo, castitati ejus imminente. Consuetum igitur castis remedium fugam arripuit.

Cultus S. Angeli Cust: fructuosus.

6. Neapoli anno 1580, P. Gonsalvus Melendius, Hispanus. Vir licèt esset integerrimus & religiosissimus: non tamen effugere potuit gravem malevolorum censuram. Missus enim à Rege & Nuncio Apostolico in Boeticam, ad cognoscendos Sacerdo-

tum & Regularium quorundam mores, ita apud eos, quorum intererat, offendit; ut confictis criminibus, ad Sacrum quæsitorum tribunal eum vocârint. Quibus ut se explicaret calumniis, Romam vocatus contendit: sed Neapoli, magno cum domesticorum exemplo, extinctus est. Inter acerbos corporis animiq; dolores, Christus vulneribus multis cruentus, spectandum illi se dedit, & *Hinc intellige*, monebat, *quanto sint minora, quæ tu pateris*. Quæ visio maximo illi usq; ad mortem solatio fuit.

XXV. APRILIS.

S. Xaverius Conscientiæ arcana penetrat.

1. ANno 1549 S. Xaverius in India Cocino Malacam solvit, non uno utrobiq; patrato miraculo. Cocini incidit in veterem amicum, Jacobum Madeiram, quæsivitq;; quàm rectè valeret? rectè admodum, cùm respondisset ille; reposuit Xaverius: Rectè tu quidem corpore, non item animo vales. Perviderat enim fraudis aliquid in animo ejus. Consternatus Jacobus, cùm deprehensum se videret, ad pedes accidit Xaverij, & peccata ritè confessus est. Inter navigandum, cùm sæva tempestate compulsi nautæ, jam vellent mercium jacturâ navim levare: vetuit Xaverius, serenitate ante solis occasum promissâ; quæ in tempore adfuit. Malacam appulsus, veterem amicum Vicarium offendit febrium ardore delirum, ac de salute animæ desperabundum Ergo pro eo certum numerum sacrificiorum DEo vovet. Resipuit sine mora Vicarius, & peccata ritè confessus, placidè extinctus est *Orland. lib. 9. hist. Soc. n. 166. & 167.*

Desperabundum erigit.

2. In Italia Fulginij, anno 1576, egregiam posuit operam in excolenda civitate per conciones Quadragesimales, P. Joannes Gurrea. Illis fructuosissimè peractis, institerunt cives; ut aliquot adhuc menses ibidem subsisteret. Quo tempore zelum suum, & industriam indefessus exercuit, in componendis dissidentibus, in malè partis restituendis, pellicibus abstrahendis, &c. In nundinis verò, quæ percelebres Fulginij habentur ab hac die ad Calendas Junias, præter frequentes ardentesq; habitas conciones, egit cum Episcopo & Magistratibus, effecitq;: ut meretrices, quæ frequentes ad prostituendum infami mercaturâ pudorem, confluere solebant, in civitatem non admitterentur, imò & mimi circumforanei impudicis facetijs populi aures non inquinarent. *Sacch. p. 4. lib. 4. n. 48.*

Nundinismimi & meretrices prohibita.

Eodem die obierunt.

Victima fidei præclara in Paraq.

3. In Paraquaria, anno 1635, laureatus occubuit P. Christophorus de Mendora, Hispanus, odio fidei à barbaris obrutus sagittis, caput sude quassatum; cumq; nihilominus à prædicanda in Christum fide non cessaret, os illi malleo contusum, & dentes effracti, nasus, auris, labia & lingva abscissa; pectus deniq; apertum & cor evulsum. Ad hanc lauream consequendam, è nobili domo clàm profugit in Paraquariam, ut

ut Societatem talium coronarum feracem imprimis ingredi posset.

4 In Æthiopia, anno 1635, P. Gaspar Paez, Lusitanus coronatus est, à Schismaticis, hæreticisq; Æthiopibus lanceis confossus, quòd fidem Romano-Catholicam indefessus promoveret. Ipsi autem homicidæ obstupuerunt, & postea confessi sunt: sanguinem è vulneribus P. Gasparis prorumpentem, non in terram promanâsse, sed in aëra seu cælum prosilientem evanuisse. *Victima fidei in Æthiopia. Sanguis occisi pro fide salit in cælum.*

5. Neapoli anno 1603, P. Gregorius de Valentia, Hispanus, sanctè decessit Theologus eximius, præsertim claritate & dexteritate explicandi difficilia. A Clemente VIII. Pontif: Max. qui ejus olim discipulus fuerat, insigni elogio *Doctoris Doctorum*, honoratus, coram eodem sententiam Societatis de efficacia Gratiæ Divinæ strenuissimè defendit. Theologiam Scholasticam illustravit Tomis 4. multis alijs libris contra hæreticos sumptis, quos Dilingæ & Ingolstadij in Germania Theologiam docendo annis 23, acerrimè insectatus est; excursione etiam in Poloniam suscepta ad Stephanum Regem, pro hæreseos depressione. *P. Valentia Doctor Doctorum. Acerrimus in hæreticos.*

6. Osnaburgi in Germania, anno 1619 P. Simon Wipperman, Germanus piè obiit, in cultum DEiparæ V. planè profusus, quæ servulum suum aliquando osculo virgineo dignata est: unde mira illa in agendo svavitas, & gratia ei profluxisse creditur. *DEiparæ V. osculum.*

7. Jaroslaviæ in Polonia, anno 1651, insignis alter DEiparæ V. servus, P. Joannes Slostowski Polonus, quievit in Domino; adolescens à suis, ob ejuratum Arium rejectus, sed à DEi Matre assumptus, quæ ipsum ut Societatem ingrederetur, monuit, & non in uno vitæ discrimine servavit immunem. Moriens Confessario candidè aperuit: se & pluviam & serenitatem, œconomiæ suæ opportunam, & quidquid ab illa demùm petijsset, impetrâsse. *Vocatio ad Societatem per B. V. Facillima in vota clientis.*

XXVI. APRILIS.

1. EXimiæ benevolentiæ plenas literas dedit Cardinalis Burghesius, anno 1617, nomine Pontificis Pauli V, ad P. Franciscũ Suarez. Miserat is in Urbem, ac Pontifici obtulerat, conscriptum à se Volumen *de Auxiliis Gratiæ*: ut ibi censuræ subjiceretur, & si innoxium deprehenderetur, cum gratia Pontificis in lucem ederetur. Exceptum est Opus cum magna commendatione eruditionis, subtilitatis & soliditatis: quominus tamen permitteretur ejus editio, obstitit recens Decretum ejusdem Pontificis (de quo adhuc nihil inaudierat Suarez) quo caverat, ad evitandas turbas; ne ullus adversantium partium Liber de ea materia, typis ederetur in lucem. Jussu ergo Pontificis sequentem Epistolam dedit ad Suarium Card. Burghesius. „Acceptis binis ejusdem argumenti Vestræ Paternitatis literis, jussit me SS. Dominus suo nomine respondere: præstantiam ingenij Paternitatis Vestræ, & obsequium in Sedem Apostolicam, plurimi se fecisse. Eam paterna charitate & amâsse semper, & in posterum amaturam, cùm ob præcipua in rempub: Christianam merita; tum quòd honestissimè de suis virtutibus sentit. Quod ad impressionem Libri de Gratia pertinet: nulla propter doctrinam orta est diffi- *Literæ Card. nomine Pauli V, ad P. Franc. Suarez.*

 cultas,

cultas. Existimat enim Sua Sanctitas, eam non discrepaturam ab eruditione & doctrina tot librorum, dudum in lucem editorum; qui omnium acclamatione excepti, egregiè sustinent nomen & famam, quam adepti sunt. Sed omnis emanavit difficultas ob qualitatem materiæ: de qua ne alij etiam agerent, qui de ea scripserant, efficaciterq; pro facultate imprimendi institerant, gravissimis de causis pro nunc non modò cautum, sed strictim vetitum fuit. Si ulli tamen unquam potestas fiet, de hac re libros promulgandi: in hoc etiam ostendet Sua Sanctitas, quanti Vestram Paternitatem, ejusq; virtutem æstimet. Volet enim tunc, ut Liber Vestræ Paternitatis inter primos in lucem prodeat &c. *Massejus in Vita, cap. 17.* Post mortem tamen Suarij impressus est hic Liber.

Scriptorum de Gratia editio cur dilata?

Eodem die obierunt.

2. In Italia, anno 1635, P. Alphius Mansitus, Italus, singulari domesticæ disciplinæ studio celebris. Magna illi verborum parsimonia, sed ubi de divinis loquendum erat, fluebat illi pleno alveo, ut nectar, oratio. Qui constanter ipso utebantur spiritûs magistro pænitentes, notabili morum concinnitate distingvebantur à cæteris; abiitq; in proverbium, ut si quis videretur magis probus, diceretur, Patre Alphio uti Confessario. In vita dono vaticinij, post mortem gratiâ sanitatum honoravit DEus servum suum.

Sermo de divinis.

Confessarius accuratus.

3. Monachij in Germania, anno 1615, quievit in Domino Christianus Schacher, Germanus, Coadjutor, paupertatis sanctæ studiosissimus. Nihil novum, aut novo simile, petijt vel admisit. In veste, qua induebatur, curabat: ut munda esset, ac egregiè attrita. Ad aulam principum per ipsos 30 annos comitatus Patres, libellos pios lectitabat, & si se dabat occasio, aulicis opportunè suggerebat, quæ in rem ipsorum essent documenta; emicabatq; gratior & splendidior Veritas ex ore simplicis.

Vestis attrita, sed munda.

Comitis Patrũ occupatio.

4. Madriti in Hispania, anno 1648, P. Joannes Martinez de Ripalda, Hispanus; Theologus subtilis admodum in disputando, solidus in scribendo, acutus & clarus. Sanctos Patres, Augustinum præsertim & Thomam Aquin: continuò volvebat, habebatq; illos memoriæ felicissimæ beneficio, promptos ad omnia, quæ proponebantur. Vix quisquam è Societate Salmanticensem Cathedram majore ingenij splendore illustravit. Testes ejus eruditionis sunt Tomi 3. de Ente supernaturali, & unus de Fide, Spe, & Charitate. *Sotuvellus in Biblioth. Soc.*

Ripaldæ eruditio Theologica.

XXVII. APRILIS.

1. ANno 1563 P. Villela è Japonia dedit literas Goam de mirabili conversione duorum in gentilismo principum, Cicondoni & Xamaxacondoni. Cùm Bonzij arreptis armis tumultuarentur, & excidium Religionis Christianæ urgerent: Mioxindonus, penes quem post Cubosamam Imperatorem, summa erat authoritas; ut tumultuantium furorem declinaret, svasit; ut non statim ferro ageretur in Christianos, sed Lex ipsorum traderetur primùm examini Cicondoni & Xamaxacondoni, virorum primæ nobili-

Conversio insperata præcipuorum duorum gentilium in Iaponia.

nobilitatis, & eruditionis. Acquieverunt Bonzij: ſed Chriſtiani metu ferè exanimati ſunt; quòd Judices illi, eſſent infenſiſſimi hoſtes nominis Chriſtiani. Verùm placuit Divinæ Bonitati hoc metu confeſtim illos liberare. Priuſquam enim ordirentur Examen; Xamaxacondonum convenit in privato ſuo negotio, Jacobus quidam Chriſtianus. Cui ille, ſive dubitans, ſive illudens; Chriſtianus es tu? Annuente Jacobo; dic, inquit Xamaxacondonus, quæ eſt fides & Lex tua? Excuſavit ille ſimplicitatem ſuam & ruditatem; imparemq; ſe faſſus eſt, qui de tantis rebus loqueretur. Juſſus tamen proferre, quidquid ſciret; orſus eſt ab Animæ Immortalitate, deinde progreſſus ad ipſius & rerum omnium Conditorem DEum, devenit deniq; ad Univerſale Judicium futurum, atq; ad præmia æterna probis, ſupplicia verò æterna improbis decernenda. Quæ omnia tanto ſpiritu expoſuit: ut inſtar Felicis illius, tremefactus Xamaxacondonus, adeſſe juſſerit peritiorē doctorem: factumq; intra paucos dies, ut cum Cicondono probè inſtructus, ambo luſtralibus aquis tincti ſint, & ingentem Ethnicorum copiam poſt ſe traxerint, vel ſolo exemplo ſuo, ad Chriſtum. *Bartoli in hiſt. Aſiat. l.8. n.22.*

Chriſtiani rudis efficax prædicatio.

2. Ibidem anno 1587 ſolemni baptiſmo tinctus eſt à P. Petro Gomez, rex Bungi junior (Franciſci, qui curam regni depoſuerat, ut ſoli pietati vacaret, filius) cum uxore, filio, duabus filiabus, & multis è prima nobilitate; imò & illuſtrioribus Bonzijs. Regi inditum nomen Conſtantini, Regina dicta eſt Juſta. *Sacch. p. 5. lib. 7. n. 147.*

Rex Bungi cum uxore & liberis converſus.

3. Anno 1563 expedita eſt Goâ à Prorege Luſitano legatio ad Imperatorem Sinenſem: quam noſtri, ac potiſſimùm S. Xaverius, opportuniſſimam cenſebant, ad aperiendum Luſitanis, & Evangelij præconibus aditum in regnum, exteris validiſſimè obſeratum. Sed nihil effectum ea legatione; quòd non ſit impetratus acceſſus ad regiam. *Idem p. 2. l. 7. n. 127 & ſeqq.*

Legatio irrita ad Sinas.

4. Sigiſmundus III. Rex in publicis judicijs unanimi Senatorum conſenſu permotus, ſumma ſua voluntate pronunciavit placere ſibi, ut ſublata omni mora, Collegium Rigenſe Societati JESU reſtitueretur, & quidquid illatum detrimenti, ſarciretur. Senatus Rigenſis fruſtra cunctatus, nec inanes à regijs miniſtris intentari minas videns, imperata demum fecit, ac P. Varſevicio, Societatis nomine ſtipulanti, poſſeſſio ritè hoc die tradita templi Divæ Magdalenæ & adjuncti monaſterij. Hoc monaſterium æquare ſolo plebs, ab hæreticis concitata, pridem ſtatuerat, ne ijs uti ædibus Societas aliquando poſſet; humanitatis tamen quodam ſenſu, quo minùs id ſtatim everteret, retardata fuerat, quia ſupererant adhuc in eo cænobio ſacræ

Rigenſe Collegium Societati cedit.

DEo

DEo virgines duæ, ſenio confectæ, quibus brevi extinctis, monaſterium exſcindere decreverat. Verùm contigit non ſine numine, ut earum altera (nam una jam obierat) quæ ſola excidium monaſterij morabatur, tum exceſſerit è vita, cùm adeſſent miſſi à rege Proceres, ad redonandum Societati Collegium, quorum præſentia furorem plebis & conſilia cöercuit. *Juvencius fol. 273.*

Eodem die obierunt.

Miſſionarius Sinenſis honoratus.

5. Pechini in China, anno 1638, P. Jacobus Rho, Italus, clarus inſigni Mathematum peritia, ſed magis Evangelij operoſa prædicatione. Imperatori Sinenſi in paucis charus, honores, quos vivus conſtanter fugerat, mortuus evitare non potuit. Magnâ enim pompâ, celeberrimâ viâ ſepulchro illatus eſt; effigies autem ejus, Mandarinorum juſſu coloribus expreſſa: ut viveret in oculis & memoria poſterorum.

Coadjutor promotus ad ſacerdotium.

5. Hiſpali in Hiſpania, anno 1598, P. Petrus Monroi, vitam Religioſiſſimam pari morte concluſit. In Societate gradum Coadjutoris temporalis elegit, tenuitq; toto decennio inſigni humilitate, ſpreto opimo Sacerdotio, quod in ſæculo ad manum erat. Juſſus deinde aſcendere ſuperiùs, etiam ſacerdos & ſociorum ſuperior, factus non eſt apud ſe ipſum major, in omnes ſui deſpiciendi occaſiones intentus. Lacerna illi pro veſte, tabula pro lecto. Orabat intenſione & efficaciâ tantâ: ut quidquid peteret, impetrare videretur.

Oratio efficax.

7. Brunsbergæ anno 1613. incerto die P. Robertus Abircrombius laborioſa pariter ac illuſtri militia defunctus, rudem & coronam, à cæleſti imperatore, ut confidere licet, accepit. Ibi non multò poſt initam Societatem, annos tres & viginti adjuvandis Catholicis, & noſtris tironibus inſtituendis impenderat. Poſtea per annos undeviginti verſatus in Scotica Miſſione, dici vix poteſt, quot carceres adierit, quot pertulerit incommoda, quantam evangelici tritici vim in horreum Domini congregaverit. Ab ipſo Regina Scotiæ, è Danico prognata genere, edocta Lutherum abdicavit, & in Eccleſiæ Chriſti ſinu ſupremum poſtea diem clauſit. Parem navavit operam multis proceribus eodem infectis veneno. Edicto regio pronunciatum fuerat nummorum decies mille præmium ei, à quo comprehenderetur. Non levis eſt gloria tanti fuiſſe æſtimatum ab hoſtibus religionis: nec minor illius fortitudo, quòd poſt hanc denunciationem non arripuerit fugam, neq; aliter vitæ conſuluerit, quàm ſe novis & majoribus periculis objectando; felicitas verò, ſeu potiùs DEi tutela non vulgaris, lictorum oculos ac laqueos tot annis effugiſſe. Accidit aliquando, ut immiſſi ſatellites domum Catholicam, ubi verſabatur, obſiderent. Conjicitur ſubitò per ſummam trepidationem, quæ locum deliberandi non dabat, in vacuam & patentem arcam: ſcrutis quibuſdam ac rivolis operitur. Tota domo ſuſq; deq; proturbata, repertus non eſt. Senio deblitatum accepit Brunsberga, & octogenarium vitæ meliori dedit. *Iuvencius fol. 214.*

Pretium Miſſionarij.

XXVIII. APRILIS.

S. Xaverij Potamienſis miraculum.

1. Illuſtrem fecit hunc diem conteſtatio jurata & judicia de duplici miraculo à S. Xaverio Potamienſi patrato. Extremo in agone poſita, jam effla-

efflabat animam matrona Dasensis. Orbitatem suam deplorans filius recurrit ad Sanctum Apostolum Potami celeberrimum miraculis, jubens omnes, qui aderant, consanguineos & domesticos, secum diuo preces fundere: ut matrem in vivis conservaret diutiùs; cujus beneficij si potiretur, facem unam, & alia quædam pia munera, altari Potamiensi offerenda, pollicebatur. Complacuit sibi Divina Bonitas ostendere, quo loco essent apud se servi sui Xaverij merita. Moribunda enim repente respiravit, pristinæq; valetudini est reddita: atq; Divo vota filij persolvit hac die, anno 1652.

Alterum ejusdem.

2. Eadem die & anno adfuit Potami Dominica Pilaya Sorianensis, gratias relatura Divo eidem. Neptem enim ejus triennem, Mariam Nardi, morbus insolitus & gravissimus ad extrema redegerat. Matertera igitur famâ miraculorum, quæ de Diuo Potamiensi passim spargebantur, commota, opem ejus ardenter imploravit, promisso Sacro votivo in honorem Sospitatoris. Vix votum conceperat, & sanitas reddita est infirmæ puellæ. *Ex libello miraculorum S. Xaverij Potamiensis pag. 177 & 178.*

Eodem die obierunt:

Episcopatus, principatus, & comitatûs abdicatio.

3. Tolosæ in Gallia P. Carolus à Lotharingia, anno 1631 clarus, relicto Episcopatu, principatu, & comitatu Virdunensi. Gregorius XV. Pontifex Max. potestatem ei faciens abdicandi se Episcopatu, *Proficiscere*, inquiebat, *ad eam sacræ militiæ Societatem, Catholici nominis defensione, & hæreticorum excidijs clarissimam.* Quatuor Societatis votis adjecit, quintum, P. Carolus: semper quærendi majorem DEi Gloriam in rebus gravibus, & semper defensurum immaculatam Beatissimæ & dulcissimæ V. Matris suæ Conceptionem. Obijt Præpositus Domui Professorum Tolosæ.

Votum quærendi semper Majorem Dei gloriam.

4. Romæ, anno 1575 mortales reliquit P. Jacobus Cerutus, Italus, votorum religiosorum tam amans, ut ea renovaret quotidie, primum semel, tum bis, ter, quater, dein decies, tandem vicies, deniq; ter millies. Litanijs Lauretanis recitandis impensè addictus, noctu ter excitabatur ad eas recitandas. Ut pauperior esset, etiam Coronâ B. V. se privavit, digitis pro granis usus.

Votorum renovatio creberrima.

Cultus DEiparæ V.

Paupertas rigida.

5. In Brasilia, anno 1607, P. Didacus Fernandez copiosos multi laboris manipulos cælo secum intulit, ad Christum facilè duodecim millibus barbarorum Brasilorũ.

Missionarius efficax in gentium conversione.

6. Varsaviæ in Polonia, anno 1670 P. Joannes Mambrecus, Scotus, regio sangvine ortus. In Scotia propter fidem tentus & in carcerem conjectus, ob sangvinis prærogativam dimissus, sed exulare perpetuò jussus est. In Poloniam delatus totum se impendit excipiendis variarum gentium Confessionibus, Italorum, Anglorum, Scotorum, Germanorum, Gallorum, Hispanorum, Belgarum: quorum omnium linguas egregiè callebat. Perpetuò dolebat, se excidisse optatissima sorte oppetendi mortem pro Christo, quem *amorem suum* identibem vocabat, & in ejus vulneribus suavissimè conquiescebat. Transiens Imaginem Crucifixi in altiore loco positam, si sacris pedibus oscula figere non posset, protenso brachio digitis extremis illos tangebat, digitosq;, velut jam sacratos, suavissimè deosculabatur,

XXIX. APRILIS.

Gubernatio Societatis non Capitularis.

1. ANno 1568. Pius V. confirmavit Constitutiones Pauli V. & Julij III, quo ad gubernationem Collegiorum Societatis, & aliarum domorum: ut non congregentur Capitula, nec Contractus celebrentur capitulariter: sed omnis authoritas & potestas sit penes Præpositum Generalem, qui eam Superioribus immediatis communicet. *Bullar. Soc.*

2. Trajecti in Belgio, invalescente hæresi, Collegium variè vexatum est, anno 1578: ut Socij ultrò excederent. Sed cùm illi religiosâ patientiâ & constantiâ, tolerarent omnia: hoc die adfuit urbis Præfectus, monuitq; imminere urbi obsidionem: proinde oneri non essent, sed cum cæteris Religiosis excederent. Reposuit Collegij Rector: Societatis professionem esse, non labores tantùm sed sangvinem & vitam impendere saluti populi, qui imminente obsidione potissimùm juvandus esset spiritualibus medijs. Retulit ille, se super hoc relaturum ad Senatum. Hic cùm nullo modo dimittendos esse censeret Patres, tandem terroribus & minis Præfecti adactus est in assensum. Postridie ergo migrandum illis fuit, traditis Præfecto Collegij clavibus: & tunc ille quidem omnia se servaturum integrè usq; ad reditum promisit; sed perfidus fefellit. *Sacchin. p. 4. lib: 6. n. 113 & seqq.*

Trajecto expelluntur Socij

Domus Societatis Nankini miro modo parta.

3. Anno 1599. exeunte Aprili P. Matthæus Riccius Nankini in Sina domum vili pretio emptam, sed à Lemuribus & tartareis hostibus occupatam, subit. Mandarinus, licèt emptore domus jam pridem inutilis & vacuæ reperto gauderet; tamen ut erat vir probus, vitium ædium candidè aperit, ac exponit, cujus ipse testis locuples erat. Riccius Deum se colere renuntiat, cujus nutum inferi pariter ac superi perhorrescerent: se illo Duce ingressurum ædes, & quietas possessurum. Confectis ritè tabulis, domus Riccio Patribusq; venturis in perpetuum possidenda traditur: quod ab nullo hactenus Sinensi magistratu impetrari potuerat. Possessionem capit Riccius, adhibet statim Ecclesiæ precationes contra vim avernalem usurpari solitas, lustrat omnem locum aquâ consecratâ. Diffugiunt ferales larvæ: pax, somnus, tranquillitas summa, succedunt. Populus accurrens orta luce, ubi rem accepit, obstupuit scilicet, ac domitorem Erebi Deum Christianorum agnovit. Manavit longè fama, & magnam legi Divinæ conciliavit gratiam, magnam Riccio auctoritatem. *Juvencius lib. 19. p. 5. fol. 524.*

Eodem die obierunt.

Victima fidei in Anglia.

4. Londini in Anglia an: 1602, P. Franciscus Pagius, Anglus. Patribus per Angliã Missionarijs primùm fidelia præstitit obsequia; ea propter multa pericula vinculaq; perpes-

perpessus. Postea Sacerdotio initiatus insigni exemplo, fortiq; zelo rem Catholicam promovit. Deniq; cùm Societate impetrata; iter pararet in Belgium, ad ponendum ibi tyrocinium, jam visus est superis cælo maturus. Captus ergo ab hæreticis, Londini damnatus est Majestatis læsæ reus, quòd Sacerdos esset; ideoq; suspensus & corpore quadrifariàm dissecto, excarnificatus.

5. Pictavij in Gallia anno 1626 P. Joannes Gualbertus, Gallus. Deliberanti de vitæ statu deligendo, cùm fortè librum aperuisset, occurrit locus ille, qui monet: Patrem & matrem deserendam esse illi, qui Christi discipulus esse velit. Aperuit secundò, idemq; occurrit. Paratæ ad nutum divinum animæ satis id fuit. Societatem impetratam beneficentiâ suâ juvit, sed magis virtute locupletavit. Suavis illi, pacata, & ad commiserationem pronissima indoles: unde ab ægrorum cura & obsequiis avelli non potuit, ratus; se Christo præstare, quidquid præstaret illis.

Consilium ex Libri apertione fortuita.

XXX. APRILIS.

1. ANno 1555. Marcellus II. Pont. Max: ingentes spes Societatis, velut in herba succidit, immaturo fato suo. Amicissimus S. Ignatio, & toti ejus familiæ paterno planè affectu addictissimus, reparare poterat, quod in morte Julij III. amiseramus. Sed, quæ rerum humanarum est vicissitudo, lætitia & spes ex ejus electione concepta, concidit altero & vigesimo ab electione die, Marcello terris erepto. *Orland. part. 1. hist. Soc. l. 15: n. 3.*

Marcellus II. Pontif. moritur

2. Anno 1604 celebrata est disputatio 28. coram Clemente VIII. de Auxilijs Gratiæ secundùm doctrinam Molinæ. Quæsitum est: An actus fidei, spei, charitatis &c. eliciti cum respectu ad DEum, & ex omni circumstantia boni, sint sufficientes ad salutem; seu tales, quales esse oportet, ad obtinendam salutem æternam? Respondit Ferdinandus Bastida: Non esse sufficientes, nec esse tales, quales esse oportet. Quamdiu enim supernaturales non sunt in substantia, proportionem nullam habent ad præmium & finem supernaturalem beatitudinis æternæ. *Eleuther. hist. de Aux: l. 5. c. 34.*

Ad salutem non sufficiunt quicunq; actus naturales.

3. In Japonia anno 1585 P. Gaspar Còëllius Vice Provincialis prosecutus iter Ozacam, ut novum Japoniæ Imperatorem Faxibam Cambacundonum conveniret, & aliquid in favorem rei Christianæ ab ipso impetraret, hoc die pervenit, ubi Societas domicilium jam habebat, inter circumfusa Bonziorum monasteria eminens. Ibi dum moratur, ut certiùs aliquid resciret de Cambacundoni erga Societatem & Christianos animo: audit, ipsum, Ozacæ (quam urbem splendidissimè & amplissimè ædificabat in Sedem regni sui) domum nostram & Ecclesiam ultrò ac improvisò ingressum esse, multa de religione Christiana percontatum, omnia probâsse, excepto uno; quod scilicet Christiana lex polygamiam & vagas libidines prohiberet;

Imperatoris Japoniæ benevolentia, & judicium de Lege Christiana.

ret; qua lege ſublata Chriſtianum ſe futurum dictitabat. Sed cùm lex ipſi accommodari non poſſet, & ipſe legi ſubjici nollet: manſit is, qui pridem, Chriſtianis tamen addictiſſimus, donec eâdem lege exacerbatus, in illos perſecutionem movit. *Sacchinus p. 5. lib. 5. n. 165.*

Eodem die obierunt.

Victima fidei in Ægypto. 4. In oppido Delec ad mare Rubrum, anno 1595, in odium fidei à Mahometanis peremptus P. Georgius Abrahamus, Maronita. Primus gladius in eum vibratus, fractus eſt; alter leve vulnus inflixit, & fractus eſt; tertius demum caput abſtulit, & coronam impoſuit. Ad ſepulchrum ejus per ipſos 40 dies, cæleſtes quaſdam faces arſiſſe, ipſi Saraceni teſtati ſunt. Iter inſtituens per Luſitaniam, cùm Sacram Hoſtiam, Santarenæ miraculis claram, adoraret; vidit in illa Chriſtum cruce onuſtum, intellexitq; poſt multa adverſa, ſibi mortem ejus causâ inferendam. *Paupertatis religioſæ divitiæ.* Inter ſummas viarum ærumnas affluebat gaudio, exclamabatq; : *O quæ divitiæ! O quæ divitiæ ſub ſancta iſta paupertate latent!*

Victima fidei in Iaponia. 5. Arimæ in Japonia anno 1595, P. Joſephus Furlanettus, Italus, veneno ab ethnicis propinato in odium fidei, extinctus. Multo feliciq; labore eam gentem excoluit. Præter alibi aggregatos ad Chriſtum, in uno oppido bis mille ſexaginta luſtralibus aquis expiavit. *Gentium numeroſa converſio.*

Mors beneficio B. V. accelerata. 6. Anicij in Gallia anno 1609, P. Claudius Ponceottus, Gallus, accelerata, favore Virginis DEiparæ, morte ſublatus eſt. Cùm enim gravi ægritudine proſtratus jaceret, vidit ad pedes lecti adoleſcentes duos ſpecie cæleſti, qui neſcio quam potionem turbidam miſcebant, ab ægro exhauriendam: ſed ſuperveniens tertius dixit; ſe à cæli Regina miſſum, nunciare: ſatis eſſe dolorum, ipſam verò non longè abeſſe. Deſierat loqui; & ecce DEi Mater cum filio ſpectabilis adſtitit, comitantibus Sanctis, Claudio & Ignatio, cum alijs quibuſdam è Societate, qui ægrum ad gaudia cæleſtia invitabant. Secutus eſt felici juſtorum morte, qui vitam vixerat verè religioſam.

I. MAJI.

Pius V. moritur. 1. B. Pius V. Pont. Max. anno 1572 ad glorioſam æternitatem translatus eſt, non ſine luctu Societatis, quæ animitus ſibi addictum, & beneficum eſt experta. Memoria ipſius in benedictione eſt ſpecialiter Collegio Brunsbergenſi, in quo hæc ſcribo: quod redditibus de Menſa Epiſcopali, & Ven: Capituli Varmienſis ſtabilivit, petente Magno Cardinale Stanislao Hoſio, Fundatore, Varmienſi Epiſcopo, & S. R. I. Principe.

2. Capuæ in regno Neapolitano, anno 1602 Card. Robertus Bellarminus Metropolitanam Sedem ſuam ſolemniter ingreſſus eſt, exceptusq; omnium votis & plauſu ſincero, non ſolùm ut Archiepiſcopus & Cardinalis; ſed ut Paſtor Bonus, ac Sanctus. *Bellarminus Capuæ ipſe concionatur.* Quod munus & commune populi judicium, ut impleret: ſine mora aggreſſus eſt oves ſuas paſcere non per Vicarios, ſed per ſe ipſum; pabulum ſalutiferæ doctrinæ ipſis ſuppeditando; nec per Ad-

ventus

ventus tantùm & Quadragesimales Ferias, sed Dominicis & Festis diebus quibusvis, quòd ibi inauditum erat, è Cathedra populum docendo, Authorq; fuit Pontifici: ut quos crearet Episcopos & Archiepiscopos, seriò admoneret hujus officij. Memineris, inquiebat, Beatissime Pater, Episcopos reliquisse olim alijs temporarias curas, ac statuisse de se illud Principis Apostolorum: Nos autem verbo DEi, & orationi instantes erimus, *Petrasancta in Vita lib. 4. cap. 1.*

3. Claudiopoli in Transylvania celebravit anno 1581 Christophorus Bathoreus, Stephani regis Poloniæ frater, comitia cum nobilitate: quibus filius ejus Sigismundus, octennis adhuc, constitutus est ejus Successor, Princeps & Vaiwoda Transylvaniæ; decretumq;: ut si quæ civitas, vel alia frequens communitas, optaret Catholicos Sacerdotes, Princeps eos concedere posset. Interea Patres nostri, rati eam Comitiorum celebritatem opportunam esse rei Catholicæ promovendæ, Theses typis editas de Controversijs Fidei; sparserunt inter doctiores, invitantes sectarum ministros ad disceptationem publicam. Convenerant ultra quinquaginta, Ariani, Calvinistæ &c. ad illa comitia; & quamvis initio tergiversarentur, compulsi à Nobilibus spoponderunt se in arenam descensuros, & Jesuitis ora clausuros. Sed cùm condicta dies illuxisset, & cum Principe frequentissima nobilitas, populusq; in Collegium confluxisset: Ministellorum apparuit nullus, nec reperiri poterant diligenter conquisiti, arrogantiâ, ut solet, evanescente in metum & fugam. Sic disputatio versa in cachinnum Catholicorum, fremitum nobilium sectariorum. *Sacch. hist. Soc. p. 5. lib. 1. n. 145. & seqq.*

Eodem die obierunt.

4. In urbe S. Jacobi in Hisp. anno 1593, P. Martinus de S. Dominico, Hispanus, à cultu SS. Eucharistiæ, & quotidiano usu Rosarii Mariani longè lateq; propagato, maximisq; peccatorum conversionibus celebratus Missionarius. Priusquam aliquò excurreret, diligenter dispiciebat: quæ regio magis indigeret cultore; deinde constitutâ in certam plagam excursione, priusquam Collegio exiret, præparabat animum per aliquot hebdomadas aut dies, opemq; cœlitus sibi comparabat prolixa plurium horarum oratione, cruentis flagellationibus, jejuniis & sacrificiis; quæ etiam ab amicis emendicabat. Tum iter ita instituebat, ut pridiè diei Dominici, vel Festi alicujus esset in loco. Postero die cum bona Parochi gratia prodibat in suggestum, dabatq; inprimis adventûs sui rationem: mox ardentissima concione percellebat animos, concutiebatq; corda; ut dies noctesq; non sufficerent Sacerdotes, confitentibus audiendis. Per integram hebdomadam excipiebat confessiones, populumq; præparabat ad mensam Eucharisticam, quam die Dominico tandem dabat solemnissimo apparatu, & incredibili hominum fructu.

Præparatio ad Missiones.

Methodus per utilis servata in Missionibus

5. Neomagi in Belgio, anno 1636, P. Antonius de Greef, non postremus inter

Angeli præsidium. heroes & victimas Charitatis impensæ infectis lue pestifera. Vir erat ad arduas Missiones promptissimus, & vitæ suæ prodigus animarum causâ. Versanti aliquando in periculo, ne comprehenderetur ab hæreticis, adfuit repente juvenis ignotus, qui militem compellans, *Age,* inquiebat, *hunc hominem missum fac, & mihi, & multis civium apprimè notum.* Destitit miles, & juvenis videri desiit.

6. Mediolani in Italia anno 1648, P. Melchior Inchofer, Germanus, ab edita, præter complures alios in varia materia eruditissimos libros, & strenuè vindicata Epistola DEiparæ V. quam vivens adhuc inter mortales dedisse fertur ad Messanenses in Sicilia, memorabilis. Ob hoc opus delatus fuit ad S. Congregationem Indicis: sed ibi ita suam & Marianam, atq; Messanensium causam egit: ut libera illi concessa sit facultas reimprimendi. *Soutvellus in Bibl. Soc.* *Epistola B. V. ad Messanenses vindicata.*

II. MAJI.

1. CApuæ sacram ingressûs sui in Ecclesiam Metropolitanam, solemnitatem continuavit Card. Robertus Bellarminus: non currus & equites ducendo per Urbis plateas, sed devotam populi supplicationem; circumferendo S. Protomartyris Stephani Brachium, ad conciliandam sibi & urbi uberiorem benedictionem. Quæ res & populum egregiè composuit ad pietatem, & Præsuli majorem comparavit æstimationem atq; amorem. *Petras. in Vita lib. 4. cap. 1.* *Reliquiarum cultus.*

2. Anno 1564 cùm Rodulphus Pius, Cardinalis Carpensis, qui nascenti Societati à Summo Pontifice fuerat Patronus datus, hac die ad immortales abiisset: dubij hæserunt Patres, an more aliorum religiosorum ordinum novus à Sanctissimo petendus esset Patronus? Occurrebant enim inter commoda non minora incommoda. Stetit tandem sententia: nequaquam postulandum esse Patronum, sed rem omnem ingenuè simpliciterq; Christi Vicario aperiendam; quodq; is decrevisset, id omnino amplectendum. Pontifex, Pius IV, de his informatus à Lainio Præposito Generali, vehementer probavit, ne quis unus nominatim Patronus assumeretur è sacro Cardinalium Collegio; subjecitq; mox coram aliquot præsentibus Cardinalibus: *Patrocinium vestrum ipsi nos recepimus; nos erimus vester Protector.* Quæ benigna Sanctissimi Patris voluntas quantum gaudij, tantùm animi addidit Socijs ad res strenuè gerendas. *Sacch. p. 2. hist. Soc. lib. 8. n. 5. & seq.* *Societatis Protector ipse Pontifex.*

3. Potami in Calabria solemne Sacrum fieri curavit, ex voto, Dominicus Seminari, in honorem S. Indiarum Apostoli: quòd ejus ope ab intensissimo laterum dolore, quo ferè ad amentiam fuerat redactus, subitò sit liberatus. Juratus id affirmavit coram testibus idoneis. *Ex libello Miraculorum S. Xaverij Potamiensis, n. 209.* *S. Xaverius sanat gravissimè infirmum.*

Eodem die obierunt.

4. In Æthiopia anno 1635, P. Joannes Pereira, Lusitanus, Patris Gasparis Paez, de quo 25 April. Socius laborum, dolorum & coronæ: à Schismaticis Alexandrinis odio fidei lanceis confossus. *Victima fidei in Æthiopia.*

5. Goæ in India Orientali, anno 1583, P. Dominicus Fernandez, Lusitanus: operarius in cultura Indorum, præsertim insulæ Choranæ, indefessus & fœlix: ut qui in aditu ejus insulæ, septem duntaxat Christianos reperit; moriens reliquit millia quinq;. *Operarius strenuus.*

6. Rotomagi in Gallia anno 1610, P. Antonius du Four, Gallus: cujus vitæ integritatem, & perfectionem religiosam testatum est ipsum ejus corpus, post 12 à morte annos, licèt in viva calce sepultum, apparuit integrum & fragrans odore suavissimo. Linteamen, quo involutum fuerat, admotum fratri Coadjutori, in obsequio pestiferorum ægrotanti, mox dolorem omnem abstersit. *Virtus honorata post mortem.*

7. Mexici in America P. Hieronymus de Mercado, Hispanus. Ab ipso tyrocinio semper pavidum ob conscientiam nimis teneram, sub mortem serena tranquillitas & pax excepit. Cilicio loricatus, somnum ter in hebdomoda super nudos asseres capiebat; orationem bis repetita quotidie flagellatio armabat. Triduo ante mortem, Religioso cuidam objecta est splendida cœlitum pompa, quæ P. Hieronymi cubiculo longa serie sese infudit, protectura agonizantem, victoremq; deductura ad capessendam coronam.

III. MAJI.

1. ANno 1575 Gregorius XIII. largissimè communicavit Societati Privilegia aliorum Ordinum: ut illis uti possit secundùm rationem Instituti sui, dependenter tamen à suo Præposito Generali, cujus erit ea communicare Socijs (qui religiosa vota fecerunt) cum ea amplitudine vel restrictione, prout ipsi videbitur. Concessit insuper: ut Socij semel approbati, possint ubiq; (extra loca tamen ubi resident Ordinarij) concionari & Confessiones audire, non repugnante Parocho; atq; Vota commutare etiam adjurata, dummodo id in præjudicium alterius non fiat. Præterea ut in Oratorijs & Capellis, quæ ipsius Societatis Provinciales per se in Domibus, Collegijs, & alijs locis, ubi aliqui Societatis residebunt, approbaverint, & ad Divinum duntaxat cultum deputaverint, Missas & alia Divina officia, alterius licentiâ desuper minimè requisitâ, celebrare possint. Constitutio incipit: *Decet Romanum Pontificem &c.* Bullar. Societ. *Societati communicantur privilegia aliorum ordinum. Concionatores & Confessarij. Votorum commutatio. Oratoria Societatis.*

2. Apud Sinas, columen grande rei Christianæ, P. Matthæus Riccius, in morbum incidit lethalem, contractum ex nimia fatigatione, in bonum Fidei suscepta. Cùm enim eo tempore ex omni Sinarum imperio fieret Magistratuum (ad 5. millia) concursus ad regem visendum; & eodem anno, pro Doctoratu, qui solùm in aula confertur, obtinendo, alia 5. millia, & ampliùs, Literatorum concurrissent ad Examen: visitandi fuissent insuper, *Promotio literatorum Sinensium.*

qui

qui in varijs Provincijs rei Christianæ favebant, vel futuri fautores sperabantur: excipiendi quoq; & honorandi ritibus Sinicis, qui domi nostræ confluebant magno numero, ad invisendum P. Matthæum; alia quoq; quotidiana negotia intermitti non possent: concidit tandem sub onere vir, alioqui laboribus ali visus; & mox eum morbum fatalem sibi pronunciavit, magno mœrore domesticorum & Neophytorum. *Trigaultius Exped. Sin: lib. 5. cap. 20.*

Morbus P. Riccij supremus.

Expeditio prima in regnum Angola.

3. Anno 1560 à 4 Socijs suscepta est prima expeditio in Africæ regnum, *Angola*, dictum, ad quod feliciter appulsi sunt hoc die, primi eas terras perfusuri luce Evangelica. Rex hospites Lusitanos & nostros visus est habere pergratos: sed eos velut sub honesta custodia detinuit apud se in sextum usq; annum, commissa Patri Goveano filij sui adolescentis institutione. Unde prædicatio publica dilata est sub specie favoris. Dicebat enim barbarus: non debere esse incustoditos, ne ab Angolanis aliquid injuriæ acciperent, vel in Lusitaniam profugerent. *Sacchin. p. 2. lib. 4. n. 208.*

Sanitas à S. Xaverio restituta duobus.

4. S. Xaverio votum persolvit Potami matrona Sorianensis pro sanitate sibi & filiolo infanti per eum restituta. *Ex libello Mirac. Potam. n. 209.*

5. Nankini, in aula veterum regum Sinensium, Patres Societatis posuerunt: & DEo Opt. Max. primum templum publicè dedicârunt V. Non. Maji MDCXI. sunt in marmore super valvas interioris ædis collocato incisa.

Imago crucifixi globis trajecta sangvine manat.

6. In Prussia Brunsbergæ anno 1636 celebrari cœpit locus suburbanus, in fundo Collegii positus, in quo pictam Christi Crucifixi imaginem, columnæ quercinæ affixam, prope viam & fluvium Passeriam, Suecicus miles hæreticus, cùm tribus globis, explosâ bombardâ, trajecisset: visus est à multo accurrente populo, liquor quidam sangvineus è tribus perforatis locis repromanare. Quæ Imago mox à Polonis, quorum castra vicina erant, reverenter deposita, in thesauro primùm regio per annos non paucos asservata est; deinde à Michaële rege, instante Illust: Episcopo Chijoviensi, Thoma Ujeyski, Collegio reddita; nunc in sacello suburbano, non ineleganti, quod S. Crucis dicitur, à frequente populo confluente, præsertim hoc die, & in festo Exaltationis S. Crucis, imò singulis per annum Ferijs sextis, honoratur; nec pauci gratias singulares cælitus sunt experti. *Ex Annuis Coll. Brunsb.*

Eodem die obierunt.

Victima fidei in Anglia P. Garnetus.

7. Londini in Anglia anno 1606, P. Henricus Garnetus, Anglus, operarius in sylvescente vinea illa, per annos 20, tanti nominis: ut passim ab heterodoxis appellaretur

laretur *Magnus Iesuita, & parvus Papa.* Occasione pulverariæ conjurationis contra regem, à quibusdam Catholicis imprudenti zelo institutæ ac detectæ, studiosissimè quæsitus, & captus P. Garnetus: ita rem suam in Senatu egit, ut palàm omnes innocentem faterentur. Damnatus tamen est, quod Secretum in confessione auditum non revelâsset, quòd Sacerdos, quòd Jesuita esset. In mortuali pegmate fidem Catholicam professus, & hæresim detestatus, Catholicos monuit: ut à machinatione omni abstinerent; DEum sua curaturum. Deniq; tam fortiter, tam piè in extremo illo articulo egit, ut diceretur; tantundem sua illa fortitudine rei Catholicæ tunc profuisse; quantum 20 annorum laboribus. Cùm strangulati corpus dissecaretur, sangvinis gutta, quædam in spicam straminis incidens, tam distinctè faciem Garneti expressit: ut illam ars nulla pictorum, quos Pseudo Episcopus adhibuit ad imitandum, assequi potuerit. Salutarem sibi fuisse contactum illius spicæ, testati sunt varij infirmi.

Magnus Iesuita & parvus Papa.

Sigillum Confessionis servatum.

Facies occisi in spica relucens.

8. Murciæ in Hisp. anno 1560, P. Joannes Bapt: Barma, Hispanus, S. Francisci Borgiæ in Theologia Professor, potens apud DEum oratione, quâ & pluviam aridis agris impetravit, & Turcicam classem ab Hispania abegit, ope DEiparæ V. ardenter implorata. Per Quadragesimam licèt quotidie concionaretur, nihil aliud cibi aut potionis, quàm aridum panem & aquam admisit, brevi ac duro somno humi capto.

Concionator in se rigidus.

9. Viennæ in Austria anno 1571, P. Adalbertus Bausech, Bohemus, ab ipso Christo D. in sacra hostia sibi apparente, Societatem ingredi jussus, in eadem insigni animarum zelo, hæreticorum conversionibus, & excellenti doctrinâ Theologica eminuit.

Vocatio in Societatem per Christum Eucharisticum.

IV. MAJI.

1. IN Lusitania anno 1545 Conimbricam venit P. Simon Rodericius, inspecturus numerosum illud Collegium, ejusq; spiritum probaturus. Effusi enim erant juvenes nostri magno, imò nimio, ardore in opera pœnitentialia, & sui contemptum, in oculis civium procurandum. Quæ cùm temperanda essent; contigit P. Simoni idem, quod Sauli incidenti in cuneum prophetarum. Non solùm enim non temperavit, quæ ad sui abnegationem fiebant: sed etiam igni illi alimentum suppeditavit, offerendo varias occasiones, quibus in publico deridendos se præberent. Sub idem tempus fama vulgata fuit ibidem de iis, qui Spiritualibus S. Ignatij Exercitijs excolebantur: quòd nescio quæ visa viderent, & velut siderati incederent. Impulit tandem ea fama Cardinalem Henricum, regis fratrem, & supremum S. Inquisitionis Judicem: ut per hominem fidelissimum (erat is Rector Academiæ ex Ordine S. Hieronymi) de re tota cognosceret, absq; omni nota Societatis. Qui dum imperata facit, & secretò fratres nostros de objectis visis Exercitiorum tempore, interrogat: incidit in juvenem, genere & indole præclarum, Rodericum Menesium; qui de ijsdem interrogatus, respondit: Omninò se visa vidisse, & quidem horrifica. Advocat illicò Rector Notarium, qui relata exciperet. Tum Menesius: Vidi, inquit, in Exercitijs mon-

Mortificatio indiscreta.

Visa in Exercitijs.

Cognitio sui.

ſtrum tetrum, enorme & horribile, *Me ipſum*; cui nihil ſimile unquam vidi. Sic tota fama in fabulam abijt. *Orland. hiſt. Soc. p. 1. lib. 5. n. 52. & ſeqq.*

Humanitas Imper. Iapon. erga Socios.

2. In Japonia anno 1585, P. Gaſpar Coëllius Vice-Provincialis ſingulari humanitate exceptus eſt ab Imperatore Japoniæ Cambacundono, in urbe Ozaca, quam in Sedem regni magnificentiſſimè ædificabat. Libello ſupplici oblato, tria petijt in favorem illius Chriſtianitatis. 1 Licentiam univerſalem publicè prædicandi, & ſuſcipiendi legem Evangelicam. 2. Immunitatem domorum Societatis ab hoſpitio militum. 3. Ne perſonæ, & bona Eccleſiaſtica gravarentur exactionibus. Impetravit facillimè omnia, etiam cum auctario: deinde convivio ſplendido cum Socijs adhibitus, nihil deſiderare potuit amplioris benevolentiæ. *Sacch. p. 5. lib. 5. n. 167. & ſeqq.*

Immunitas Eccleſiaſtica ab ethnico conceſſa.

Eodem die obierunt.

Victima Charitatis. Vocatio ad Societatem. Præſentia divinæ exercitium. Remedium infirmitatis.

3. Gadibus in Hiſp. anno 1571, P. Jacobus de Sotomajor in obſequio peſtiferorum. Granatæ ſtudiis altioribus operam daturus, cùm hoſpitium quæreret; cœlitus delapſa diſerta voce, juſſus eſt, illud non alibi quærere, quàm in Societate: quæ vox iterum ac tertiò allapſa, tergiverſantem fere violentè impulit ad obſequendum. Factus religioſus, in continuo erat exercitio præſentiæ divinæ, acſi in omnibus actionibus ſuis diceret: *Vivit Dominus, in cujus conſpectu ſto.* Si ægra valetudine tentaretur: Roſario DEiparæ V. recitato, ſe convaleſcere, affirmabat.

Cultus B. V. dæmoni exoſus. Spiritus S. ſuper communicantes. Oſculum à DEipara.

4. Valliſoleti in Hiſp. anno 1599, P. Joannes de Caſtillo, DEiparæ V. cultui & amori à teneris tenerrimè addictus. Mira agebant dæmones, ut illum à tali devotione averterent: ſed adfuit cœlitus S Irene Virgo, cum auxilio opportuno. Die Pentecoſtes vidit Spiritum S. de cœlo deſcendentem ſuper noſtros, Divinam Synaxim, è manibus Patris Ludovici de Ponte accipientes. DEiparæ, Chriſtum gremio tenentis, imaginem ſæpe exoſculabatur: & fuit, cùm viciſſim ſibi ab ea videbatur oſculum accepiſſe.

5. Parmæ in Italia heroica morte deceſſit inter obſequia peſtiferi ſtrenuè impenſa P. Venuſtus Roberti, Italus, anno 1630, qui Italiæ admodum luctuoſus Societati autem glorioſus fuit. Nam ibidem Parmæ, ſimili funere deceſſerunt alii duo de viginti, Mantuæ decem, Cremonæ duo, Bononiæ novem, Pineroli tres, Ticini unus, Mediolani novem, Caſtilione unus, Placentiæ 4, in Valle Telina unus, Mutinæ tres, Florentiæ duo, Comi, Monte Regali, & Cunii quatuor, univerſim 68.

V. MAJI.

1. ANno 1602 habita eſt coram Clemente VIII. diſputatio XVII. de Molinæ doctrina. Arguebantur ab Adverſarijs Molina & Caſſianus: quòd neuter illorum velit fateri, Prædeſtinationem merè gratuitam aliquorum eſſe, non omnium. Reſpondit P. Arrubal, tria oſtendendo. 1. Quis fuerit Caſſiani in propoſita quæſtione error: ſcilicet, Quorundam electorum prædeſtinationem (ad Gratiam) fuiſſe merè gratuitam, aliorum non item: ut patet

Prædeſtinatio gratuita.

patet ex ejus cap. 11. & 17. ubi ſtatuit duos ordines prædeſtinatorum. 2. Oſtendit, docere Molinam: Prædeſtinationem omnium eſſe gratuitam, eodem ſenſu, quo id docuerunt S. Auguſt: & S. Thomas. 3. Ex libro Molinæ nullo modo colligi: ipſum non fateri, omnium electorum prædeſtinationem eſſe gratuitam. *Eleuther. hiſt. de Aux: lib. 5. cap. 21.*

2. In Luſitania anno 1555, juſſu Pontificis, rege petente, conſecrati ſunt inviti, duo è Societate, P. Joannes Nunnius in Patriarcham Æthiopiæ, & P. Andreas Oviedus in Epiſcopum Hieropolitanum, cum jure ſuccedendi in Patriarchatum, ſi Nunnius prior obijſſet. Quod evenit. Cæterùm character Epiſcopalis in utroq; non obliteravit amorem & uſum diſciplinæ religioſæ. Perinde ut antè, vivebant more noſtro, etiam ad infima obſequia ultrò ſe ſe demittentes. Cùm Goam in India attigiſſent: Oviedus præcucurrit in Æthiopiam exploraturus animum Claudij Imperatoris. Quem cùm deprehendiſſet alieniſſimum à miſſis per Romanam Sedem Præſulibus: perſtitit ille tamen conſtans in Æthiopia; Nunnius autem paulò pòſt Goæ diem obijt extremum. *Orland. hiſt. Soc p. 1. lib. 15. n. 102. & ſeqq. Soutvell. in Biblioth. ſcript. Soc.*

Patriarcha Æthiopiæ & Epiſcopus è Societate.

3. In Auſtria Viennæ anno 1705 inter palmas & lauros deceſſit pijſſimus & glorioſſimus Imperator, Leopoldus I, in amore Societatis nemini Majorum ſuorum ſecundus. Parentavit illi grata Societas, indictis 15 Sacrificijs à ſingulis Sacerdotibus per orbem univerſum, pro ejus anima celebrandis, præter alia indicta pro vivente, *Ex libro Suffragiorum.*

Leopoldo Imp. parentat Societas.

4. P. Hieronymus Xaverius, magni Xaverij fratre genitus, cum P. Emmanuele Pinierio & fratre Benedicto Göé poſt quintum, quàm Goâ profecti erant, menſem, in urbem Regiam Imperij Mogolis latiorem hac die an. 1595 pervenêre. Akebarus Imp. amantiſſimè illos complexus, quaſi depoſita parumper majeſtate, familiariter adhibuit, ædes ad habitandum conceſſit ampliſſimas, cohortem militum addidit, quæ ipſos contra vim & inſidias Mahometanorum cuſtodiret. Præterea locum ædificando templo attribuit: deniq; poteſtatem initiandi ſacris myſterijs populi fecit: ſeriò profeſſus cum ijſdem acturum ſe de religione, ſimul ac Perſicam, qua tunc aula Mogolis utebatur, linguam utcunq; didiciſſent. Dum tamen Akebarus converſionem procraſtinat, ſumpto incautè veneno obijt, veramq; probavit Auguſtini vocem, docentis hac animadverſione puniri meritò peccatorem, ut qui vivens oblitus eſt DEi, moriens obliviſcatur & ſui. *Juvencius fol. 451.*

Societas in imperio Mogolis.

Eodem die obierunt.

Victimæ 4. fidei in Polonia.

5. In Polonia anno 1642, P. Stanislaus Brunovius, P. Gaſpar Woynicz, P. Chriſtophorus Carnoſtavius, & Joannes Domagalski Coadjutor, Poloni, à Schiſmaticis Ruthenis, odio fidei, in quadam ſylva perempti. Cùm enim Miſſionibus intenti deſudarent in deducendis ad unionem cum Eccleſia Romana Schiſmaticis: iſti coacto ſenaculo decreverunt, Patres ubi ubi poſſent, è medio tollere. Præſtiterunt id per ſubornatos ſicarios, quorum in itinerantes Patres irruentium, audita vox: *Non veſtra quærimus, ſed vos.* Fama eſt conſtans: in loco, ubi occiſi ſunt, lumen cœleſte conſpectum; uti & in templo, in quo conditi ſunt, ampliùs, quàm unius horæ ſpatio.

Victima fidei in Iaponia.

6. Ikizucki in Japonia anno 1592 veneno ſublatus P. Georgius Carvahal, Luſitanus: poſtquam utilem ſtrenuamq; navâſſet operam in inſula Scimo, Firandi, & regno Bungenſi.

Mortificatio utilis, & egregiè tolerata. In tradendis Exercitijs ſpiritualibus dexteritas. Superioribus non tam inopia, quàm metus inopiæ formidandus.

7. Compluti in Hiſp. anno 1557, P. Franciſcus de Villanova, Hiſpanus; ab ipſo S. Ignatio in Societatem admiſſus, & multis laboribus ac mortificationibus egregiè exercitus. Harum cùm moderationem aliquam peterent Patres, repoſuit S. Pater: *Sinite illum, affatim ei eſt virium, ut omnia ſuperet.* Et ſuperavit animo prorſus heroico, evaſitq; in virum, cui multos ſimiles optavit Sanctus Fundator. Admirandæ erat dexteritatis in tradendis Exercitijs ſpiritualibus, Humilitatis in obeundis officijs abjectiſſimis, Prudentiæ in regendo, Fiduciæ erga DEum in rebus arctis; ſolebatq; dicere: Rectoribus non tam inopiam formidandam eſſe, quàm ipſam inopiæ formidinem, quæ ex parva in DEum fiducia naſcitur. Multa & præclara habet de illo Hiſtoria Soc. p. 2. lib. 1. à n. 127.

VI. MAJI.

S. Xaverius Goam in India appellit.

1. ANno 1542 Indiarum Apoſtolus S. Xaverius, poſt multa laborioſa obſequia in itinere præſtita, & ægrorum corporibus curandis, & ſanorum animis excolendis, feliciter attigit Goam, Luſitani Imperij in India metropolim. Exſcenſione facta, de more & ſuo, & Sociorum in Europa, divertit confeſtim ad Noſocomium, inibi tanquam in arce charitatis Chriſtianæ, domicilium ſibi figens. Exin operi Apoſtolico manum priuſquam admoveret, Epiſcopum adijt, ad pedes ejus advolutus diploma Pontificium exhibuit, profeſſus: non aliter ſe velle uti munere Nuncij Apoſtolici, niſi ex ipſius arbitrio & ſententia. Perſtrinxit optimum Præſulem, qui erat Joannes Alburquercius è ſacra Divi Franciſci familia, tam illuſtris & rara humilitas; humoq; attollens Xaverium, inſpexit, reſtituitq; diploma Pontificium, cum liberali promiſſo: ſe quoq; quidquid haberet poteſtatis, libenter collaturum: ut ille tota muneris ſibi commiſſi plenitudine fungi ubivis poſſet. Hanc methodum & Socios, ex Europa venturos, accuratiſſimè obſervare voluit Xaverius: ut nihil aggrederentur, niſi humilibus officijs conciliato ſibi Ordinariorum favore. *Bartoli in Vita lib. 1. n. 25. & 26.*

Nuncij poteſtate uti non vult S. Xaverius abſq; Ordinarij licentia.

Humilitas dominacordium.

2. Anno 1544. Rem Christianam tum egregiè promovebat in Oriente Xaverius, dictus Magnus Pater: quando & Regis Ceilani Filius, factus Christianus, cum multis suis subditis ab ipso parente pro vera religione cæsus numerum Martyrum auxit: cujus mortem placuisse DEo ignea crux in cælo, in terra lucida, nullis Mahumetanorum artibus eradenda, populis illis attonitis cecinerunt. *Brietius hoc anno.*

Filius Regis Ceylani Martyr.

Eodem die obierunt.

3. Manilæ in Philippinis insulis, anno 1639 P. Valerius de Ledesma, Hispanus, orationis studio, & heroica passionum suarum mortificatione insignis. Quamvis enim medicorum judicio naturæ esset igneæ in summo gradu: tamen ita sui compos erat, ut præter vividos quosdam in dicendo spiritus, nullum unquam commoti animi signum prodiderit. Post tres quietis horas surgebat ad aliquot horarum orationem. Laudari aliquando ab ipso Christo meruit: quòd in quadam ardua occasione id fecisset; quod divinæ voluntati magis consonum ducebat. A DEipara V. de salute sua æterna certior factus, audivit: *Fili salvabere* Cùm singularem haberet gustum in illo divino nomine, *Ego sum qui sum:* à DEo ad magnam in se habendam fiduciam excitatus est his vocibus: *Tecum ego sum, qui sum: Tecum.*

Mortificatio cholera.

Somnus brevis

Securitas salutis æternæ.

4. In iisdem insulis anno 1660 P. Franciscus Colin, Hispanus, silentii, orationis, & lacrymarum dono clarus. Potionis Indicæ, quam Cicolatam vocant, usum omnem cùm sibi interdixisset; laudatus eam ob rem est à DEipara V. monitusq;: ut nullis precibus se ad illam adduci pateretur. Perculsus aliquando timore repentino de obtinenda salute æterna, ad orationem confugit, ardentissimè rogans DEum: ut in pignus Prædestinationis suæ, duos primæ notæ, sed obstinatissimos, ethnicos sibi donaret: cum eorum conversionem putaret multis profuturam. Obtinuit. Etenim diluculo, pertinaces illi ultro adfuêre, & magnoperè baptismum petiêre; Patre Francisco in sinum gaudente, tum sua, tum illorum causâ.

Abstinentia à Cicolata laudata à B. V.

Prædestinationis tessera conversio duorum Ethnicorum.

5. Madriti in Hisp. anno 1643, P. Joannes Ludovicus de la Cerda, Hispanus, Humaniorum literarum per ipsos 50 annos assiduus professor. Unde tantam eruditionem, & eruditionis famam collegit: ut Eminentissimus Cardinalis Franciscus Barberrinus, cùm Legatum à latere ageret in Hispania, officiosissimè ipsum inviserit, idq; Patrui sui (ut ajebat) Urbani VIII jussu. Divitias eruditionis suæ effudit in elucidationem variorum Authorum, præsertim Tertulliani, & P. Virgilii Maronis, cujus uberrimi Commentarii tres impleverunt Tomos, in gratiam & usum Professorum Pöeticæ facultatis. *Soutvellus in Bibl. Soc.*

Professor Humanit annorum 50.

Commentariorum in Virgilium Tomi 3.

VII. MAJI.

1. ANno 1578 Gregorius XIII, per Constitutionem incip: *Quanta in vinea Domini &c.* concessit indulgentiam plenariam semel in Anno Ecclesijs Societatis: insuper Facultatem celebrandi Missam unâ horâ ante auroram, & infra horam post meridie, itineris, vel alterius legitimi impedimenti causâ; Facultatem quoq; promovendi ad gradus Philosophiæ & Theologiæ,

Indulgentia plenaria pro Ecclesiis Soc.

Facultas celebrandi ante auroram & post meridiem

Promovendi Auditores philosophia & Theol.

giæ, per Præfectum studiorum, in Collegijs, ubi hujusmodi studia tractantur; concurrendi deniq; cum Universitatum Lectoribus in tradendis Lectionibus: dummodo de manè per unam, & de sero per aliam horas, cum Lectoribus Universitatum, qui id postulaverint, non concurrant. *Bullar. Soc.*

Pietas Christiana.

2. In causa P. Molinæ habita anno 1604 coram Clemente VIII. disputatio XXIX. Quæstio proposita fuit: *In quo differant motivum pietatis Christianæ, & motivum, quòd actus fiant intuitu & contemplatione divinæ bonitatis & justitiæ DEi: cùm ij actus fiant ex timore & amore DEi, etiam super omnia?* Respondit pari subtilitate & soliditate P. Ferdinandus Bastida: Motiva illa omnino differre: nec posse id à quopiam Theologo Catholico negari. Rationem differentiæ posuit in eo: quòd Motivum Pietatis Christianæ ex intrinseca sua ratione moveat voluntatem, ad actum ex objecto formali, & principio effectivo supernaturalem: ideoq; supponit in operante Fidem. Motivum autem alterum non habet hoc ex intrinseca ratione sua; sed secundùm se est indifferens, ut moveat, vel non moveat, voluntatem ex formali objecto & principio excedente vires naturæ. Potest enim ex tali motivo operari & fidelis, & infidelis, cui per discursum naturalem cognita est bonitas & justitia summa DEi. *Eleuth. hist. de Aux. lib. 5. cap. 36.*

S. Borgiæ conversio ad vitã perfectiorem.

3. Anno 1539. hoc die contigit conversio S. Francisci Borgiæ ad vitam perfectiorem, viso Isabellæ Imperatricis cadavere. Quo die Francisca de JESU Gandiæ Sanctimonialium Præfecta, pro nepote suo Francisco orans, vidit ipsum coram Christo cruci affixo prostratum, ac veniam peccatorum suorum petentem; Christum autem Francisco supplici manum porrigentem, auxilium promittentem, ac eum sublevantem. *Nadasi in Indice Memor.*

Eodem die obierunt.

Superior mitis & rigidus.

Cum fœminis sermo brevis.

4 Panormi in Sicilia anno 1586. P. Paulus Achilles, Italus. In gubernando ita mitem, simulq; disciplinæ tenacem se præbuit: ut quendam ad suscipiendam æquo animo pœnam commeritam, per ipsos 30 dies disposuerit: cùm nec parcere vellet, nec lædere. Cum fœminis non nisi brevissimè agebat, etiam in ætate provectiore. In Quadragesima perpetuò abstinebat vespertina refectione. Inter orandum jussit quantocyus Patrem quendam revocari è navi: & navis illa postea in Turcarum manus devenit. Inter sacrificandum visus est pulcherrimum Parvulum manibus gestare. Ab impio quodam vibratus in Patris Pauli pectus gladius, ceræ instar reflexus est. Eadem, qua mortuus est, horâ pluribus visus est gloriosus.

Victima fidei in Philippinis.

5. In Mindanao Philippinarum insula anno 1642, P. Franciscus de Mendoza, à Mahometanis, quos Christo lucrari studebat, trucidatus.

Item in Iaponia.

6. Nangasachi in Japonia anno 1626, P. Joannes Bapt: Baeza, Hispanus, ærumnis carceris, in quem odio fidei, conjectus fuerat, confectus. Prædicatione Evange-

vangelica tam fortis & felix fuit: ut per Macaum, Goam, Mozambicum, & Japoniam intra triennij spatium 75 millia adultorum baptismo lustraverit, præter parvulos innumeros. *Conversio ethnicorum numerosa.*

7. Tolosæ in Gallia anno 1627, P. Joannes Franciscus Suares, Gallus. Vir erat tam eminentis perfectionis, & singularis in orando efficaciæ: ut & spiritualem & temporalem sanitatem multis impetrârit. Ut ad excelsam virtutem conniteretur: statuit sibi vivendum his legibus. 1. Ut Novitius, Novissimus, & abortivus. 2. Ut cadaver mortui. 3. Ut eductus ex inferno. 4. Ut crucifixus cum Christo. 5. Ut infans JEsus in præsepio. Ita vixit: & eam obtinuit perfectionem: ut nulla virtus ei deesse diceretur; nec ullis occupationibus mente abstraheretur à DEo. *Leges 5 studij perfectionis.*

VIII. MAJI.

1. HAc die bis natus est P. Petrus Canisius, magnum nomen in Historia Societatis, & Ecclesia Germaniæ. Prima nativitas contigit anno 1521, qua natus est in mundum Neomagi in Belgio: altera anno 1543, qua primus è Germanis, natus est Societati, admissus ipso apparitioni Archangeli Michaëlis sacro die, quo tertium & 20. auspicabatur ætatis annum. Habuit Canisius materteram eximiè piam: quæ cùm adverteret adolescentem fluctuantem in deligendo vitæ statu, divino afflatu, antequam cognita ipsi esset Societas, sic vaticinata est. *Tu, fili, cooptaberis in novum quendam Sacerdotum Ordinem, quem in Ecclesia sua, multorum in salutem parat DEus. Eos ego per visum vidi, & te ad eos adjungi. Graves erunt, viri docti, modesti, DEo pleni, & animarum caritate præditi.* Accepta dein famâ de P. Petri Fabri in Germania laborantis, sanctitate; Moguntiam, ubi is versabatur, se contulit Canisius: ut virum agnosceret & observaret. Vidit; & gaudia sua non capiens sic scripsit ad amicum. *Secundis ventis Moguntiam veni. Virum quem quæsivi, si tamen vir est, & non potiùs Angelus Domini, meo magno bono reperi: quo nec vidi, nec audivi doctiorem, profundioremq; Theologum, aut tam illustris eximiæq; virtutis hominem.* Facilè igitur se Fabro, sic æstimato, tradidit Exercitijs S. P. excolendum, & Societati adjungendum. *Orland. hist. Soc. p. 1. lib. 4. n. 34.* *Canisii natalis duplex.* *P. Petrus Faber quantus.*

2. Romæ anno 1590 Claudius Aquaviva Præpositus Generalis dedit Epistolam V. ad Patres & FF. Societatis; de *Orationis & Pœnitentiarum externarum usu in Societate*, juxta Institutum nostrum. Orta enim erant, & invalescebant dissidia inter ipsos Præpositi Assistentes, aliis in diuturniorem orationem & Contemplationem inducendam in Societatem propensis; alijs majorem pœnitentiarum seu Mortificationum externarum rigorem optantibus. Docet ergo Claudius in priore parte Epistolæ, non solùm Orationem *Epistola P. Claudij de Orat. & Pœnit.*

externam & Meditationem, ſed etiam Contemplationem Societati convenire. In poſteriore refutat errorem eorum, qui ex eo, quod S. Ignatius nullas externas mortificationes Societati deſignaverit; inferunt: ſufficere Noſtris ſolam internam paſſionum mortificationem. *Habetur ea Epiſtola inter cæteras Generalium impreſſas.*

Eodem die obierunt.

Victima charitatis.

3. Panormi in Sicilia anno 1576, Joannes Antonius Oliverius, Coadjutor, inſignis victima heroicæ charitatis, peſtiferis impenſæ. Præmiſit filios duos in Societatem, quibus ne deterior eſſet, ſecutus eſt.

Moriendi deſiderium.

4. Madriti in Hiſp. anno 1577, Dominicus Fernandez, Coadjutor, famulus olim P. Petri Maurique. Cùm hunc vidiſſet Compluti religioſiſſimè decedentem ex hac vita; petiit ardenter: ut ubi veniſſet in conſpectum DEi, meminiſſet ſui Dominici, in ſæculo famuli fidelis, in religione adjutoris impigri. Recepit P. Petrus ſe facturum. Abierunt aliquot menſes; & Dominicus Sanus aliàs ac vegetus, mœrore conficiebatur, quòd prolongatus eſſet ejus in hac vita incolatus. Cauſam mœroris petenti P. Procuratori, cui datus fuerat ſocius, reſpondit: Jam aliquot abiiſſe menſes, & P. Petrum Maurique, ſuum in ſæculo Dominum, in religione Patrem, non ſtare promiſſis. Dixerat: ſubitâq; febri correptus, & Sacramentis munitus factus eſt voti & promiſſi compos.

Miſſionarius inſignis & perpetuus.

5. Hiſpali in Hiſp. anno 1606, P. Jacobus de Guzman, regio ſangvine clarus, ſed clarior Apoſtolicis virtutibus. Ante initam Societatem, ſtatim ac ſacerdotio initiatus eſt, nullo admiſſo beneficio Eccleſiaſtico, vel dignitate, Apoſtolicum Spiritum & laborem per varias Hiſpaniæ regiones diffudit, Catecheſim tradendo, & Sacramenta miniſtrando. Societatem ingreſſus, idem inſtitutum per omnem vitam tenuit, uſq; ad annum ætatis 83, in Italia Romæ & per totam viciniam, in regno Neapolitano, Ducatu Hetruriæ, Marchia Anconitana, Inſula Corcyra, & in Hiſpaniæ plurimis diœceſibus. Semper, ad decrepitam ætatem iter pedibus agebat, incredibili cum animarum fructu. Effigiem viri tanti, omnium opinione Sancti, cùm magnates quidam pingi curâſſent, eamq; P. Jacobo exhiberent: turbatus primùm, mox repoſuit: *Laudetur JEſus. Ego etiam Judam depictum vidi. Bene eſt, quod tam genuinè expreſſum ejus vultum obtinueritis.* Morti vicinus, cum jubilo & plauſu exclamavit: *Venio Domine, venio! Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi: in domum Domini ibimus!*

Effigies propria joco traducta. — *Mors jucunda.*

IX. MAJI.

P. Nickel petit Vicarium Generalem.

1. Congregatio Generalis XI, indicta à Præpoſito Generali P. Goſwino Nickel in diem 8. Maji, inchoata eſt hoc die an. 1661, elapſo Novennio, ab abſoluta Decimâ. Actum eſt in ea inprimis de Electione Vicarij. Cùm enim A. R. P. Generalis oſtendiſſet Congregationi: ſe ob ſenij gravitatem, & corporis impedimenta, non poſſe ampliùs tot ac tantis officij ſui laboribus parem eſſe; & eo animi vigore, quo oporteret Societatis gubernationem

nem administrare; ideoq; ultro rogaret, ut Vicarius sibi daretur, vel ad tempus, vel perpetuus, & cum jure; vel sine jure successionis; prout ipsi Congregationi videretur expedire: Congregatio obsequendum duxit voluntati charissimi, optimèq; meriti Parentis sui. Constitutum igitur biduum ad deliberationem de potestate eligendi Vicarij: an eligendus sit cum jure successionis, & cum universali ac libero exercitio potestatis. *Decret, 1. ejusdem Congreg.*

2. Pro Congregatione I. Generali anno 1558, ex Lusitania hoc die adfuerunt, P. Michaël Turrianus Lusitaniæ Præpositus Provincialis, cum 4 Socijs: veneruntq; tantò gratiores, quantò minùs expectati. Turrianus enim cùm Confessarius esset Reginæ Christinæ, non credebatur ab ea dimittendus. Sed difficultatem omnem pervicit studium illius erga commune bonum Ordinis. *Sacchin. p. 2. hist. Soc. lib. 2. n. 5.* *Studium boni communis.*

3. Potami in Calabria Votum suum exsolvit S. Xaverio Dominicus de Lia, ob sanitatem miraculo sibi restitutam. Cùm enim solidis 4 diebus tantis confixus esset doloribus, ut in furorem propemodum raperetur: occurrerunt menti, quæ circumferebantur de multitudine gratiarum, quas DEus Potami passim conferret per Sanctum prædictum. Vovit ergo, non facem vel simile quidpiam, ut multi, sed se per Confessionem conscientiam expiaturum. Auditus est, & sequenti manè integræ sanitati restitutus. *Ex libello Miraculorum Potamiensium pag. 11.* *Miraculum S. Xaverij.*

Eodem die obierunt.

4. Antissiodori in Gallia anno 1631, P. Adrianus Chessoy, Gallus: vir sancta simplicitate, rigida paupertate, ac singulari SS. Angelorum cultu adeò clarus; ut *Pater de Angelis* diceretur. Quidquid in laudem SS. Angelorum reperire poterat, legebat, notabat, narrabat: nec ulla recreationis hora ei elabebatur, quin de illis aliquid in medium afferret. Habuit vicissim illos, præsertim Custodem, sibi familiarissimos; sacris operaturum stipabant passim duo, cùm è cubiculo ad altare procederet, nec recedebant, nisi sacrificio paracto. Ipsum quoq; Angelorem Regem, se illi amanter spectandum præbuisse ferunt. *Angelorum cultus.* *Angelorum assistentia in sacrificio.*

5. Cadomi in Gallia anno 1655, P. Gabriel Potier, à religiosa observantia, modestia, & sui resignatione in Superiorem omnem dispositionem laudatus. Dedit hujus insigne specimen, quando per errorem illi oblata est trium votorum tantùm professio. Facile apparebat illi error, quem nominis affinitas cum alio quopiam causaverat: dissimulanter tamen modesteq; tacuit, atq; formulam Coadjutorum spiritualium recitavit. Sed errore postea detecto, altero tanto illustriorem edidit 4 Votorum professionem. *Error notabilis in Professione dissimulatus.*

X. MAJI.

1. ANno 1546, S. Xaverius ex Amboino, regione Molucensi, epistolam dedit ad Socios Goanos, quâ significat, se profecturum in aliam regionem, quæ Maurus dicitur, ferasq; alebat gentes, inter Christianos non paucos. Itaq;, inquit, perspicua mortis pericula subire certum est: spem enim omnem in Divina Providentia sitam habeo, & cupio obtemperare illi Evangelicæ voci: *Qui voluerit animam suam salvam facere, perdet eam; qui autem perdiderit propter me, inveniet eam.* Ac mihi credite, Fratres Charissimi, etsi hujus sententiæ verba generatim facilia sint ad intelligendum; tamen ubi tempus incidit, cùm statuere oportet, tibi pro DEo vitam amittendam esse, & mortis discrimen adeundum: usq; eò eadem sententia, etsi clarissima sit, obscura fieri solet; ut is modò eam intelligat, cui pro sua benignitate declaravit DEus. Enimverò istiusmodi temporibus apparet, quàm imbecilla infirmaq; sit natura humana. Dominus nos pro sua immensa misericordia, talibus in rebus ac temporibus ita sua vi confirmet ac roboret: ut fortiter & subeamus omnia, & perferamus. *Epist. veterum lib.1. ep.15.*

Resolutio ad mortem oppetendam ardua

2. In Germania Ferdinandus II. Imperator Religiosissimus, ut eximium erga Societatem affectum suum faceret immortalem: Successoribus suis illam obnixè commendare voluit voluntate suprema, verbisque gravissimis, in Testamenti sui Codicillo, conditi Viennæ anno 1621. Præ omnibus, inquit, seriò & summoperè, cum fervore & zelo, commendamus nostris Successoribus plurimùm Venerandam Societatem JESU, ejusq; Patres, considerando; quantum Ecclesiæ Catholicæ, non solùm in his nostris Austriacis regnis & provincijs prosint; quantoq; studio, fervore & fidelitate, pro conservanda, & plantanda ubiq; terrarum Religione Catholica, præ cæteris omnibus laborent; & quòd econtrà huic perverso & ingrato mundo magis sint odiosi, majoresq; persecutiones patiantur, quàm quivis alii; & hinc etiam majore præsidio & protectione indigent, atq; merentur. Quod certè à nostris hæredibus & Successoribus factum iri confidimus. Et hæc est nostra inviolabilis voluntas. In cujus fidem similiter hunc Codicillum propria manu subscripsimus, & nostro sigillo munivimus. *Antonius Quintanadvenas Tom: 1. singular. in Append. Tract. 7.*

Commendatio eximia Societatis à Ferdinando II. Imp.

3. Anno 1616 à S. Congregatione Indicis prohibitus est Liber, cui titulus: *Monita privata Societatis JESU.* Nadasi in Indice Memor.

Monita privata.

4. Hoc die anno 1606 Nostri Venetijs excesserunt Ferrariam, exilio mulctati, quod Pontificijs mandatis paruerint, volentis interdictum servari

in

in excommunicatione Venetorum, ex alijs Collegijs alijs diebus excesserunt, item ex insula Creta. Nec revocati nostri ad statum Venetum, nisi post annum unum & 50. sub Alexandro VII. anno 1657.

Eodem die obierunt.

5. Apud Quitenses in India Occidentali anno 1649 P. Bartholomæus Polus, Hispanus, admirandis in Evangelij prædicatione perfunctus laboribus. Tota illi vita ærumnæ fuerunt, pericula, Evangelium & dolores: quibus quamvis ab ineunte ætate acriter exerceretur; impediri tamen non poterat à quærendis indefessè animarum lucris. *Missionarius actione & patientiâ clarus.*

6. In Nova Francia anno 1652, P. Jacobus Buteux, Gallus, Apostolico zelo clarus: quo in mille pericula agebatur, non solùm non metuens, sed ridens omnem Hiroquæorum feritatem, & carnificinam; modò Articomegorum populo, quem Christo lucrifecerat, prodesset. *Securitas in periculis.*

7. In Sinis anno 1657, P. Stephanus Faber, Gallus, inter majora Indici Apostolatûs lumina censendus. In itinere Indico tam eminentis virtutis edidit specimina, ut alter Xaverius diceretur. Cùm in Japoniam penetrare non posset, ad Sinenses divertit, apud quos tam avidè audiebatur: ut arbores conscenderentur ad eum videndum & audiendum. Missionum difficillimas sibi deposcebat; flumina, ut erat vestitus, pedibus transmittebat in pontium defectu, nec siccatis vestibus iter prosequebatur. Majorem noctis partem orando ducebat tanto ardore, tamq; accurata corporis compositione: ut observatus à quodam principe Tartaro, Imperatoris consangvineo, eundem permoverit ad fidem amplectendam, qui antè nullis rationibus expugnari poterat. Rogatus, ut modum poneret sævitiæ in corpus suum, respondit: *Cuilibet notum esse debere, quantum ferre posset jumentum suum.* *S. Xaverius Æmulus. Oratio nocturna efficax. Mortificationis rigor.*

XI. MAJI.

1. EXacto biduo, in Congregatione Generali XI. constituto ad deliberandum; an cum jure successionis, & usu plenæ potestatis eligendus esset Vicarius Generalis, desideratus à R. P. Goswino Nickel Præposito Generali: in eam sententiam iverunt ferè omnes, ut eligeretur cum jure Successionis, & cum universali ac libero exercitio potestatis. Quod ut ritè fieret, decretum est: ut à Summo Pontifice, Alexandro VII, nomine Congregationis & Patris Generalis, peteretur Apostolica benedictio, & facultas, quatenus opus esset. Quæ perlibenter concessa sunt, lectumq; Breve Pontificium in Congregatione. *Congr. XI. decr. 2. 4. & 6.* *P. Goswino Nickel datur Vicarius Generalis.*

2. Anno 1647 P. Vincentius Caraffa literis ad Provinciales datis, significavit: Decretum 24. & 27. Congregationis VII, de pileo Clericali à Coadjutoribus temporalibus non gestando, à Cardinalibus jussu Pontificio congregatis, expensum, & tam ab ipsis, quàm à Pontifice approbatum esse, *Nadasi in Ind. Memor.* *Pileus clericalis abrogatus FF. Coad.*

Eodem die obierunt.

Primus apud Sinas domicilium figit P. Ruggerius.

3. Salerni in Italia anno 1607, P. Michaël Ruggerius, Italus: qui primus Evangelicorum præconum, magnâ industriâ penetravit in Sinas, & stabile ibi fixit domicilium, insigni morum comitate prudentiâ, & longanimitate, Magistratuum Sinensium aucupatus favorem. Inde in Europam remeavit difficillima navigatione: ut Sinensem Missionem Sedis Apostolicæ authoritate ac operâ promoveret, firmaretque. Verùm placuit Providentiæ divinæ strenuum operarium in Europa evocare ad stipendia, Atlanti suffecto Hercule, qui sequitur.

Sinensis Ecclesiæ P. Riccius maximus promotor.

4. Pequini apud Sinas anno 1610, P. Matthæus Riccius, Italus: qui Missionem Sinensem auspicatus cum P. Ruggerio, eandem admirandâ prudentiâ, solertiâ, fortitudine ac felicitate promovit, solidâq; vitæ sanctimoniâ, & rerum Mathematicarum peritiâ doctrinâq; stabilivit. Afflictis aliquandò rebus, & famâ vitâq; ejus periclitante, supplex recurrit ad DEiparam V. ut provideret. Providit illa. Nam postridie tres viri graves, testificatione rite deposita, fecerunt: ut absolveretur crimine falsi, & è custodia liberaretur, non sine encomio. Plura de illo sparsim hic dantur. Post mortem non semel P. Julio Mancinello, notæ Sanctitatis viro, gloriosus apparuit; meritò celebrandus ut Sinarum vel Apostolus, vel Doctor, Mandarinorum honore apud illos donatus.

Calumnia ope B. V. dissipata

Missionarius incorruptus.

5. In regno Peruano anno 1609, P. Ildephonsus de Miranda, Hispanus, indefessus illius vineæ per annos 40 cultor, pauperum amore, & liberali erga ipsos studio clarus, Virtuti ejus non vulgari testimonium luculentum dedit defuncti cadaver per menses 16 sepultum, & viva calce obrutum, sed prorsus incorruptum.

6. Ulyssipone in Lusitania anno 1644, Dominicus de Cunha, Coadjutor, Lusitanus. Pietate & pingendi arte insignis, nihil felicius quàm perfectum Religiosum in se ipso expressit. Dœmonum graves infestationes perpessus, tandem cœlestibus solatijs omnino diffluere visus est, ac divina pati. Obedientiam semper sibi charissimam, studiosissimè colere cœpit: postquam è manibus Patris Provincialis Sacram Communionem sumens, vidit faciem ipsius simillimam vultui Christi, qui se ei non semel spectandum præbuerat. Tunc enim in superioribus suspicere Christum, perfectiùs didicit.

7. In diem hunc Anno 1716 in Neapolitana domo Professorum, incidit felix ad meliorem vitam transitus P. Francisci de Hieronymo. Ad obeundas in Regno Neapolitano Missiones destinatus à superioribus, cùm Indias necquicquam antea flagitasset, sic versatus est in hoc laborioso Missionum campo per annos 41 inter incredibiles ærumnas, contradictiones, & pericula, quæ invicta fortitudine & constantiâ superavit, ut messem copiosam animarum, & Divinæ gloriæ, nec minorem palmarum, ac meritorum collegerit. Egregias ejus virtutes, ac præsertim sui, rerumq; humanarum contemptum; amorem DEI & proximorum, coronarunt insignia Numinis munera, donum prophetiæ, discretio spirituum, interior notitia, ac velut aspectus animorum, crebritas & magnitudo miraculorum, in quibus mortui plures ad vitam revocati numerantur. Privata nostrorum & publica populi voce, admiratione, ac veneratione vir Apostolicus, ac verè Sanctus semper est habitus. Laboribus demum confectus & voluntariis, quibus sese discruciabat, & illibatum Virginitatis florem

rem servavit, pœnis; mortem à se non semel prædictam obiit anno ætatis 74 ab inita Societate 46. Mortuum secuta sunt, quæ vivum ubiq; comitabantur miracula; Claudi, Muti, variis membris capti, ejus nomine invocato, aut contacto corpore, sanitatem sunt consecuti. Hæc prodigia & Beneficia, non solùm toto Regno Neapolitano, verùm etiam transmissis longè in Germaniam illius reliquiis diffusa latè sunt, & propagata.

XII. MAJI.

1. ANno 1590 P. Claudius Aquaviva Præpositus Generalis dedit epistolam ad Provinciales Societatis, *de Jubilæo & Missionibus.* Quâ hortatur, ut concessum à Summo Pontifice Jubilæum, curent à Socijs absolvi singulari pietate; ut ipsi quodammodo compensent, quod non præstant homines sæculares ad avertendam iram & pœnas Divinas. Deinde vult, ut in eundem finem instituantur, in singulis provincijs Missiones à 12, vel saltem 6 Missionarijs, qui cum bona Loci Ordinariorum venia, concitent populum ad pœnitentiam, sparsi per totam provinciam bini & bini &c. *Habetur inter Epistolas Generalium.*

Missionarij Soc. tempore Jubilæi.

2. Alteram dedit idem Epistolam hoc die ad Provinciales, *de Modo instituendarum Missionum,* anno 1599; qua ordinat inprimis: ut quotannis Missionem aliquam obeant singuli Sacerdotes, exceptis ijs, qui vel infirmitate, vel alia justa ratione impedientur. Primi autem in hoc genere debent esse Professi, ad quos vel maximè spectat hoc Exercitium. Mittendi sunt bini & bini, & quo ad fieri poterit, pedibus iter faciant. Qui propter ætatem, valetudinem, vel alias occupationes obire non poterunt Missiones longiores: non idcirco prætermitti debet, quin breves saltem suscipiant paucorum dierum, & in locis propinquioribus, juxta vires & facultates uniuscujusq;. Victus Missionariorum prædictorum sit ex Eleemosynis oblatis, vel impetratis &c. *Habetur ibidem.*

Sacerdotes omnes quotannis aliqua Missione fungantur.

3. Potami in Calabria hoc die vota sua persolverunt S. Xaverio, inprimis parentes pro reddita sanitate filiolo; deinde uxor pro marito à supremo morbo liberato. Utraq; gratiam juramento firmârunt. *Ex libello Miracul. Potamien. 111. & 112.*

S. Xaverius duobus reddit Sanitatem.

Eodem die obierunt.

4. Moguntiæ in Germania anno 1607, P. Conradus Onneking, Germanus, animarum convertendarum zelo, ac DEiparæ V. cultu celebris. Conciones suas submissis genibus scribebat. Rogatus aliquando, cur tanta contentione desudaret, non data corpori necessaria quiete? respondit: *Et quorsum tandem ad Societatem veni?* Et iterum: *O Eus bone, quanti est, vel unicam animam lucrifacere, & inferno eripere?*

Conciones flectendo scripta.

Laborandum in Societate.

5. Mussiponti in Lotharingia anno 1631, Mathias le Coussi, Lotharingus Coadjutor

Sors super Mathiam iterum cecidit. adjutor mirabili sorte ad Societatem vocatus. Famulus cùm esset Trevirensis Collegii, jussus est comitari quendam, ad tyrocinium Societatis proficiscentem, qui P. Provinciali Franciæ commendabatur à Rectore Collegii, sed non apposito nomine hominis in literis. Per iter candidatum illum pœnituit propositi, tradiditq; literas Mathiæ, deferendas ad Præpositum Provincialem: ipse aliò iter flexit. Ita cecidit felix sors & super hunc Mathiam. Provincialis enim acceptas literas ratus de ipso loqui, eum benignè accepit, rogavitq; : num ad DEi gloriam cuperet in Societate vivere? Mirantem, & annuentem, nec satis capientem sortis suæ, nunquam cogitatæ, felicitatem, adoptavit in Coadjutorum temporalium numerum. Bene usus est sorte sua Mathias, semperq; dignè vocatione sua ambulavit. Solemne illi fuit, obtestari Socios Coadjutores, ut Patres & Scholasticos honorarent. Vitâ functus, visus est cœlesti luce circumfusus, & auditus dicere: *Bene secum agi.*

XIII. MAJI.

Gregorij XIII electio in summum Pontificē I. AUspicatissimus illuxit hic dies Ecclesiæ Christi, & minimæ ejus Societati. Post beatum enim Pij V. obitum, anno 1572, altero die à conclavis ingressu, qui erat 13. Maji, à quinquaginta duobus Cardinalibus, uno omniū consensu, electus est in Pontificem Max. Hugo Boncompagnus, Bononiensis, anno ætatis 70, Juris scientiâ & professione clarissimus, administratisq; cum laude variis magistratibus & Legationibus conspicuus, dictus Gregorius XIII: qui se erga Societatem tam benevolum, beneficumq; constanter exhibuit; ut nec quid majus ab illo concedi, nec à Societate optari potuerit. *Beneficentia ejus erga Societatem.* Cùm quidam parum benevoli coram SS. Pontifice indignarentur; à Societate tanta bona, Ecclesias, & Monasteria possideri; respondit Ille: perpauca esse; optare se, ut longè plura & ampliora essent, quò plures vineæ Domini cultores strenui & utiles alerentur. *Histor. Soc: p. 3. lib. 8. num. 20. De electione Spondanus ad annum 1572.*

Eodem die obierunt.

2. Berlangæ in Hispania anno 1578, P. Rodericus Hurtadus, heroicâ patientiâ & orandi studio maximè insignis: quo id videbatur consecutus, ut omnia posset. *Orationis studium & fructus.* Orantem reperit aliquando Trojanus Episcopus, in aëre sublimem eo situ, acsi in lectulo jaceret. In Sacrificio Missæ sæpe patiebatur divina, sui minimè compos. *Dæmon monialem induit.* Dæmones habuit sibi infestissimos. Fuit, quando conclave suum ingressus, reperit ibi monialem eleganter comptam, & blandissimis verbis se compellantem. Advertit, quod erat: & præcipiti fugâ ad tabernaculum Eucharisticum se recepit.

3. Lovanii in Belgio anno 1610, Joannes Thenensis, Coadjutor, Belga. *Excitator accuratus.* Per ipsos 30 annos Excitatoris munere, perdiligenter functus; absq; ullo excitante instrumento, quamvis ad somnum pronior esset, expergiscebatur. Quod beneficium Angelo Custodi in acceptis referebat, cui se ante somnum diligenter commendabat. In morbo gravi & diuturno insignem prodidit animi fortitudinem, quando ferro & *Pati suave.* igni sæpius in c o grassabatur chirurgus, Interim enim precatorios volvebat globulos

bulos & subinde auditus est dicere: *Nunc demum scio, quàm suave sit pati.*

4. Hispali in Hisp. anno 1649 Gregorius de Arrogo, Coadjutor. Postquam annos 44 in corroganda pro Hispalensi domo Professa eleemosynâ insumpsit, occubuit in obsequio pestiferorum, duplicis charitatis laureâ donatus. *Victima charitatis.*

XIV. MAJI.

1. ANno 1544, dedit S. Xaverius Tutucurino epistolam ad P. Mansillam, qua monet: ut patienter ferat & mores & errores illius gentis, nec frangatur mole occurrentium negotiorum. Etiam atq; etiam, inquit, oro te: ne stomacheris miseræ isti genti, quocunq; illa vel errore, vel lapsu, bilem irritet tuam. Scio esse molestissimam interpellationem avocantium à negotio, in quo totus sis, ad sua, quæ unicè spectant, commoda. Sed & istas importunitates concoque, sereno perstans animo, & occupationibus se undiq; oggerentibus te placidè commodans. DEo Domino nostro multas gratias debes, & referas, censeo: quòd te ibi posuit; ubi, ne volenti quidem, otioso esse liceat. *Epist. novarum lib. 1. epist. 7.* *Importunus hominum accursus tolerandus operarijs Evang.*

2. In Gallia anno 1610 funestissimo casu sublatus est Henricus IV. rex, Magni nomine meritò honoratus, beneficentiâ erga Societatem æternùm memorandus. A sicario mentis impote, cultro percussus in rheda, cùm per urbem Parisiensem veheretur, maximo Galliæ & Societatis luctu, confestim decessit. Ex decreto jam ante edito, quo contestari voluit suum in Societatem cordatum animum, Cor optimi regis Flexiam in Andibus delatum est, & in templo Collegij ab ipso regiè fundati, tumulatum. *Spondan. ad annum 1610. n. 3.* *Henricus IV. rex Gall. cor suum deponi voluit in templo Societatis.*

3. Potami in Calabria anno 1652 juratum testimonium deposuit, & promissum Sacrificium fieri curavit, voti reus Laurentius Manna: quòd à lethali paroxysmo febris cum pleuritide, per S. Xaverium fuerit liberatus, & statim à voto concepto, integræ sanitati restitutus. *Ex libello Miracul. Potamien: pag. 14. n. 19.* Alij quoq; duo jurati professi sunt eodé die, sanitatem miraculo sibi restitutam ab eodem Divo Apostolo, *Ibid. pag. 15. & 16.* *S. Xaverius curat lethaliter infirmos.*

Eodem die obierunt.

4. Ulyssipone in Lusitania anno 1563, P. Gonsalvus Vaz de Mello, Lusitanus, eloquentiâ sacrâ præstans, & efficax, præsertim ad impellendos Auditores in claustra religiosa. Præter alios religiosos Ordines, ad Societatem impulit triginta duos, spatio dierum triginta. Missionem quandam cùm obiret, precesq; ad DEiparam V. funderet: meruit: eandem habere itineris comitem. Vidit eam & Socius, æquis passibus in sublimi procedentem cum P. Gonsalvo. *Concionator efficax.* *B. V. itineris comes.*

5. Hispali in Hisp. anno 1578, P. Joannes Altobodus, ex Mauris oriundus Granatæ.

Operarius strenuus. natæ. Totus incubuit, Apostolico planè zelo, in conversionem gentis suæ, spretis omnibus periculis, & adhibitis omnibus sibi possibilibus mediis, admirandâ efficaciâ. Illius instructioni passim committebant Magistratus plectendos reos, Parochi pueros & rudes, Tribunal S. Inquisitionis obstinatissimos apostatas, hæreticos, & infideles. Quàmvis verò ipse intrepidus caput suum objiceret quibusvis periculis: DEo incolumitas ejus curæ fuit. Eductus aliquando media nocte è Collegio, à Mauris in ejus necem conjuratis, tanquam ad juvandum moribundum; cùm pervenisset ad locum secretum, ejus neci destinatum: subitò à consternatis divinitus, & diffugientibus Mauris relictus est. *Providentia divina.* Dum ergo Collegium repetit, audit ex obscura valle gemitus hominis moribundi. Accurrit; Maurum reperit in agone positum, pœnitentiam persuadet, & mox ad cœlum transmittit expiatum. Maurus alter, reprehensus à Patre ob fœda colloquia narium mutilationem ei minatus est, ni facesseret. Sed sequenti die coortâ rixâ, naribus propriis est truncatus. *Tanner. in Soc: Apost. Imit.*

6. Tolosæ in Gallia anno 1636, P. Joannes Arnoux, seu Arnulphus, Gallus, Ludovici XIII Ecclesiastes & Confessarius religiosissimus. Testatus de illo est Cardinalis Ubaldinus, coram P. Aloysio Albritio: se, cùm in Gallia Nuncii Apostolici officio fungeretur, neminem novisse; cui plus isthic deberet Ecclesia, Parisiis, Gratianopoli, & Tolosæ quàm P. Arnulpho. Pro Societate quoq; multa præclarè ab illo perfecta, sive cum Domiciliis, sive cùm Provinciæ præesset.

XV. MAJI.

Carthusiani PP. Societatem ad merita sua admittunt.

I. ANno 1544 Venerabilis PP. Carthusianorum Ordo, datis ad S. P. Ignatium literis, Societatem impensè extollit, eiq; meritorum suorum omnium participationem concedit: ut Societas tantò efficaciùs procedat in promovenda DEi gloria & animarum salute. Literas recitat Orlandinus *p. 1. Hist. Soc: lib. 4. n. 107.*

Paulus V. creatur Pontifex Max.

2. Anno 1605 Paulus V, antea Camillus Burghesius, creatus est Pontifex Summus: quem rerum agendarum magnus usus, zelus honoris DEi, & Ecclesiasticæ libertatis, singularis morum comitas & integritas cum insigni in omnes beneficentia egregiè commendabant. Opportunissimus accidit idem litigantibus de Auxilijs Gratiæ: cujus causæ & plenam habuit cognitionem, utpote qui Concertationibus sub Clemente VIII. habitis plerumq; interfuerat; & acri pollebat judicio, atq; inflexibili æquitate animi; adeò, ut pro hac finienda lite, vocatus ad tantæ dignitatis apicem divinitus videretur. *Opportunus disputantibus.* Tria præstitit in hac causa pro parte Societatis 1. Quod non præcipitârit decretoriam sententiam, prout adversarij optabant & urgebant: sed non paucis adhuc concertationibus locum dederit. 2. Quod Prædeterminationes physicas in Examen adduxerit. *De Auxilijs gratiæ.* Quod finem altercationibus tandem imposuerit, permissa Molinæ & libro ejus, omni indemnitate. Prodidit & multis aliis argumentis propensissimum in Societatem affectum Pontifex

tifex Optimus. *Spondanus ad annum 1605. Eleuther. hist. de Aux. l. 6. c. 1.*

Eodem die obierunt.

3. In Æthiopia anno 1597, P. Franciscus Lupius, Lusitanus, Patris Andreæ Ovie- di, Æthiopiæ Patriarchæ, socius & laborum consors per ipsos 29 annos. Lupij virtu- tem primis quibusq; heroibus æquari posse, concors erat sententia Catholicorum: Corpus ad laceram tantùm pellem & ossa redegerat per inediam & verbera perpetua. Omnia, quæ habuit, dedit pauperibus, etiam pallium, exemplo S. Martini discissum Et quia isthic indecorum non est, sine tunica superiore, internâ tantùm subuculâ uti, tunicam quoq; divisit in plures. Lectus illi nudum solum erat: nam & saccum, ad eum usum sibi datum, ægro humi cubanti, donavit. Sed DEus tam nudè pauperem, non semel inter orandum & sacrificandum, cælesti luce vestivit, & solis instar splendere fecit. Mortem post biennium à se oppetendam; & post annum à morte sua, adfuturum alium, qui in illis terris sacra ministraret, ex vero prædixit.

Mortificatio rigida.

S. Martini exemplum renovatum.

Paupertas honorata.

4. Augustæ in Germania anno 1623 P. Gregorius Rosessius, Germanus, P. Petri Canisij in Cathedra Viennensi successor, & in concionandi virtute suppar. Pleraq; Societatis domicilia per Germaniam nascentia, singulari sua industriâ juvit: Romam quinquies à Provincia sua missus. Hæreticorum manubijs gloriosus, cùm ad metam pervenisset, in extremi morbi doloribus orandi studium pro antidoto habuit, illa identidem ingeminans verba: *Da Domine patientiam, & auge dolorem.*

Patientiæ & dolorum avidus.

5. In Collegio Pacis Provinciæ Peruanæ anno 1614 P. Gabriel de Baeza, Hispanus, laboribus Indicis per ipsos 42 annos maximo fructu exantlatis, clarus. Oratio ejus ita ardebat: ut subinde pannis frigida madidis pectus refrigerari debuerit. Perpetuo cilicio, & cruce aculeis ferreis aspera, virginitatem suam armabat. Non rarò illi DEus cordiū secreta aperiebat. Exequias ejus omnes Ordines religiosorum celebrârunt: mendici celebrato senaculo constituerunt; Benefactori suo eximio gratitudinem testari novemdialibus sacrificijs, communi ære procuratis

Oratio ardens.

Exequiæ à mendicis procuratæ

6. Horodeci in Litvania anno 1657 P. Simon Masson, Litvanus. Societatem quàm ardenter expetijt, tam liberaliter juvit opulento patrimonio suo. In Missione Horodecensi, quam Apostolico spiritu obibat, à Schismaticis & hæreticis Cosacis comprehensus, clavis ferreis per coxendices adactis, tabulæ affigitur, affixo nervi ex collo extrahuntur, corpus crudeliter flagris conciditur, demum caput amputatur. *Ex Annuis.*

XVI. MAJI.

1. ANno 1650 RR. PP. Carmelitæ Discalceati, in Conventu Generali Romæ celebrato, egregium dederunt testimonium suæ erga Societatem benevolentiæ: quando communi decreto damnârunt plagij & malæ fidei authorem, qui in quadam editione vitæ S. Theresiæ V. omisit omnia, quæ ab ipsa dicta vel scripta sunt in commendationem Societatis. Accepimus, inquiunt, scripta S. Matris nostræ Theresiæ edita esse truncata, quo ad illa omnia, quæ spectant Societatem JEsu, ita ut cùm & in manuscriptis Codicibus plerisq;, & in plerisq; Exemplaribus pridem editis, ac in ipsomet S. Matris

Carmelitarum Discalc. decretū contra authorē, qui in Editione Vitæ S. Theresiæ omisit ea, quæ sunt in commendationem Societatis.

contextu Originali, omnia illa, quæ notantur in Libro, cui titulus Gloria S. Ignatij (*compositus à P. Nicolao Lancicio S. I.*) exarata inveniantur: tamen in ea editione, de qua dictum est, omnia fuerint erasa. Hanc infidelitatem editionis, non tam Societati JESU, quàm S. Matri injuriosam, omninò improbamus, & à nobis non esse profectam testamur: quin imò si quis ex Ordine nostro deprehenderetur, tale quid admisisse, aut fieri curâsse, impunitum non debere esse, decernimus. Ipsam quoq; editionem truncatam, in usum nostrorum esse, prohibemus. Propositionem hanc Capitulo nostro Generali propositam, & per acclamationem omnium approbatam testamur. Die 16 Maji, 1650. P. Franciscus à S. Sacramento, Præpositus Generalis, *Bartoli in Vita S. Ignatij lib. 2. n. 47.*

Tribulationis & vinculorum amor.

2. In Italia anno 1564 cùm P. Christophorus Rodericius, vir Apostolicus, accepta à S. Quæsitoribus & Episcopis potestate, varias lustrat dioeceses, & à Waldensium ac Lutheranorum erroribus purgat: dignus habitus est, qui Apostolorum exemplo, pro JESU nomine, & animarum salute contumeliam aliquam pateretur. Comprehensus enim à Neapolitani Proregis, malè informati, satellitibus, ducebatur ad ejusdem tribunal. In itinere ubi devenerunt ad urbem S. Severi, Pater sitientissimus opprobrij & crucis, seriò rogavit Satellites, ut vincula sibi injicerent, vinctumq; de more traderent Præfecto urbis. Sed plus ab illis expertus est humanitatis, quàm cruditatis. A Præfecto quoq; & ipso humaniter exceptus, re intellectâ, honorificè dimissus est, *Sacchin: p. 2. hist: Soc. lib. 8. n. 44.*

Eodem die obierunt.

In templo assiduitas.

3. Forlivii in Italia anno 1617, P. Joannes Dionysius, Italus, pietatis officiis tam addictus, ut fere in templo habitaret. Lingua illi verborum parca, oculi semper modesti, cor præsentis DEi cogitatione collectum. De V. DEipara, & S. Ignatio ita loquebatur: ut compluribus fidem fecerit: ipsos illum suo conspectu dignatos fuisse. Episcopus Forliviensis à moriente, licèt ægrè, benedictionem extorsit. Ubi autem mortuum audiit, humi prostratus, fronte in terram demissa, misericordiam DEi per P. Joannis merita imploravit: quam non pauci in variis necessitatibus se consecutos, sunt fassi; alii futura sibi ex vero prædicta, retulerunt.

Sermo de B. V. & S. Ignatio.

Conscientiæ director divinitus destinatus.

4. Brunsbergæ in Prussia anno 1650, P. Simon Berent, Prutenus. vir veteris ævi, & sacris missionibus, quà per aulas, quà alibi exercendis, præstans. Nonneminem gravibus vitiis intricatum, divina Bonitas ad P. Simonem direxit, à quo expediretur, & conscientiæ tranquillitatem consequeretur. Curru verso miserè allisus, confractis sex ossibus, fortissimæ patientiæ egregium documentum dedit.

5. Placentiæ in Italia anno 1621, Ægidius Claromontius, Italus, Scholasticus, à teneris perpetuo patiendi desiderio ardens. Quem vitæ statum esset amplexurus, prodidit puerulus: quando cum aliis domesticis, more consueto, Litanias de Omnibus

bus Sanctis recitans, semper addidit; *Sancte Ignati ora pro nobis*; quamvis nec de S. Ignatio, nec de Societate, quidquam adhuc audivisset. In tyrocinio coram aliis Novitiis rogatus à Magistro Novitiorum, quoties eo die voluntatem suam mortificâsset? Rubore suffusus, recensuit Rosarii globulos, quibus notaverat eos actus, dixitque: duo de vigesies id factum. Desiderii sangvinem fundendi pro Christo, aliquatenus se compotem factum, gavisus est, quando effluvio sangvinis per nares, se extingvi sensit. Compatientibus reponebat: *Sinite sangvinem meum exire: DEUS illum sic vult habere. Sit benedictus.*

Devotio ergà S. Ignatium.

Mortificationis usus frequens.

Conformitas voluntatis cū divina.

6. Hac die anno 1657, P. Andreas Bobola claro genere in Polonia ortus, vitæ Apostolicæ cursum, dato gloriosè pro Christo sangvine terminavit, indefesso viginti annorum labore, & insatiabili dilatandæ fidei zelo, Pinscensis Apostoli nomen promeritus. Totam eo anno Regionem Cosaci Schismatici devastabant, ac sacrorum stragem, necem Sacerdotum in suis numerabant victoriis; cùm in istos immanes lupos Pater Bobola, tanquam innocens agnus, incidit; læti deprehensâ, quam instar multarum censebant, prædâ, irruunt, ac minis atrocibus perpellere conantur, ut Catholicam ejuret fidem. Minis inanibus addunt verbera, & spoliatum vestibus, alligatumque palo, flagris crudelem in modum lacerant: evellunt ungves: dentes excutiunt, cutem manibus detrahunt. Ubi nihil tot cruciatibus proficere se vident, ad vicinum oppidum Janoviam inter duos equites, & repetitos bipennis ictus, pertrahunt. Illic carnificinam priorem redintegrant: inauditâ rabie oculos exsculpunt: aures, naresq; rescindunt, cumq; tot suppliciis fidem ab invicto pectore non possent avellere, saltem suavissima JESU & MARIÆ nomina, quæ appellare non cessabat, tentant abrumpere, avulsâ lingvâ. Iis implorandis, post acceptum in capite geminum vulnus, immortuus est. Quam pretiosa in conspectu Domini fuerit vita, & mors Patris Andreæ, declararunt continua illustria prodigia, quorum centum & sex ritè literis sunt consignata, & pleraq; studio atq; authoritate Alexandri Wyhowski Luceoriensis Episcopi, recognita, approbata juratisq; testimoniis confirmata. Iisdem cumulum, & fidem addit corpus labis omnis & corruptionis expers; quod ornatiore tumulo compositum, novis indies miraculis celebratur.

P. Bobola victima fidei.

7. Hispali P. Antonius Cordesius 1601. Hoc anno gravissima pestis Hispaniam depopulata, Hispalim corripuit immanitate tanta, ut paucis mensibus hominum triginta millia consumpserit, non sibi temperavit Cordesius, quin egregiam deposceret provinciam, quamvis annum ageret octogesimum tertium, vixq; moliri gradum, senio tardante, posset. Instanti concessum fuit, ut sederet in templo, audiendis, qui peccata confiterentur, ægris: quorum pestifer halitus victum brevi, seu potiùs victorem hoc die oppressit. Hujus præclaræ mortis præmio dignum se jam præbuerat Gandiæ, cùm ante paucos annos ibi pestilentia desæviret. Sociis per urbem latè sparsis, nullum ipse sibi delegerat locum, ut ubiq; adesset. Vicos pro more obeunti lacrymabilis pueri gemitus ad aures accidit. Domum, unde vox oriebatur, obseratam cernens, per fenestram assilit; videt infantem peste tactam, cujus ad latera mortui pater & mater jacebant. Tollit parvulam ovem in humeros & fœminæ prætereuntis, ac filiolum lactantis, sinu reponit, orans ut etiam hanc educaret, cohorruit mulier, &, egone, inquit, alere istam possim? quid vir meus dicet, cùm hanc pestem ædibus nostris inferam? cui pater, arcano instinctu motus, & puellam brevi

Victima charitatis.

Facinus heroicum.

salvam, & universam ipsius familiam incolumem, si hanc reciperet, fore promittit. Promissa cœlum sanxit. Aliquando nobilis matronæ, sibi ac filiis suis fame confectis opem imploranti, partem non modicam paratæ cœnæ ferri jussit, ac reversus in cubiculum, trecentos aureos nummos in mensula numeratos reperit. Nostris per annos amplius 40 præfuit.

Liberalitas remunerata.

XVII. MAJI.

Gregorius XIII liberat Societatem à choro, & approbat Vota simplicia.

1. Recenter creatum Pontificem Maximum, anno 1572, Gregorium XIII, reverentiæ gratiâ convenit P. Hieronymus Natalis, Vicarius Generalis, petiitq; humiliter: ut sua Sanctitas operâ Societatis uti, & ejus Institutum gratiosè confirmare dignaretur, atq; in integrum restituere. Quamvis enim ejus Prædecessor, B. Pius V, non solùm benevolentissimum, sed etiam beneficentissimum se exhibuerit Societati: quia tamen alterius Ordinis disciplinam à juventute imbiberat: Chorum in eam induxit (quamvis sine cantu, & Scholasticis ab eo exceptis) & Vota simplicia, quæ post biennium tyrocinij emittuntur, non probavit, constituitq; ut nullus Religiosorum ordinaretur, nisi Professione solemni facta, Natalis contrà copioso, solidoq; scripto demonstravit: quàm inconveniens esset Societati Chorus; quàm convenientia, & nemini injuriosa, Vota simplicia. Pontifex negotium cognoscendum commisit Cardinali Borromæo, qui adhibitis tribus alijs præcipuorum Cardinalium, cùm rem totam seriò discussisset, ex sua & illorum sententia pronunciavit: nihil videri innovandũ circa Institutum Societatis, à Paulo III, Julio III, & Concilio Tridentino confirmatum, & ipso usu præclareq; gestis roboratum. Gregorius ergo Societati restituit Jura sua, tantorum virorum judicio ornata, & Borromæi sanctitate commendata: & sic abrogatus est chorus, Vota simplicia retenta, & susceptio sacrorum Ordinum permissa ante solemnem professionem. *Sacchin. p. 3. hist. Soc. lib. 8. n. 11. & seqq.*

Eodem die obierunt.

B. V. encomiũ in quavis concione.

Statuâ B. V. objectâ defenditur ab incendio Collegium.

2. Jaroslaviæ in Polonia anno 1647. P. Albertus Wiglocki, Polonus. Cum Ecclesiasten ageret, nullam instituebat, adornabatq; concionem, quam non condiret aliquo DEiparæ V. encomio. Per omnem vitam è collo gestabat effigiem geminam, alteram Christi Patientis, alteram Virginis Matris condolentis. Hinc illi nata filialis erga illam fiducia, quam declaravit coortum Præmisliæ incendium. Cùm enim ingens flammarum globus è civitate ardente deferretur ad Collegium: P. Albertus arreptam DEiparæ statuam flammis opposuit, Sociosq; jussit esse securos. Et præstitit Virgo indemne Collegium, flammis repente aversis.

3. Romæ anno 1658 Jacobus Goffeti, Italus, Coadjutor; quem P. Mutius Vitelleschus, Præpositus Generalis Angelum Custodem Domûs Professæ Romanæ appellabat.

ſabat. Omnium teſtimonio nihil notatum in illo reprehenſione dignum; omnia non vulgarem laudem promerita. Calloſæ manus in fabro murario indefeſſo, ſumma in veſtibus cubiculoq; paupertas, continuus orationis cum labore nexus, humilis & promptiſſima obedientia, ardens erga Ven: Sacramentum Euchariſtiæ pietas conciliârunt ei elogium Viri admirabilis, & abſoluti Fratrum Coadjutorum exempli. *Coadjutorum exemplar.*

4. Ibidem anno 1606, P. Nicolaus Orlandinus, Italus, primus Hiſtoriæ Societatis Scriptor; quàm elegans ſtylo, tam candidus ingenio & moribus ſuavis. Vix ad medium Partis Primæ pertigerat, cùm ſenſit ſe viribus & valetudine deſtitui, quâ ſemper utebatur tenui. Deſperabant Socii de proſecutione operis: at hiſtoricus confidebt; S. Patrem, cujus geſta ſcribebat, nullo modo commiſſurum, ut opus maneret infectum. Nec fefellit eum fiducia. Brevi redierunt vires, & repetitus eſt labor, qui cùm ad metam feliciter perveniſſet, rediit languor, & quies æterna. *Soutvellus in bibl. Soc.* *Hiſtoriæ Societatis primus ſcriptor.*

XVIII. MAJI.

1. ANno 1653 Neapoli, in ſacello S. Xaverij, quod eſt in templo Domûs Profeſſorum Societatis, S. Xaverij coram DEipara V. flectentis imago, viſa eſt oculos nunc ſurſum erectos, nunc deorſum dejectos habere, ac vultu velut mortuali mœrorem præ ſe ferre. Alius in ejuſdem fronte collucentem ſtellam quandam, alij alia vidêre: de quibus longum teſtium quorundam juratorum, catalogum ſe vidiſſe teſtatur Nadaſi *in Indice memoriali.* *S. Xaverij imaginis varius aſpectus.*

2. Apamijs in Gallia anno 1561 tanto ſtudio pro re Catholica contenderat P. Joannes Pelletarius: ut gravi ægritudine proſtratus jaceret. Advolavit autem hoc die ingens armatorum hæreticorum turma, & ſemivivum DEi famulum, lecto extractum, abripuit in oppidum vicinum, conjecitq; in vincula. Sed etiam ibi verbum DEi non fuit alligatum. Multis, à quibus inviſebatur, ſaluti fuit Pelletarius; quibuſdam etiam Catholicis presbyteris doctrinam de Sacramentis explicabat: donec à Toloſatibus in urbem traductus eſt, ubi ſecurior ab hæreticorum inſidiis eſſet. *Sacchin. p. 2. lib. 5. n. 187.* *P. Pelletarius in vinculis prædicat.*

3. Romæ tyrocinium Societatis, anno 1570, tandem ingreſſus eſt Franciſcus Bencius, Italus: qui Romanum Collegium Muſarum ſuarum elegantiâ eximiè ornavit. Vocatio ejus ad Societatem fuit non vulgaris. Quàm primùm ſcholas noſtras eſt ingreſſus, & cum noſtris agere cœpit: ſubijt mentem ea cogitatio, *Et tu de illis eris;* vellicabatq; identidem animum. Sed ille ſe ad curas alias transferebat, atq; ut remotior à Jeſuitis eſſet, ad publicum urbis gymnaſium divertit. Sed durum illi fuit contra ſtimulum calcitrare; quidquid Franciſcus ageret, pungebat ille conſcientiam, ſed vulnus diſſimulabat iſte; donec poſt mortem matris mœrore obrutus, cogitaret; *Tergiverſatio in vocatione ad Societatem.*

Christi benignitas. quid, unde, solatij deinceps habere posset? Inter hæc objicit se illi Christus è cruce pendens; à quo dum supplex opem petit, agnoscit per lumen interius, quid Christus à se desideret: totum proinde se illi offert & tradit. Sed mox, recurrentibus terrenis illecebris, tepescit, & aliò abstrahitur. Objecit Christus alias & alias species, quibus hominem ad Statum religiosum trahebat: verùm ille ita Christum volebat sequi, ut mundum non desereret. Tenuit visio unius circiter horæ spatium; nec tamen, nisi post dies plures, plenâ victoriâ potitus est Christus; compensavitq; deinceps cumulatè Franciscus: quod Obedientiæ defuit promptitudini. *Soutv. in Bibl. Soc.*

Eodem die obierunt.

Præsentia divina. 4. Romæ anno 1597, P. Joannes Paulus Navarola, Italus, magna indole, & excellenti virtute vir. Inter conferta occupationum agmina ita agebat, sibi & DEo præsens, acsi factis ipsis ingeminaret illud Prophetæ: *Vivit Dominus, in cujus conspectu ego sto hodie.* Hinc illi nata ea animi æquitas, morumq; compositio: ut nemo unquam in eo notaverit aliquod commoti animi indicium. *Æquanimitas*

5. Cæsaraugustæ in Hisp. anno 1617, Joannes Martinus, Hispanus, Coadjutor, celebratus ut omnium virtutum Coadjutori religioso propriarum imago absoluta. Instrumentum erat universale Moderatorum ad omnia temporalia munia ex voto exercenda. Pretiosam illi mortem detulit indefessa charitas, qua die noctuq; incubuit nostrorum ægrorum obsequiis, optans impendi, & superimpendi servorum DEi saluti. *Infirmorum curator accuratus.*

6. Monteregii in Hispania anno 1575, P. Petrus Cuebas, Hispanus, ut compendio ad perfectionem religiosam eluctaretur; ad apicem charitatis contendit, devovendo se pestiferorum curæ: cui hoc die gloriosè est immortuus. Socium ejusdem gloriæ habuit ibidem P. Thomam Ordunam.

XIX. MAJI.

1. ANno 1586 P. Claudius Aquaviva Præpositus Generalis epistolam dedit ad Patres Fratresq; Societatis, *de Studio Perfectionis & Charitate fraterna.* Assiduum Perfectionis religiosæ studium commendat ex eo: tum quòd sensim & in dies relabamur in veteres imperfectiones, nisi continuò connitamur ad perfectiora; tum quòd vitia olim contracta, etiam postquam falce Professionis religiosæ præcisa sunt, reliquerint radices, ac velut semina quædam, quæ successu temporis repullulant, & nascentes natasq; virtutes opprimunt. Suggerit deinde Media duo plurimum facientia ad progressum felicem in Perfectione. Primum est Charitas fraterna: cujus beneficio plurima evitantur vitia, præsertim quæ ex spiritu Nationali oriri solent; & alter alterum excitat juvatq; in exercitio virtutum. Alterum est singularis quædam pietas ac devotio erga DEiparam V. Dominã & Matrem nostram: quæ *Perfectioni studendum.* *Media ad Perfectionem.*

quæ pro ea, quâ pollet apud Filium, authoritate, facilè nos juvare poteſt, & in vitijs evitandis, & in virtutibus comparandis. *Eſt epiſtola III. inter epiſt. P. Claudij.*

2. Ad Socios Luſitanos anno 1551 literas dedit S. Borgia, pleniſſimas heroico ſui contemptu. Quas ita concluſit: Hæc loquor in Chriſto Chariſſimi, quò miſereamini veſtri fratris,tantoq; enixiùs rogetis pro eo Dominum: ut velit ita minimum eſſe, ut adnumeretur in minimis regni cælorum. Subſcripſit: *Franciſcus peccator.* Quod etiam in alijs literis obſervavit, quo ad à S. Ignatio admonitus fuit: ut communi ſtylo ſe accommodaret. *Sacchin. p. 3. lib. 8. n. 102.* *Contemptus ſui in S. Borgia.*

Eodem die obierunt.

3. Granatæ in Hiſp. anno 1610, P. Thomas Sanchez, Hiſpanus, celebre inter Theologos Morales nomen: imò Clementis VIII & communi Doctorum ſententiâ, princeps eorum, qui de Matrimonio ſcripſerunt. Theologiam Moralem illuſtravit Tomis VII. Cùm ab ingreſſu in Societatem arceretur linguâ balbutiente: ſupplex procidit coram Icone Virginis DEiparæ, ut hoc amoliretur impedimentum; negavitq; ſe inde pedem relaturum, niſi eo amoto. Annuit benigniſſima Mater piæ obſtinationi; & Thomas in Societatem admiſſus, dubium reliquit: doctiorne fuerit, an ſanctior? Debili ſemper uſus valetudine, in ſtudia tamen literaria decem quotidie duodecimve horas contentè incumbebat jejunus, non niſi ſemel ſub noctem refici ſolitus cibo vili modicoq;. Quater in hebdomade pane tantùm veſcebatur, & oleribus: per Quadrageſimam & Adventum nihil præter legumina & fructus aridos adhibebat. De qua vivendi ſeveritate nihil unquam remittebat, homo vitæ innocentiſſimæ & ſummis quibuſq; virtutibus ornatæ. Funus honeſtârunt Illuſtriſſimus Archiepiſcopus, Senatus regius, Nobilitas univerſa, Religioſi Ordines, & populus innumerus. *P. Thomæ Sanchez balbuties à B. V. ſublata.* *Studiorū prolixitas: cibi parcitas.* *Iejunia ſevera.*

4. Madriti in Hiſp. anno 1578, Didacus Mendoza Coadjutor, à P. Araoſio ad cæcæ Obedientiæ normam egregiè excultus, apertis in extremo agone oculis, cùm cerneret inviſentem ſe DEiparam V. *Feliciter*, ajebat, *adveneris, ô Domina mea, Domini mei ac Miſericordiæ Mater. Vnde mihi hoc? Vnde benignitas tanta?* Dixit, & vixit. *B. V. moribundum inviſit.*

5. Petrocoricis in Gallia anno 1596, P. Franciſcus Bordeſius, Gallus. Cùm frater ipſius Germanus, Societatem cum tribus filiis ingreſſus, poſt vitam inſigni religione actam, obiiſſet: P. Franciſcus poſt dies aliquot ſepulchrum ipſius acceſſit, rogavitq; ſupplex DEum, ut felici morte fratri brevi jungeretur in cœlo. Sequenti die inter ſacrificandum viſus ſibi eſt cœlitus audire vocem: *Exaudita eſt oratio tua*, Ergo ad mortem imminentem omnibus, quibus poterat, induſtriis ſeſe comparavit, & poſt paucos dies fratri junctus eſt; teſtatus in extremis: nullum diem ſibi eſſe elapſum abſq; meditatione de Morte.

XX. MAJI.

S. Ignatius Pampelonam defendens, vulneratur.

1. S P. Ignatius, anno 1521, hoc die, qui secundus erat festi Pentecostes, dum contra Gallorum impressionem, capta civitate Pampelona, quæ regni Navarræ Metropolis est, arcem fortissimè defendit, felici vulnere confracta tibiâ, non tam prostratus, quàm ad novum genus militiæ, sub vexillo JESU Nominis, erectus est. Quantos ad novam hanc militiam attulerit animos, vel inde patet: quòd, cùm ossa tibiæ confractæ, malè composita à chirurgo castrensi, deformem claudicationem minarentur: quamvis jam coaluissent, iterum voluerit confringi tibiam; & immanem illam carnificinam tam constanter sustinuerit: ut sensum aliquem doloris, nec voce nec vultu sit testatus. Quæ animi magnitudo virum prodidit maximè idoneum, ad agenda fortia, & ferenda durissima pro nomine JESU, & animarum salute (roborante gratiâ Divina) quive olim Ducem ageret validissimi exercitus, militaturi contra gentes, hæreticos, & ipsas àëreas potestates. *Bartoli in Vita lib. 1. n. 3. & 4. Orland. hist. Soc. p 1. lib. 1. n. 10.*

Prædeterminatio physica origo dissensionum.

2. P. Claudius Aquaviva Gen: hoc die obtulit Card. Madrutio Propositiones V, quibus doctrina PP. Prædicatorum de Auxilijs Gratiæ differebat à doctrina Societatis in materia eadem. Cardo differentiæ erat Prædeterminatio physica. Post triduum etiam PP. Prædicatores obtulerunt eidem Cardinali Propositiones V. quibus censebant doctrinam Societatis differre fundamentaliter à doctrina ipsorum. Madrutius Propositiones PP. Prædicatorum tradidit expendendas nostris Theologis, & vicissim nostras Theologis Prædicatorum. Nostri expensis illis, expressiùs 28. Maji sententiam suam de efficacia gratiæ declaratam, scripto tradiderunt Card. Madrutio. *Eleuth. hist. de Auxil. lib. 3. cap. 10.*

Eodem die obierunt.

Labores P. Paes in Æthiopia

Conversio Imperatoris laboriosa.

Luctus ejusdē in morte Patris.

3. Gorgonæ in Æthiopia anno 1622, P. Petrus Paes, Hispanus. Incredibile est, quantas ibi ærumnas, contumelias, carceres, catenas, damnationem ad remos, sit perpessus, dum Æthiopes illos dealbare studet. Evocatus tandem ad reconciliandum Ecclesiæ Romanæ Imperatorem ipsum, Sultanum Segnedum, decem dierum iter in summis caloribus, pedes, ac fere jejunus, ingressus est, & absolvit. Confecto feliciter negotio, viribus per iter fractis, quievit in Domino, maximo Sultani luctu: qui ejus morte audita, non solùm pullam induit vestem, sed veris & uberrimis lacrymis flevit magistrum & patrem suum, expansis ante sepulchrum brachiis, nec ullo cibo vel alio solatio admisso.

Lingva Latina à Coadjutore constanter dissimulata.

4. Granatæ in Hisp. anno 1607, Joannes Sevilla Coadjutor, constantiâ in petenda Societate, & dissimulatione lingvæ Latinæ memorabilis. Ut ad Societatem admitteretur, tres hyemali tempore noctes ad limina domûs nostræ perstitit immobilis,

bilis, obfirmato animo, inde non recedendi nisi intra domum admissus. Compos voti tandem factus, quàmvis idiomatis Latini satis esset peritus, imò Sacrorum Canonum studio biennium impendisset, minoribusq; Ordinibus esset initiatus: induci nunquam potuit, ut studia prosequeretur: quin potiùs annis duobus supra quinquaginta ita vixit: ut ne minimum vestigium Latini sermonis prodiderit.

Petitio pertinax admissionis ad Soc.

5. Moguntiæ in Germania anno 1609, P. Nicolaus Serarius, Lotharingus, dives opum literariarum & religiosarum. Incredibile est, quantum afficeretur carmini illi, quo Ecclesia claudit Psalmos: *Gloria Patri & Filio & Spiritui S. &c.* Hoc illi privatim publiceq; operum omnium principium erat & finis. Hoc si cani audiret ornatiùs, gestire gaudio, & triumphare videbatur. Ad copiosiores omnigenæ eruditionis thesauros congerendos, insignem sibi comparavit præter Latinam, Græcæ, Hebraicæ & Syriacæ lingvæ notitiam. Edidit variæ eruditionis, præsertim in S. Scripturam, & contra heterodoxos, Tomos 6, præter alios libros minores: ut meritò Cardinalis Baronius Tomo 12 Annalium, ad Ann: 1126 appellârit Ecclesiæ Germanicæ lucis jubar. *Soutvell. in bibl. Soc.*

Affectus erga Gloria Patri &c.

Eruditio insignis.

XXI. MAJI.

1. ANno 1568 epistolam seu Breve, dedit B. Pius V. Pont. Max. ad Salentinũ Archiep. Coloniensem, obnixè ipsi commendando Societatem, & ejus Collegium Coloniense. Post insigne encomium Societatis concludit: Quapropter te hortamur; & rogamus: ut tua benignitate dictum Societatis Collegium amplectaris, protegas, atq; defendas à quacunq; contradictione & molestia; ut pacificè possit in salutem animarum, & Reipubl: utilitatem, in omnibus suis ministerijs, præcipuè in erudienda juventute, juxta laudabile Religionis suæ institutum incumbere. Habebisq; hujusmodi Collegium maximè commendatum; dabisq; operam: ut quidquid necessarium fuerit ad suam sustentationem, habeat; in quo facies, quod dicta Societas mereatur, & quod Nobis debes, ac reverentiæ hujus sanctæ Sedis. *Gomez in Elog. Soc. p 1, Classe 1.*

B. Pius V Collegium Coloniense eximiè cõmendat.

Eodem die obierunt.

2. Limæ in Peruvia anno 1612 P. Joannes Sebastianus Parricius, Hispanus. Nullius vanæ gloriolæ sensu tangebatur, dicebatq;: *hoc à vera Theologia esse quàm maximè alienum* Per annos 30 non nisi humi cubabat, pro culcitra usus pelle arietis. Antequam concionem diceret, per horam culinæ ministeria obibat: post concionem Psalmos Pœnitentiales flexis genibus recitabat. Ter quotannis Exercitijs S. Patris se exercebat: ante mortem, quam prævidit, & prædixit, dies 40 illis impendit. Nullam horam elabi sinebat, quin se introspiceret, an Omnia ad Majorem DEi Gloriam direxisset. Quàm infensos & infestos habuit dæmones, tam gratiosum & faventem DEum, cujus virtute arcana & futura revelabat, miraq; operabatur. Dum oraret, visus est à terra sublimis: post mortem autem cælesti gloriâ conspicuus.

Gloria vana Thelogum non decet.
Ante Concionem obsequia culinæ.
Exercitia spiritualia ter in annum.
Examen singulis horis.

3. Romæ anno 1670 P. Nicolaus Zucchi, Italus, magnus & felix ad miraculum

Concionator ex temporaneus. usq; Ecclesiastes, præsertim in concionibus extemporaneis, etiam ad Eminentissimos Auditores habitis, non minore fructu, quàm stupore. Cujus doni cælitus sibi infusi non nescius, & de assistentia Spiritûs S. securus, credebat necessitatem, seu præceptum sibi à DEo impositum, prædicandi qualibet occasione, nulla licet ad præmeditandum, vel saltem thema inveniendum datâ morulâ. Pauci intra annum fluebant dies, quibus non quinquies, sexies, aut septies, dixisset ad populum, uno eodemq; die, stupentibus Socijs, aliam semper diversamq; proferri concionem. Specialiter delectus fuit à Salvatore nostro (prout ex varia revelatione constat) ad excolendos ardentissimis sermonibus sacros Virginum Parthenones: in quibus prodigiosas faciebat animorum morumq; mutationes. Fuit, quando Christus ipse peroranti de Passione sua totam suggessit concionem: ut nec unam periodum à se paratam, dixerit. Talentum hoc concionandi conservare & augere studebat accuratissimo perfectionis religiosæ studio, præsertim Orationis & Mortificationis; quamvis podagræ alijsq; doloribus excruciaretur. *Ex Tanner. de Apost. Imit.*

Conciones intra diem sex vel septem, semper aliæ.

Sanctimonialium cura.

Christus concionem dictat.

XXII. MAJI.

Alexander VII erga Societatē beneficus.

1. ANno 1667 Alexander VII. Pont. Max: luctuosum Societati fecit hunc diem. Amisit enim in illo validum Protectorem, & gratiosum promotorem. Restituit ipsam in ditionem Serenissimæ Reipub: Venetæ, quod Prædecessores ejus frustra tentârunt. Collegium Pœnitentiariorum S. Petri iterum Societati tradidit, cum facultate eligendi Pœnitentiarios, *Constitut. 59.* Derogavit Constitutioni Innocentij X. concessitq;: ut Superiores finito Officij trienno, possint transire ad aliud simile Officium, sine interstitio, vel in eodem confirmari. *Constit: 137.* Vacantibus Exercitijs Spiritualibus S. Ignatij per dies 10 vel 8, Indulgentiam plenariam concessit. Et pluribus propensi affectus argumentis benevolentiam suam testatam fecit. Unde grata Societas SSmo & Optimo Patri respondere studuit, indictis pro ejus incolumitate & felici regimine Sacrificijs septem, à singulis Sacerdotibus per orbem universum celebrandis; præter preces offerendas à Fratribus. *Bullar. Comm: & Liber Suffragiorum Soc.*

Collegium Pœnitentiariorū S. Petri tradit Societati B. Pius V.

2 Prædictum Pœnitentiariorum S. Petri Collegium Societati consignavit B. Pius V. Pontifex, Diplomate dato hoc die anno 1569: sicut in Lateranensi Basilica constituit Minoritas, ad S. Mariæ Majoris Prædicatores. Præter invidiam subeundam, non pauca nec levia, occurrerunt Præposito Generali S. Borgiæ & Assistentibus. Sed consideratis omnibus perstitit in sententia B. Pontifex: & ne quid inde caperet detrimenti Societas: Pœnitentiarios prædictos non minùs subjectos esse voluit Præposito suo Generali & Provinciali, quàm sint manentes in alijs domicilijs Societatis. *Sacchin. p. 3. lib. 6. n. 2.*

Eodem

Eodem die obierunt.

3. Nangaſachi in Japonia anno 1617, P. Joannes Bapt. Maccadius, ſeu Tavora, Luſitanus, in odium fidei gladio cæſus, poſt toleratas carceris Omurani ærumnas. Accepto divinitus nuncio de morte poſtridie oppetenda, intimis exultans gaudiis, Hymnum cecinit Ambroſianum, ajebatq; : tres in vita dies jucundiſſimos ſibi illuxiſſe: primum eum, quo Societatem, alterum quo carcerem fuiſſet ingreſſus, tertium verò, quo in tam bona cauſa moriendum eſſet. Cæſus eſt cum quodam ex Ordine S. Franciſci Sacerdote: teſtatiq; ſunt Neophyti; ſe in loco cædis ſæpius conſpexiſſe pulcherrima duo ſidera, mirum in modum nitentia. *Victima fidei in Japonia.* *Tres in vita dies jucundiſſimi.*

4. In Æthiopia anno 1574, P. Gonzalus Cardoſus, Luſitanus, in odium fidei, ut communis fama fuit, à ſicariis peremptus in itinere: poſtquam nihil laboris, induſtriæ & ærumnarum omiſiſſet, ut monachos ſchiſmaticos ad unionem Eccleſiæ Romanæ adduceret. De morte imminente, cælitus fuit edoctus. *Victima fidei in Æthiopia.*

5. Parmæ in Italia, anno 1630, P. Hiacynthus Grillus, Italus, pretioſa morte deceſſit in obſequio peſtiferorum. Pridie, quàm peſte afflaretur, obvium habuit in ponte venerabilem quendam ſenem cultu Sacerdotali, ſed ſpecie ſupra humanam, à quo audiit: Gratam eſſe DEo operam ipſius impenſam ægris, recepturum propediem præmium: quare ad extrema ſe compararet. Quibus dictis evanuit, & P. Hiacynthus paulò poſt pro mercede promiſſa abiit. *Victima charitatis.* *Labor DEo gratus.*

6. Herbipoli in Germania anno 1666, P. Gaſpar Schottus, Germanus; religioſa pietate, Germano candore, tolerantiâ laborum inſignis. Scientiis Mathematicis inſigniter excultus, ſubtili ingenio & practica manu eaſdem viciſſim egregiè excoluit, editis compluribus ad eas illuſtrandas voluminibus: inter quæ *Phyſica curioſa, Magia naturalis, & curſus Mathematicus*, omnium Mathematicarum diſciplinarum encyclopœdiam, pari brevitate & claritate, comprehendens, plurimum honoris, etiam apud Acatholicos, authori ſuo conciliârunt. *Soutvellus in bibl. Soc.* *Matheſeos peritia inſignis.*

7. Romæ anno 1608, P. Joannes Bapt. Villalpandus, Hiſpanus, Matheſeos & Architecturæ ſcientiâ celebris. Magnum nomen ſibi comparavit Commentariis editis copioſiſſimis in Prophetiam Ezechielis, & laborioſiſſima deſcriptione Fabricæ Templi Salomonis. Socium laboris habuit Hieronymum Prado: ſed ipſe totius Operis architectus fuit primarius. *Soutvellus in bibl. Soc.* *Fabrica Templi Salomonis à Villalpando repræſentata.*

XXIII. MAJI.

I. ANno 1555 electus eſt in Pontificem Max: Paulus IV, antè Joannes Petrus Carafa dictus, olim Archiepiſcopus Theatinus, qui Ordinem Clericorum Regularium, quos *Theatinos* vocant, inſtituerat. Jam ante Pontificatum familiariter uſus fuit S. Ignatio: timebatur tamen provectus in Pontificem; quòd Ignatius ex ſuis Socijs & Theatinis noluiſſet conflari unum Ordinem, prout optabat Carafa. Verùm S. Pater cùm in Sacellum ſe tacitus recepiſſet, totamq; rem commendâſſet DEi Providentiæ; mox placido vultu, & animo perquam ſedato egreſſus, ſperare ſe dixit, fore, ut qui metueba- *Pauli IV ergà S. Ignatium & Societatem benevolentia.*

tuebatur infensus, eum Societas experiretur propitium. Spem confirmavit eventus. Nam cùm ad pedis osculum renunciati Pontificis, cum suis aliquot accessisset Ignatius, mirum quàm amanter, quamq; honorificè sit exceptus. Et aliàs passus nunquam est Paulus: ut Ignatius de genibus, ut moris est, secum ageret, aut aperto capite: sed secum inambulantem per cubiculum, multis inspectantibus & admirantibus, audiebat; ac supplici concedebat omnia, quæ pro Societate, vel Cæsare Ferdinando petebat. Societatem cùm nominaret, passim cum adjecto, *Beatam*, *vel Benedictam*, *Societatem* appellabat, *Orland. p. 1. hist. Soc. lib. 15. n. 5. Sacchin. p. 2. lib. 2.*

Eodem die obierunt.

Cracovia Senatus ab hæresi purgatus.

2. Cracoviæ in Polonia anno 1615, P. Martinus Lascius, Polonus, industrius & felix in convertendis hæreticis verbo, exemplo, & valida authoritate. Cracoviensem Senatum universum Catholicæ religioni adjunxit, authorq; fuit conditi decreti: quo ab ea dignitate arcerentur in futurum Acatholici omnes. Primus 40 horarum supplicationem in Poloniam induxit: arcamq; S. Nicolai, ad colligendam per Sodales misericordiæ dotem pro pauperibus puellis, instituit. Stupuêre hæretici, quòd sclopis ad latera appositis, nihil terroris prodidisset. Quod nec venenata mortis tela timeret, manifestum fecit: quando grassante lue pestifera, Sociis, quibus præerat, ad tutiora dimissis, caput suum devovit, & peste ictis strenuè servivit.

Supplicatio 40 horarũ in Poloniam inducta.

Charitas erga pestiferos.

3. Posnaniæ in Polonia anno 1625, P. Nicolaus Czyzowski, Polonus, ter è faucibus mortis ope SS. Ignatii, Xaverii, Barbaræ & Bibianæ ereptus: tandem non minùs jucundè quàm piè occubuit, utendo sub mortem elegantibus & suavissimis hymnis, quos concinnaverat, contriti & amantis cordis testes. Vir erat, orandi, se affligendi & alios regendi arte præstans. Dictitabat; *in Societate necessarium esse os vulgare, ad cibos sine delectu sumendos; genua cameli pro oratione assidua; & dorsum asini ad labores.* Coadjutores censebat non indulgenter tractandos; sed assiduis laboribus distinendos, & monitis frequentibus excolendos: id, quod exemplo cujusdam Fratris Coad: confirmabat, qui paucis post obitum diebus, sibi spectabilis factus, gratias egit: quòd ab eo fuisset laboribus liberaliter occupatus, & pœnitentiis exercitus.

Mors pia & jucunda.

Tria in Societate necessaria

FF. Coadjutores non tractandi indulgenter.

4. In Silesia anno 1634 P. Hieronymus Fischer, Bohemus, à militibus hæreticis in sylva quadam globo trajectus, occubuit morte bene prævisa, & prædictâ. Illatam fuisse odio fidei, probat: quòd alios itinerantes incolumes dimiserint, spoliis contenti: ubi autem P. Hieronymum adverterunt, insolenter exclamantes, *Iesuitas! Iesuitas!* illico ruerunt in cædem.

Victima fidei in Silesia.

5. Divione in Lotharingia anno 1669, P. Franciscus Beauvau, seu Bovo, Lotharingus, Marchio è Borboniorum Galliæ regum sangvine genus ducens, in Societate vitam impendit erudiendis perpetuò ruriculis: quas Missiones loco Indiarum impetraverat, & Apostolico planè zelo promovebat, vir ingenti contemptu sæculi, & eminente virtute clarus. *Tanner. in Soc. Apost. Imit.*

Cura perpetua hominum agrestium.

XXIV. MAJI.

1. IN Japonia anno 1587 hunc diem atrum fecit, an potiùs candidissimum, pientissima mors Bartholomæi, Principis Omuræ, unius ex ijs, qui legatos Romam miserunt ad venerationem Pontificis Maximi. Societatem ut amavit tenerrimè, coluitq; constantissimè: ita moribundus diligentissimè commendavit Sancio filio suo & hæredi, monuitq;: ut eam cordi haberet, & Patrum consilijs, non secus ac sibimet, obtemperaret. Morti vicinus his supremis verbis affatus est liberos suos; Quartus & vicesimus hic annus agitur; ex quo à Patre Cosmo Turriano Christi fidem & baptismum accepi, Christianum in meis terris nullum reperi, cùm inirem principatum: nunc in ijs nullum, quod sciam, ethnicum relinquo. Egi, movi, conatus sum & multa passus, ut id consequerer. Sed obrepsit fortasse satagenti negligentia, quæ me vereri cogit: ne culpâ meâ & minùs rectis exemplis effectum sit; ut non omnes mei subditi, quàm nomine profitentur, Christianam Sanctitatem, æquè moribus teneant. Tuum erit, Sanci, filiorum maximè, emendare, quod à me peccatum est &c. His & alijs opportunis monitis datis, filios cæterosq; domesticos dimisit, vetuitq; ad se redire; cùm sibi residuis paucis horis cum solo DEo sit agendum. Sacramentis munitus, in complexu Crucifixi, felicem animam Christo reddidit, relictis in principatu suo septuaginta millibus, & suprà, Christianorum, operâ Societatis & curâ suâ bene moratorum. Cœnobia Bonziorum & idolorum delubra ita ferro flammâq; delevit omnia: ut ne vestigium gentilismi superesset; vetuitq; severa lege, ne cuiquam, nisi Christiano, in ditione sua jus domicilij esset, *Sacchin. p. 5. lib. 7. n. 151.*

Zelus Principis Iaponici.

Eodem die obierunt.

2. Romæ anno 1596, P. Antonius de Mendoza, Hispanus, P. Claudii Præpositi Gen: Assistens pro Hispania. Humilitas illi passim in ore, semper in corde & opere: etiam cùm aliis præesset, infima culinæ & Janitoris munia obire solitus, nullo hominum & illustrissimorum natalium respectu. Nulli solebat respondere, nisi mente ad DEum paulisper elevata. Inter orandum cœlestis splendor ei circumfusus, prodidit animam non terrestrem: cui suffragium addidit corpus demortui, post unum & dimidium annum repertum integrum, tractabile & candidum. In supremo morbo monitus à medico, ut fenestras aperiri juberet, & cælum jam vicinum respiceret; commonstrato Crucifixo, respondit: *En cœlum meum, & mea tota lætitia.*

Responsũ non præceps.

Crucifixus gaudium & cœlum nostrum.

3. Turnone in Gallia anno 1596, P. Carolus Sagerius, Gallus, insigni doctrina, virtute, & convertendorum hæreticorum studio conspicuus: à quibus creditur veneno sublatus. Felix etiam ea sorte fuit: quòd tres fratres, & ipsum quoq; patrem, commilitones habuit in Societate.

Victima fidei. Pater cum 3 filijs in Societate.

4. La-

4. Labovefci in Gallia Diœcefis Viennenfis in Tractu Vivarienfi Beati Joannis Francifci Regis è Societate JESU, infigni animarum zelo, & invicta in ærumnis earum causâ tolerandis patientiâ inclyti: qui obiit pridie Calendas Januarias, fed ejus feftum Decreto Clementis XI celebratur hac die, in qua idem Summus Pontifex illum Beatorum Catalogo adfcripfit. Mortem fuam prævidens, ideoq; ex humilitate in ftabulum deportari petens confpicuos habuit Chriftum & B. Virginem. Mortuus anno 1640. Beatorum numero adfcriptus anno 1716. Plura habes 31 Decemb. & in vita ejus.

XXV. MAJI.

S. Maria Magdal. commendat Societatem reginæ Gall.

1. FEftum S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis, Ordinis Carmelitarum de Obfervantia, celebrat Ecclefia: cujus Sanctæ Virginis plurima & luculenta æftimationis & affectus propenfiffimi erga Societatem extant argumenta. Non eft ultimum illud: quòd cùm anno 1600 Principiffa Maria Regi Galliæ Henrico IV defponfata, eam vifitâffet, fuafq; neceffitates ei commendâffet, ac nominatim defiderium prolis mafculæ: promifit Sancta, fe id petituram à DEo, dummodo ipfa, ad thronum regium evecta, præftaret tria. *Primò*, ut procuraret apud Majeftatem regiam revocari in Galliam Patres Societatis JESU: addiditq;; hoc effe unum ex magnis obfequiis, quæ illa poffet præftare DEo in beneficium illius regni. *Secundo*, ut procuraret extirpationem hærefum. *Tertiò*, ut effet amatrix pauperum. *Lancicius Opufc: 17. de Præftantia Inftituti Soc: cap. 4.*

Judices Confervatores eligere poteft Societas.

2. Anno 1572. Gregorius XIII, per Conftit: *Æquum reputamus, & rationi confonum &c.* Conceffit Societati facultatem affumendi Judices Confervatores, in quibufcunq; caufis: qui in moleftiis & damnis procedant fummariè; in aliis prout rerum qualitas exegerit. Addidit Claufulam: ut his literis Apoftolicis per quafcunq; derogationes non cenfeatur derogatum. *Bullar. Societ.*

Inftitutũ Societatis non licet impugnare etiam indirectè.

3. Idem Pontifex hoc die anno 1584, per Solemnem Bullam, *Afcendente Domino*, de novo confirmavit inftitutum Societatis, & Privilegia ei conceffa; præcepitq; in virtute S. Obedientiæ, & fub pœna Excommunicationis latæ fententiæ, nec non inhabilitatis ad quævis officia & beneficia: ne quis cujufcunq; ftatûs & gradûs audeat Societatis inftitutum, Conftitutiones, vel aliud quid fupradicta concernens, quovis difputandi, vel etiam veritatis indagandæ quæfito colore, directè vel indirectè impugnare, vel eis contradicere &c. *Bullar. Societ: & Bullar. Comm:*

Eodem die obierunt.

4. Canzucæ in Japonia anno 1590, P. Gafpar Coello, Lufitanus, plurimis & opimis

pimis Orco detractis, animarum spoliis clarus. Industriâ, labore, & oratione rem Ecclesiæ Japonicæ ita auxit: ut in solo tractu Omurano, unà cum Socio, 35 millia Japonum, & ampliùs, Bonziorum verò cœnobia 60 baptismo lustraverit. Primus fuit Japoniæ V-Provincialis, à rege eximiè honoratus. *Conversio numerosa in Iaponia.*

5. In Anglia anno 1640, P. Richardus Holtbeyus, Anglus, fidelis, strenuus in vineâ illâ dumetis horridâ operarius, Excoluit illam totis annis 50, miro ingenio & Apostolico zelo, inter continua vitæ discrimina. *Tanner. in Soc. Apost. Imit.* *Operarius in Anglia 50 annorum.*

6. In Comitatu Tyrolensi anno 1632 P. Adamus Tannerus, Germanus Tyrolensis. Vir fuit verborum paucorum, cogitationum magnarum, humilitatis profundæ; ideoq; simplicium fere fratrum colloquio delectatus. Doctrinæ famâ celebrem Mathias Imperator Viennam accersiit: ut pro Martino Becano Theologicam cathedram occuparet: Ferdinandus verò II Pragensis Academiæ jussit esse Cancellarium. Ingenio, eruditione, & linguarum Græcæ ac Hebraicæ, egregiè usus est ad confutandos sectarios. Libros ab eo editos 28 numerat Soutvellus in Biblioth. inter quos Tomi 4 Theologici in folio; & Disputationes speciales in omnes Summæ S. Thomæ partes. *Soutvell in Bibl.* *Viri docti idea* *Librorum editorum copia.*

7. In Guinea, Africæ regno, anno 1610 P. Joannes Delgado, Lusitanus. Quàm perspicax in Theologia magister fuerat, tam strenuum in vineæ promontorio operarium egit. Cùm Bichongoris regem ad Fidem & Religionem Christianam flectere non posset: in uberes lacrymas coram ipso solutus est. Rogatus à rege, quid ita fleret? *Tuam*, reposuit, *obstinationem fleo, quæ te sempiternis flammis addicet.* Imò, subjecit rex, quia vir Sanctus es, ita ploras, & forsitan me citò moriturum, animo præsumis. Quàm charus & pretiosus fuerit populo, mors declaravit: quando morbidi, & malis aliis afflicti, frequentes ad tumulum ejus accurrebant, & expetitas gratias reportabant.

XXVI. MAJI.

1. FEstivitas S. Philippi Nerii, Fundatoris Congregationis Oratorii, admonet nos eximiæ æstimationis & affectûs: quibus hic Sanctus ferebatur erga Societatem, & Parentem ejus Ignatium. Antequam fundaret Congregationem suam, eò progressus est: ut obnixè ab Ignatio petierit admitti in familiam ipsius. At iste, quàmvis non nesciret, quantum ornamenti inde accessurum esset Societati, induci non potuit, ut annueret: cùm divino instinctu præsentiret; utiliorem Divinæ gloriæ propagandæ futurum illum extra Societatem. Cæterùm Philippus, quàmvis repulsam passus, perrexit ipsam tenerrimè complecti. Ex ea Confessarium sibi delegit P. Joannem Peruseum, quo usus est, etiam cùm Præpositum Generalem suæ Congregationis ageret. Diebus festis cum omnibus suis Sodalibus ad templum Domûs Professæ Romanæ ventitabat, ad audiendam pomeridianam concionem, seu lectionem sacram Patris Emanuelis Sa. Non paucis suorum author fuit, ut Societatem ingrederentur. Ad S. Ignatium, *S. Philippus Nerius Societati addictissimus.*

recur-

recurrebat pro consilio in rebus dubiis, non dubiè sperans ab illo lumen, cujus vultum cælesti luce radiantem non semel viderat. Defuncto autem Ignatio, sepulchrum ejus supplex accedebat, profitebaturq;: se mirificè adjutum recedere. *Lancicius Opusculo 17. cap. 3. & Opusc. 18. de Gloria S. Ignatij cap. 20. ubi dicta multis firmat.*

2. Apud Sinas, postquam Imperator, anno 1692 publico Edicto per omnes provincias vulgato, liberam concessit facultatem & Christianis prædicandi, & subditis suis suscipiendi Fidem & Religionem Christianam: benedixit ei DEus, præclaris in Tartaria magna concessis victoriis, quibus regnum Erutarum, & provincias Halha longè lateq; sibi subjecit, usq; ad ditionem Imperii Moschovitici. Anno igitur 1698, 26 Maji expedivit cum numeroso comitatu P. Antonium Thomam Belgam: ut Tartaricas illas regiones ab Oriente in Occidentem peragraret, & Geographicè describeret. Quod fecit ille perquam accuratè, simulq; observavit; quâ viâ, & ratione Evangelici operarii in regiones illas induci possint. Christianos quoq;, quorum aliquos sparsim reperit, in fide confirmavit. *Ex lit: Rom.*

Eodem die obierunt.

Victima Charitatis.

3. Audomari in Belgio anno 1597, P. Nicolaus Buri, Belga, heroica morte sublatus in obsequio pestiferorum. Satagenti in Sancto illo opere, & Ven: Eucharistiam ad moribundum deferenti, contigit: ut incideret in mulierem infirmam, quæ domo ejecta, sub dio volvebatur in luto, cœlo pluvio. Ergo decenter collocata Sacra pyxide fratre Socio adjuvante, miseram reportat sub tectum: sed superveniente hero domûs, homine militari & furibundo, jubebatur, sine mora illam efferre; cunctanti necem intentat stricto ferro. Intrepidus Pater cervicem nudat, & porrigit. Ille tantò magis exardescens diras omnes & Acheronta movit; & cùm nec DEo parceret Sacrilegus, occurrit Patri Nicolao, divino procul dubio instinctu, factum S. Bernardi adversus Aquitaniæ ducem. Prolatâ igitur Sacrosancta Hostiâ, hominem severus compellat: Agnosce inter manus meas Conditorem, Redemptorem, eundemq; Judicem tuum. Adora offensum, & veniam crudelitatis in miseram hospitam exercitæ, supplex precare. Procumbentibus omnibus, qui aderant, in genua, procumbit attonitus & miles, veniamq; à DEo, & circumfusa multitudine, magna animi demissione petit; totusq; in alium mutatus, insigni deinceps affectu Ven: Eucharistiam, & P. Nicolaum est complexus.

Ven: Eucharistiâ propositâ coërcetur furibundus.

Condonatio injuria.

4. Neapoli in Italia anno 1619, Antonius Loffredus, Italus, Scholasticus. Inter ipsa religionis ineundæ consilia ab illustri viro ad singulare certamen vocatus, cùm famæ suæ id interesse putaret, prodiit, & adversarium prostravit: sed jacenti, & veniam per Christi mortem petenti, pepercit. Cujus facilitatis luculentum præmium à DEo se accepisse ajebat, quòd ad Societatem fuerit admissus. In ea vixit velut viva B. Aloysii effigies. Fama est, Antonium morti proximum, elegantissimæ semitæ ad cœlùm usq; procurrentis aspectu fuisse recreatum: in cujus meta visus est

S. Igna-

S. Ignatius, ante DEiparam V. supplex, universæ Societati morum innocentiam flagitare.

5. Monachij in Germania anno 1697. P. Tobias Lohner, Germanus, vir quàm religiosus & eruditus, tam laboriosus & cubiculi sui amans. Præter complures alios pios libros editos, in gratiam & usum Concionatorum confecit, edidítq; Tomis 3 Bibliothecam Manualem, multa eruditione refertam; adjecit Decadem Opusculorum, seu Instructionum utilissimarum ad formandum Clerum, præsertim Curatum.

XXVII. MAJI.

1. CUm in Europa anno 1555 magno apparatu adornaretur expeditio in Æthiopiam ad Claudium Imperatorem: visum est in India Proregi Petro Mascareniæ, præmittere in Æthiopiam aliquos, qui Imperatoris explorarent animum, & expeditum Patriarcham à Papa, nunciarent: ne quid deinde apud infidam gentem eveniret, quod Patriarcham & Sedem Apostolicam dedeceret. Decreta est igitur à Prorege Indiæ legatio Jacobo Diazio, adjunctíq; illi de Societate comites P. Consalvus Rodericus & Fulgentius Freires. Multis perfuncti periculis terrâ mariq;, hoc demum die in magnam quandam Æthiopiæ planitiem delati sunt, ubi tunc Imperator, qui stabilem sedem non habet, morabatur. Traditæ sunt illi regis Lusitaniæ literæ, publicéq; lectæ sermone Chaldaico; quibus rex significabat: se audivisse de propenso ipsius animo in Ecclesiam Romano Catholicam; de cujus doctrina & religione ut certiùs doceatur, missurum se viros idoneos, probos & doctos. Obstupuit Claudius, vultuq; obducto, ac sermone confuso, perplexa quædam respondit: ut satis appareret, ipsum à priore sententia ex innata animi levitate discessisse, vel à monachis Dioscorianis abductum esse. Post dies aliquot literas dedit ad regem Lusitaniæ, quibus disertè testabatur: se Romani Pontificis ministros in regnum suum admittere non posse: & proceres suos malle potiùs Mahometanis subjici, quàm ab avita religione recedere. Sic tunc præclara spes dissipata. P. Consalvus tamen perstitit in Æthiopia, lacessebatq; scriptis monachos hæreticos & Imperatorem; siquidem ei copia non fiebat publicè cùm ipsis disputandi. *Orland p. 1 hist. Soc. lib. 15. n. 117. & seqq.* *Legatio in Æthiopiã infructuosa.*

2. Cùm in Congregatione III Generali quæsitum esset; an Professi trium votorum, vel non Professi, præesse possint Professis 4 votorum? Congregatio declaravit: posse, & Professos 4 votorum illis, dum præsunt, teneri obedire. Intercesserunt quidam, & res biduo ventilata est diligenter. Sed Congregatio stetit in decretis, & sententiam suam hac die confir- *Professi 4 votorum pareant Superioribus nõ professis, vel tantùm trium votorum.*

mavit, adjecta tamen limitatione: ut qui non sunt Professi 4 Votorum, non possint præesse Domibus Professis, vel toti Provinciæ *Congr. 3 decr. 21.*

Eodem die obierunt.

3. Eboræ in Lusitania anno 1567, Franciscus Coetho, Scholasticus, Eluxit in eo singularis animi religiosi magnanimitas, Crucis amor, obedientiæ perfectio, & pia cum Sociis consuetudo. Quibus dotibus maturum se cœlo probavit. Aliquot igitur ante mortem diebus, præsente P. Rectore, & aliis quibusdam, Franciscus velut ex somno expergefactus, quis est, ajebat, qui nunc mihi denunciavit: me vigesima septima die Maji, ad fruendum DEo hinc abiturum? Prædictioni respondit eventus.

Mortis nuncius

4. Ibidem Conimbricæ anno 1630, P. Didacus Monterus, Lusitanus, multæ orationis & mortificationis religiosus. Antequam alii è somno surgerent, duas vel tres horas jam oraverat: post meridiem semihoram SSmæ Eucharistiæ mysterio recolendo, alteram semihoram DEIparæ V. dotibus expendendis dabat quotidie; visus interdum inter orandum sublimis à terra, & DEiparæ conspectu aliquando dignatus fertur. Orationem condiebat acri mortificatione, & exomologesi non solùm quotidiana, sed etiam generali singulis mensibus.

Oratio prolixa.

Confessio generalis singulis mensibus.

5. Calari in Sardinia, anno 1656, P. Simon Marica, cum duobus Sociis, pro modico obsequio pestiferis impenso, immarcescibilem gloriæ coronam obtinuit. Creditur cum Angelo suo Custode familiarem habuisse consuetudinem, à quo eâ noctis horâ, quâ ad orandum expergisci desiderabat, excitabatur à somno. Supremæ migrationi accinctus, negavit se migraturum è vita, nisi ex obedientia. Confessarius cum detrectaret imperare, id solùm addidit: ut tunc moreretur, cùm Divinæ voluntati placuerit. Et Pater Simon confestim, nulla doloris significatione, animam DEo reddidit.

XXVIII. MAJI.

1. Apud Sinas P. Matthæus Riccius, quàmvis prima profectio in regiam Pechinensem irrita fuisset, ad alteram tentandam se resolvit; comparatisq; muneribus Imperatore dignis, hoc die Nanchino Pechinum, ubi ille residet, solvit anno 1600, melioribus auspiciis. Incidit quidem in itinere in ungues harpyæ cujusdam, scilicet Eunuchi Mathan, exactoris vectigalium potentissimi; eratq; in præsenti periculo, ne & munera Imperatori destinata, & caput proprium amitteret: at in re desperatissima præstò fuit Divina Providentia. Cùm enim maximè periclitaretur; ex improviso Pechinum cum donis suis evocatur ab Imperatore, qui jam antè informatus fuerat, de muneribus à P. Matthæo ipsi paratis. Perfracto igitur hoc scopulo, prosecutus est iter suum, feliciterq; anni sequentis initio Pechinum pervenit. *Trigaultius de Expedit. Sinensi lib. 4. cap. 11. & 12.*

P. Riccius feliciter adit regiam Sinensem.

2. Romæ anno 1604 celebrata est disceptatio XXX coram Clemente VIII de Auxiliis Divinis. Quæstio à Pontifice proposita fuit: An quando intel-

intellectus proponit voluntati DEum amandum & colendum, ut summè bonum & justum, præmiantem virtutem præmio vitæ æternæ &c. Ea propositio sit objecti supernaturalis, vel naturalis tantùm, aut indifferens ad actum naturalem, & supernaturalem? Respondit pro Molina P. Ferdinandus Bastida tribus Conclusionibus: Si ea propositio fiat non concurrente lumine supernaturali; est naturalis tantùm; supernaturalis autem, si concurrat lumen supernaturale. DEus autem, etiam ut remunerator est per vitam æternam, vel prout pro ea vita obtinenda pro nobis sanguinem fudit, habet se ut objectum materiale indifferens ad terminandum actum naturalem, vel supernaturalem. *Eleuther. hist. de Auxil. lib. 5. cap. 38.*

Actus ut sit supernaturalis procedere debet à principio supernaturali.

3. In Hispania anno 1558 graviter vapulavit fama Societatis; quasi circa sigillum Confessionis laxiorem, & Sacramento injuriosam teneret sententiam. Infamiam augebant, alebantq; quidam Concionatores zelo inconsulto abrepti: sed Societatis doctrinam, & agendi modum probabant Archiepiscopus Granatensis, ubi res agebatur; Sacri Quæsitores, & doctiores Theologi cum M. Avila. Nuncius quoq; Apostolicus pro Societate stetit, egregiâq; Epistola ad Borgiam hoc die datâ, illam defendit, & solatus est. *Sacchin. p. 2. lib. 2. n. 130. & seqq.*

Societas vexatur ratione sigilli Confessionis.

Eodem die obierunt.

4. Romæ anno 1564 Leonettus Gayliardus Italus, Scholasticus, eximiæ indolis & virtutis. Tres fratres, quos in Societate habuit, mœrentes ob immaturum suum obitum, solabatur ipse; gestiebatq;: quòd maturè, atq; in sinu Societatis migraret è vita. Bono animo esto, inquiebat ad P. Achillem frarem suum, Christus D. valde me amat, Age meo nomine illi grates.

Mors in Societate jucunda.

5. Parisiis anno 1582 Petrus Monerius, Gallus, Scholasticus. Cùm eum in supremo morbo infestus turbaret dæmon: jussus est à Confessario quærere ex tentatore: An aliquid contra se haberet? Paulò pòst sereno vultu ad Confessarium conversus, nihil habet, inquit: & mox circumstantes ad solidas virtutes cohortatus, innocentem animam DEo reddidit.

Conscientia pura in morte.

6. Commotovii in Bohemia anno 1648, P. Fridericus Huneken, Saxo, indefessus per Bohemiam operarius. Multa hæreticorum millia restituit Ecclesiæ. Missiones obibat non alio fere viatico instructus, quàm halece, & frusto carnis fumatæ, è Collegio secum allato, ne alicui gravis esset. Domum redux, prope singulis diebus in culina serviebat. Per ultimos decrepiti senii annos 15, nunquam lecto ad capiendum somnum, aut stragulo usus est, sed ut erat vestitus, in scamno, vel sella lignea considendo quietem capiebat. In extremo agone illacrymatus est; quòd in oppido, cujus curam vice parochi habebat, & in quo nullum antea repererat Catholicum, unum adhuc relinqueret hæreticum. Sed hunc ipsum mortuus convertit. Audita enim hac de se Patris sollicitudine in eo articulo vitæ, resipuit obstinatus, & Catholicis accessit. *Tanner. in Soc. Apost. Imit.*

Missionarius pauper.

Culinæ obsequia.

Oppidum totum conversum uno excepto.

XXIX. MAJI.

Societatem & Collegium Parisiense commendat Pius IV regi Gall.

1. ANno 1565 Pius IV egregias dedit literas ad Carolum IX Francorum regem: quibus eum hortatur, ut Societatem, ac præcipuè Parisiense Collegium tueatur. Ad aures, *inquit*, nostras pervenit: Collegium Parisiense Soc: JESU magnis affici cœpisse molestiis, & variis vexationibus impediri, quo minus, sicut cœperat, inservire saluti animarum, & vacare juventuti doctrinâ Catholicâ, & pietate, ac bonis literis atq; artibus imbuendæ atq; erudiendæ, possit. Id accidit nimirum humani generis hostis instinctu &c. Sed id non esse laturam Majestatem tuam scimus: ubi edocta fuerit de ejus Societatis meritis. Nihil enim æquè Christianissimum Regem decet, ac Religiosos viros, & DEi honori inservientes, tueri & ab injuriis defendere. Eam igitur Societatem sciat Majestas tua, propter pia & laudabilia instituta sua, & ab Apostolica Sede confirmatam, & nuper in sacro Oecumenico Tridentino Concilio approbatam fuisse. Cujus Societatis, propter uberes fructus, quos DEi Ecclesiæ his, tam turbulentis temporibus attulit, non modò in Italia, & in Hispaniæ & Lusitaniæ regnis; sed in ipsius etiam Germaniæ multis locis, Collegia instituta fuerunt. In hac quidem alma Urbe nos præcipuè Collegii, quod hic est, operâ utimur: quam & fidelem & utilem experimur, quascunq; in partes Orbis terrarum, evenit, ut ejus Collegii presbyteros, divini obsequii causâ, mittamus &c. *Sacchinus Part. 3. hist. Soc. lib. 1. n. 19.*

S. Xaverius ægros sanat, & pestem sedat.

2. Potami in Calabria votum suum persolvit S. Xaverio matrona Dasensis, ob vitam & plenam sanitatem ejus ope restitutam filiolæ suæ, in qua per horam & dimidiam nullum apparuerat vitæ signum. Neapoli verò, post pestiferam luem intercessione Sancti ejusdem abactam, Præfecti sanitatis & Lazareti publici solemne Sacrum ad ejus honorem, in templo Domus Professæ fieri curârunt, Sospitatori suo grati. *Ex libello miraculorum S. Xav. Potam. p. 224.*

3. In Floridam, quæ est Americæ regio, immanibus populis horrida, & nondum ab operariis Evangelicis exculta, primam suscepit expeditionem Societas anno 1566; solvitq; illuc 29 Maji ex Hispania P. Petrus Martinius cum duobus Sociis, grandi animo & ad fortia agenda, & ad dura perferenda. *Sacchin. p. 3. lib. 2. n. 141 & Seqq.*

Eodem die obierunt.

Victima fidei in Anglia.

4. Londini in Anglia anno 1651, P. Petrus Wrichtus, Anglus, strenuus in salute & propria & aliena procuranda operarius. Captus, suspendio sublatus est, & de

more excarnificatus: quòd Sacerdos Catholicus esset. Sub ipso patibulo cùm prodiisset ministellus hæreticus promittens illi veniam & immunitatem, si Papismum ejuraret: at P. Petrus non sine stomacho tentatorem repulit, dicens: *Facesse Satana: si mille vitas haberem, mille vitas libentissimè pro Catholica religione morti offerrem.* Magnis non solùm Catholicorum, sed etiam hæreticorum laudibus celebrata est ejus in supremo illo articulo constantia, & animi fortitudo.

Constantia in fide.

5. Cracoviæ in Polonia anno 1638 Joannes Parnesius, Coadjutor, Griso. Tres quotidie horas, diebus festis quinas vel senas, dabat meditationi rerum cœlestium, quas de matutina & vespertina quiete decerpebat. Ter quot hebdomadis divina Synaxi reficiebatur Superiorum permissu; quotidie flagello in se animatvertebat, catenâ ferreâ duplici cingebatur. Inter assiduos fabri cæmentarii labores, nihil specialis refectionis quærebat, nec haustum frigidæ in summo æstu. Extremo vitæ quinquennio impetravit, ut ab omni carne piscibusq; abstineret, pane oleribusq; contentus. Sabbato, ut optaverat, & prædixerat, religiosissima morte decessit.

Meditatio prolixa.

Labor gravis cum jejunio rigido.

6. Toleti P. Petrus Rodericius. Hunc sanum & valentem, non tamen imparatum mors occupavit. Nam de illa se admonitum ante tres menses amico prædixerat: eaq; ipsa die divinum sacrificium insolita fecerat pietate, cumq; singulis diebus in se flagellis per dimidiam horæ partem sævire consuevisset, piæ crudelitati solitò liberalius indulserat. Demum negotii quidpiam adjutori domestico de ratione aliqua pecuniaria (erat enim procurator domûs) commendans, id omnino factum velim, inquit, ante certam horam: qua nimirum, in limine suburbanæ villæ stans expiravit. *Iuvencius fol. 791.*

Mors repentina prævisa.

XXX. MAJI.

1. ANno 1574 Carolus IX. rex Christianissimus in flore ætatis & regiarum virtutum, regnare ac vivere desijt, magno Ecclesiæ & Societatis incommodo. Obitum ejus hoc die ponit Spondanus. Quid sentiret de Societate, expressit tum aliàs, tum quando invisit urbem Lugdunensem. Salutatus enim à P. Edmundo Augerio (qui Tuba Franciæ propter excellentiam prædicationis dicebatur) non dubitavit in ejus ruere amplexum, & gratias agere pro susceptis in causa Religionis laboribus. Auditus etiam est dicere: Se unicum Jesuitarum Collegium pluris facere, & pro Religionis, & pro regni amplificatione, quàm omnium munitissimam totius mundi arcem: seq; Jesuitas & pro subditis fidelissimis agnoscere; & hujus Societatis incrementum ad gloriam quoq; & majestatem regni sui, atq; populi Gallicani pertinere. *Imago 1 sæculi Soc: lib. 5. cap. 10.* Et *Gomez in Elog. part. 2.*

Caroli IX regis Galliæ præclarum de Societate judicium.

2. In Polonia anno 1570, Magius Provincialis cum Stanislao Varsevicio & aliis Sociis Vilnense in Litvania Collegium constituturis, hac die Posnaniam attigerunt: excepti ibi à procuratoribus Episcopi, qui aberat, Canonicis & Magistratu, imò ab ipsis Proceribus heterodoxis, ea humanitate, ut profiteretur Magius: nusquam sibi humanitatis amplitudinem

Vilnense Collegium in Litvania conditur.

nem tantam repertam. Profecti inde Pultoviam, ubi jam Collegium conditum florebat; tandem pervenerunt Vilnam, atq; in paternos amplexus Venerabilis Senis, Valeriani Episcopi, qui desiderio Patrum, & Collegii quantocyus videndi contabuerat; tunc autem dulcibus lacrymis planè diffluebat. Domum Sociorum 30 capacem, optimè instruxerat: ideoq; post paucos dies & scholæ sunt apertæ. *Sacchinus p. 3. lib. 6. n. 101. & seqq.*

In Novam Hispaniam expeditio.

3. In novam Hispaniam, Americæ regionem, hac die anno 1579, ex Hispania profecti sunt Socii quindecim: post quorum felicem adventum mox excitatum est Collegium Angelopolitanum & alia duo. *Idem p. 4. lib. 7. n. 346.*

Eodem die obierunt.

Victima fidei in Anglia.

Carceris ærumna cilicio aucta

4. Londini in Anglia anno 1582, P. Thomas Cottamus, Anglus. Post atroces toleratas torturas, ut in Confessione audita detegeret, & à Papa recederet, cùm nihil evinci posset: consueto Catholicæ fidei reis supplicio sublatus est. Cùm raptaretur ad locum supplicii, toto itinere cum sociis Hymnum Ambrosianum cecinit. Suspensus, & ad carnificinam nudatus, repertus est cum omnium admiratione, super nudo corpore accinctus cilicio. Mirabantur nimirum homines, non satis fuisse Viro carceris ærumnas, & tormenta aliunde illata: sed tantum habuisse animi, ut voluntariis suppliciis se maceraret.

Conscientiæ manifestatio coram P. Spirituali.
Deliciæ Eucharistiæ.
Deiparæ V. favor.

5. Brunæ in Germania anno 1649, Magister Michaël Martius, Silesita, die & horâ, quam prædixerat, extinctus. Inter cætera religiosi animi decora, emicuit candore singulari in communicandis conscientiæ suæ arcanis cum Patre Spirituali. Quod aliquando agenti, miro splendore refulsit facies, ut Pater vultum Angeli sibi videretur videre. In divinæ synaxis usu, sensibili quodam cælestium deliciarum gustu sentiebat se recreari. DEiparæ V. plurimum se debere dictitabat: quòd Natali ejus die sit natus; quòd puer illam in äère adspectabili specie viderit gloriosam; quòd per eam ad Societatem sit vocatus, & non obscura Prædestinationis suæ argumenta acceperit.

Scriptor facundus Busæus.

6. Moguntiæ in Germania anno 1611, P. Joannes Busæus, Belga. Complures ibi impendit annos admodum fructuosè, tum in Theologia, tam speculativa, quàm Morali, tradenda, tum in Sodalitate Mariana excolenda. Nec contentus eo labore, fœcundissima lucubratione copiosam piorum pariter ac eruditorum librorum fudit seriem. Soutvellus in bibl. Soc: octo supra 30 recenset.

XXXI. MAJI.

1. ANno 1639 grave periculum vitæ incurrit in itinere ex superioris ordinatione, heroico planè animo suscepto, Venerab P. Nicolaus Lancicius. Cùm Bohemiam hæreticæ hostiles copiæ inundâssent, P. Rector Guttenbergensis Collegii Patrem Nicolaum cum Sociis aliquot Novam domum, velut ad securiora, expedire decrevit, designato profectioni die

31 Majî. Accessit Ven: Pater Nicolaus Rectorem, monuitq; : si recto itinere per Ledecium proficiscantur Novamdomum, periculum se non evitaturos; tres ex Sociis mactandos, alios ægrè evasuros, prædixit, addiditq; : *Se de ea re distractionem habuisse.* Hac phrasi utebatur Senex, quando aliquid divinitus revelatum acceperat. Rector non multùm pensi habuit eam distractionem, jussitq; Socios eò, quò destinaverat, proficisci. Curru vehebantur tres, Sacerdos unus, Coadjutores duo; eques sequebatur P. Nicolaus, cæteri Sociorum iter pedibus faciebant. Vix alterum à Guttenberga milliarium ingressi erant: cùm manipulus latronum hæreticorum occurrit; currum, qui præibat, invadit, ac Patrem Joannem Meagk, cum fratribus Martino Ignatio, & Wenceslao Trnoska, in eo deprehensos, trucidat. P. Nicolaus relicto in prædam equo, in sylvam se recepit, quò & alii Socii evaserunt: sed grandem passus est jacturam, amissis multis scriptis, & sacris lipsanis, quæ currui, imposuerat. Habuit tamen, quo se solaretur: quòd scilicet heroicæ obedientiæ præmium eam jacturam abunde esset compensaturum. *Balbinus in Vita lib. 1. cap. 20.*

Superiores non sint sui sensus tenaciores.

In Bohemia socij tres ab hæreticis occisi.

2. In Angliam expediti anno 1580 Personius, Campianus & alii, pridie Calendas Junii Rhemos in Gallia attigerunt. Excepti sunt summa omnium gratulatione & humanitate. Campianus rogatus, ut ad Alumnos Seminarii Anglicani verba faceret; de præstantia Martyrii disputavit: dumq; ad ignem pervenisset, quem dixit Dominus, se in terram missurum; ita exarsit: ut ingenti clamore sæpiùs ingeminaret, Ignis, Ignis, Ignis! famuliq; domestici consternati accurrerint, incendium suppressuri. Nimirum jam ardebat illo igne Campianus, quo in Anglia demum conflagravit. *Sacchin: p. 4. lib 8. n. 102.*

Expediti in Angliam Rhemis excipiuntur.

Exhortatio ardens.

Eodem die obierunt.

3. Manilæ in Philippinis anno 1621, P. Angelus Armanus, Italus, strenuus in excolendis barbaris operarius. Nullum iter offerebatur tam arduum, nulla rerum penuria tam gravis, nulla pericula tam infesta, quæ illorum causâ non subiret libentissimè. Oceani furorem prætensa S. Ignatii imagine compescuit; ex insidiis & flammis ædibus ejus injectis mirabiliter evasit. Mortuo Neophyti non vulgari ritu justa funebria persolverunt.

S. Ignatij imago.

4. In Bohemia anno 1639, P. Joannes Meagh Hibernus, cum duobus Sociis Coadjutoribus, Venceslao Tronska, & Martino Ignatio, in itinere ab hæreticis rusticis trucidatus est. Patratum id esse odio fidei, argumento est: quòd iidem homicidæ alios, qui unà iter habebant, dimiserint innoxios, imò nihil metuere jussos. Ferventibus votis expetita venit ea mors P. Joanni. In spiritualibus enim Exercitiis, quæ nuper absolverat, solitò ferventiùs exarsit desiderio fundendi pro Christo sanguinis,

Victima fidei in Bohemia.

guinis. & spes affulgebat non levis, quàmvis ignaro, quomodo id futurum esset. Frater quoq; Martinus frequentibus Martyrii æstuabat desideriis, imò & spem cælitùs conceperat Divino Eucharistiæ Sacramento pastus, vino quoq; Angelorum, dulcissimis lacrymis sese reficiebat. DEiparam V. amore tenerrimo multoq; cultu prosequebatur; quæ illum aliquando conspectu suo dicitur dignata.

Victimæ charitatis. 5. In Hispaniæ locis diversis anno 1598 grassante pestifera lue, in heroicæ charitatis obsequio felices animas posuerunt octo è nostris. Ex his Joannes Junceda hoc die occubuit. Eodem die anno 1617, Insulis in Belgio in eadem incruenta arena cum duobus sociis gloriosè occubuit Joannes Fendenier, Belga, Coadjutor, modestiæ, pietatis & sedulitatis eximium exemplar.

6. In Italiæ variis locis anno 1631 simili ex causa conciderunt decem è Nostris: inter hos hoc die P. Theodorus Varesinus, Italus.

I. JUNII.

1. A Periculosa suspicione absolutus est, S. Ignatius Compluti, anno 1527. Nobiles fœminæ, mater & filia, peregrinationem susceperant pedestrem ad varia loca sacra, per Hispaniam celebria. Ægerrimè id tulerunt amici, & inter alios Doctor quidam Theologiæ Cirvelius, Ignatio Compluti tunc studenti altioribus literis, impingentes consilium peregrinationis illius Queritur apud Vicarium Episcopi Cirvelius, tantumq; valuit authoritate: ut illico Ignatius abreptus sit in vincula & carcerem. Sed libertatem loquendi de Divinis, & ad salutem spectantibus, non amiserat. Concursus fiebant ad carcerem, quò etiam se recepit celebris S. Scripturæ in illa Academia Interpres, Georgius Naverus. Is cùm tam attentus penderet ab ore Ignatii, ut præterlabentem Lectionis horam non sentiret: mox ut ad tempus prope elapsum advertit, festinavit ad auditorium, & opperientibus in atrio discipulis, *Vidi*, inquiebat stupens, *Paulum in vinculis!* Interim dum Vicarius Figneroa multiplici examine cognoscit de causa Ignatii: adsunt ex peregrinatione sua reduces fœminæ, statimq; juridicè interrogatæ, an ipsis author itineris fuisset Ignatius? cumulatè illum ab eo consilio vindicârunt. Calendis ergo Junii ad audiendam sententiam sistitur, quâ doctrinæ, vitæq; inculpatæ pronunciabatur, sed prohibebatur uti habitu talari, & privatis etiam hortationibus abstinere, dum residuos tres Theologiæ annos decurreret. Quæ causa fuit, ut Ignatius Salmanticam transierit, ad illos etiam carceres sanctificandos. *Bartoli in Vita lib. 1. n. 33*

S. Ignatius magnus in carcere concionatur.

Absolvitur.

Collegium Parisiense vexatur. 2. Parisios anno 1564 hoc die ingressus P. Oliverius Manaræus Provincialis, reperit Collegium recens valida tempestate concussum ab Academicis:

demicis: qui eò rem deduxerant, ut juſſu P. Rectoris Scholæ Collegii ſint clauſæ. Tumultuari hinc diſcipuli noſtri, qui jam millenarium numerum exceſſerant, & vindictam coquere, libellis ultro citroq; miſſis. Admonitus à P. Rectore Senatus regius ſcholas reſtituit; & viſa eſt quieviſſe tempeſtas, ſed ut atrocior inſurgeret. *Sacchin. p. 2. lib. 8. n. 89.*

3. Hoc die P. Riccius anno 1595 Pekinum venit, ubi cùm omnia intuta & periculoſa reperiſſet, Nankinum cogitur profugere: Inde quoq; Xaoceam abire cogitabat: ſed hominis ignoti oblata per quietem ſpecies erexit mœrentem & fugam inhibuit. Unum aliquem è cœleſtibus geniis crediderim, quibus regnorum & populorum cura credita, vel ipſum Angelorum regem Chriſtum, qui jacentem ac prope deſperantem famulum conſolari voluerit. Videbatur ſibi Riccius ad ejus pedes provolui flens & opem ſuppliciter implorare: evigilanſq; diſcuſſo ſomno, lacrymis perfuſum ſe ſuis, ac ſimul tanta ſpe gaudioq; delibutum ſenſit, ut reſponſura votis omnia, quidquid ſecus videretur, minimè dubitaret. *Juvencius lib. 19. p. 5.*

Eodem die obierunt.

4. Murciæ in Hiſp. anno 1566. P. Jacobus Suarez Hiſpanus, conſtantia in vocatione religioſa memorabilis. Cùm nullis artibus aut minis induci poſſet ad Societatem deſerendam; ſtricto ferro aggreſſus eum eſt pater in templo: at Jacobus abductum in Collegium prudenter tranquillavit. Orandi ſtudio ita erat addictus, ut Chriſti monitum de orando perpetuò, viſus ſit accuratè impleviſſe. Non ſemel moniales S. Claræ ad Collegium miſerunt nuncium, ſignificantes: ſupra tectum Collegii flammam validam & incendium noctu apparere. Facta diligenti inquiſitione à P. Miniſtro & Janitore, non aliud repertum eſt; quàm quod P. Jacobus ardentiſſimè inſiſteret orationi, à terra ſublimis, nec advertens, an & quis ad ipſum eſſet ingreſſus. Advocatus P. Rector idem vidit: nec aliunde, quàm è Patris Jacobi pectore, creditum eſt, flammam illam erupiſſe.

In Vocationi conſtantia.

Oratio aſſidua

Flamma ſupra Collegiū teſtis orationis ardentis.

5. In inſula Majorica anno 1601. Jacobus Ruiz, Coadjutor Hiſpanus, per annos 30 laborioſo coci munere laudatè functus. F. Alphonſus Rodriquez, cùm pro defuncto coronam DEiparæ V. recitaret: vidit illum in cœlo facie jucunda, lateri cælorum Reginæ aſſiſtere, juſſusq; eſt, id aliis nunciare.

Cocus per annos 30 Deiparæ charꝰ

6. Romæ anno 1630, P. Andreas Barpi Italus, heroicæ charitatis, impenſæ peſtiferis, præmia percepit.

Victima charitatis.

7. In Æthiopia, ineunte Junio, anno 1658, P. Apollinaris Almeida, Epiſcopus Nicænus, Luſitanus, peremptus eſt in odium fidei, cum duobus ſociis, P. Hyacintho Franciſci Italo, & P. Franciſco Rodriquez Luſitano. Cùm toti eſſent in gente illa ab erroribus in fide purgenda, atq; ad Eccleſiæ Romanæ communionem perducenda, inter expiandum Catholicos deprehenſi, canum inſtar tracti, ex arboribus ſuſpenſi, & ſemivivi lapidati ſunt. Cadavera beſtiis objecta, ſed ab ipſis non læſa.

Epiſcopus è Societate cum duobus Sociis in Æthiopiâ fidei victima.

Habebat Episcopus pro sigillo SS. JESU Nomen cum Inscriptione: *Dedisti eum escam populis Æthiopum*. Psal. 73. *Nadasi ponit 14 Iunii.*

II. JUNII.

Calumniator S. Ignatii incendio perit.

1. CUm Vicarius Complutensis, ut heri relatum, jussisset S. Ignatium talarem deponere habitum, & studiosis communi uti; iste autem egestatem suam ad novum comparandum vestitum prætendisset: commisit Vicarius Luzenæ cuidam, honestissimo viro, & in pauperes propensissimo; ut operam suam in eo negotio commodaret Ignatio. Dum ad ditiorum subsidia respiciunt, incidunt in turbam nobilium, prope ædes Lopii Mendosæ pila ludentium. Eleemosynæ igitur aliquid petit Luzena. At Lopius, pridem Ignatii monitis de corrigenda morum licentia, offensus; *Non pudet* (inquit Luzenam alloquens) *clarum virum mendicum agere, idq; in hujus nequissimi, & flagitiosi hypocritæ gratiam? Velim vivus ardere nisi sit hic planè rogo dignus.* Indignati sunt socii colludentes, sed magis DEus. Paucis interjectis horis Complutum allatum est nuncium, de Philippo II. feliciter in lucem edito. Sequuntur mox gratulationum & lætitiæ apparatus. Lopius, ut erat nobilis, ex edito sui palatii, cum servo & ephebo, pro virili sua totus erat in explodendis bombardis: cùm scintilla iræ divinæ flatu, in acervum nitrati pulveris incidens, grandem concitavit flammam, qua involutus Lopius, dum rabiosè vociferans, in aquam se præcipitat, animam efflavit. Sic vidit Ignatius Magnum spectaculum, *DEum pro se armatum*, ut loquitur Augustinus. *Bartoli lib. 1 Vitæ n. 34. Similia habet idem lib. 5. n. 2. & 3. de Religiosis quibusdam calumniatoribus.*

Domus Professa Toletana præclara initia.

2. In Hispania Toleti anno 1566, loco Collegii, quod inchoatum erat, condita est Domus Professa, evocatis ad eam constituendam viris primariis, qui vel Collegia, vel Provincias rexerant, atq; inter eos Simone Rodericio, uno ex primis decem. Omnium & singulorum mirus erat ardor, & studium religiosæ observantiæ & perfectionis. Distributis in horas singulas cujusq; diei religiosis exercitationibus, gaudebant viri gravissimi, se, post longa magisteria, iterum velut in tyronum officinam redigi, & quasi rudes informari. Die Lunæ Provincialis de Constitutionibus Societatis loquebatur; die Mercurii Antonius Corduba de Confessariorum officio; die Veneris Emmanuel Lopez de ratione Spiritum excercendi per Exercitia S. Ignatii; & sic de cæteris diebus. Conceptus domi spiritus fundebatur mox in urbem, Apostolicis laboribus excolendam, tanta civium approbatione: ut eorum beneficentia, quod fieri solet, certa-

Studium singulare perfectionis religiosæ.

ret cum fervore operariorum Evangelicorum. *Sacchin. p. 3. lib. 2. n. 65, & seqq.*

Eodem die obierunt.

3. Romæ anno 1591, P. Ludovicus Corbinellus, Italus, qui Romanum Collegium & virtutibus & beneficiis eximiè ornavit. Morti vicinus, ter unâ eademq; nocte apparuit B. Aloysio, & ipsi ægro, opemq; imploravit pro extremo agone feliciter absolvendo: dicebat enim se ipsius metu gravissimè discruciari. Defuncto intra eam noctem P. Ludovico, manè B. Aloysius dixit P. Bellarmino: eum absq; morâ Purgatorium transivisse: expiatum scilicet sufficienter per acerbum agonem. *Agoni i gravi loco Purgatorij.*

4. Ibidem anno 1593, Michaël Herera, Coadjutor Hispanus. Cùm adhuc militaret sæculo, à Carolo V Imp. primùm in Angliam, deinde Constantinopolim ad Solimanum missus, orto inter Carolum & Solimanum bello, in vincula conjectus est. E quibus tandem liber, à temporalis Domini obsequiis, ad Æterni transiit. Societati adscripto, prope sexagenario, sed ore ac opere valenti, Sacerdotium instanter obtulit S. Borgia: at Michaël elegit, abjectus vivere in domo DEI; vixitq; annos 34, æquè externis ac nostris charus. *Vir illustris Coadjutorũ gradum in Societ. eligit, & constanter tenet.*

5. Hispali in Hisp. anno 1649, P. Andreas de Cazorla Hispanus, pretiosa morte occubuit in obsequio pestiferorum. Inter prima Boeticæ Provinciæ lumina censebatur. Quoquo se verteret, in id erat inprimis intentus: ut omnibus, cum quibus agebat, quàm maximum peccati horrorem afflaret. Imminebat deinde in omnem propagandæ divinæ gloriæ, & procurandæ salutis humanæ occasionem, sacras expeditiones suscipiendo, parvulos Christianâ doctrinâ instructos per compita ductando, adultos Divini verbi pabulo pascendo, pro Sacro Tribunali assiduè aures dando, ac velut scintilla in arundineto discurrendo, omnesq; inflammando. Cùm iter ageret, in diversoriis ipsis divisam in choros familiam, ut è ritu Rosarii DEiparam V. salutarent, suaviter inducebat: ubiq; & magna potens authoritate, & mirabili pollens dexteritate. *Victima charitatis.* *Peccati horror*

III. JUNII.

1. PAulus III. anno 1545 concessit Societati peramplam facultatem Concionandi, Confessiones audiendi, absolvendi, & alia Sacramenta ministrandi Breve incipit: *Cùm inter cunctas solicitudines &c.* Bullar. Soc. *Facultas concionandi, & Sacramenta ministrandi.*

2. In Hispania insigne ornamentum Societati accessit anno 1558, Franciscus Toletus, primus postea è Societate Cardinalis. Salmanticæ Societati adscriptus est hoc die, Sacerdotio jam initiatus, & Magistri in Theologia insignibus ornatus, tanta opinione doctrinæ, ut annos natus 23 ibidem publice philosophiam sit interpretatus; nec aliquis in tota Hispania creditus sit illi par ingenio & doctrinâ. Dominicus Sotus Toleti Professor, *Prodigium ingenii* ipsum appellabat. *Soutvellus in Bibl. Soc.* *Franc. Toletus Societatem ingreditur.*

3. In Belgio anno 1578 ab hæreticis regi Catholico perduellibus, Tornaco ejecti sunt Socii; quòd juramentum non admiserint de Austriaco *Socij Tornaco ejecti.*

hoſtis loco habendo, & perſequendo, *Sacchin. p. 4. lib. 6. n. 142.*

Domicilii Tuſculanum inchoatum.

4. In Italia, quàmvis ad quadraginta circiter civitates anno 1559 vocaretur Societas, ad nullam, præter Tuſculanam, ductæ ſunt coloniæ: quòd is locus Urbi vicinus, & àëris ſalubritate commendatus, maximè idoneus eſſet, non tam Collegio inſtituendo, quàm opportuno diverſorio, in quo Collegii Romani numeroſiſſimi, reſpirarent, ac reficerentur infirmi, & laboribus ſcholaſticis feſſi. Qua opportunitate etiamnum gaudet Collegium Romanum. *Sacchin. p. 2. lib. 3. n. 48.*

Legati Iapones Româ abeunt.

5. Romæ anno 1585 Legati Japonici, munere ſuo rite perfuncti, reditum in patriam aggreſſi ſunt, deducente ipſos Hippolyto Volia è Societate, in cujus Domo Profeſſa tantiſper commorati fuerunt. Creaverat illos Sixtus V. Pontifex equites aurei calcaris, ut vocant, à Romanis in Patritiorum numerum relatos. Muneribus dignis Pontifice, quæ ad principes ſuos deferrent, ſunt inſtructi. Ad quaterna millia aureorum, quæ Gregorius XIII Eccleſiis & Seminariis Japoniæ conſtituerat, duo millia adjecit Sixtus in ſingulos annos, præter liberale viaticum & varia donaria ipſis legatis oblata: quos per totum ſtatum Eccleſiaſticum gratuitò & honorifice excipi mandavit. *Sacchinus p. 5. lib. 5. n. 17. & ſeq.*

Eodem die obierunt.

Operario ſtrenuo vult Chriſtus uti diutiùs.

6. Zagrabiæ in Croatia, anno 1617 P. Petrus Vragonitius, Croata, unus è duobus, qui Societatem in Croatiam induxerunt. Primis ab ingreſſu in Societatem annis, ex inſidiis graviter in capite vulneratus, & ad extrema redactus, clara luce habuit adſpectabiles, Chriſtum D. cum Matre ſua; audivitq; hanc Filio dicentem: *Quid huic? An id, quod petit, faciemus?* Chriſtus reſpondit Matri: *Sine, Mater, modicum opus eſt, ut laboret.* Evanuit viſio, & Petrus ſine mora convaluit, egitq; naviſſimum annis 30 per Hungariam & Croatiam operarium.

Via arcta ad cœlum.

7. In itinere Indico anno 1618, P. Quintinus Couſin, Belga, animarum zelo præſtans. Quàmvis egiſſet vitam cum virtute, ordinariam longè ſupergreſſa; in mortis confinio conſtitutus, identidem magno ſenſu in hæc verba erupit: *Arcta via, quæ ducit ad cœlum, arctior arctiſſima!* Sed paulò pòſt oculis in cælum ſublatis, & junctis ante pectus manibus, placidè conquievit.

Vir omnibus numeris abſolutus.

8. Lugduni in Gallia, anno 1626, P. Franciſcus de Mendoza, Luſitanus, nobilitate generis, omnigenâ literaturâ, & morum innocentiâ eximius. Libros Regum Hebræorum egregiis Commentariis illuſtravit. Romæ, quò à Provincia ſua miſſus fuerat Procurator, illud tulit elogium: ut Præpoſitus Generalis Virum dixerit omnibus numeris abſolutum, Concionatorem, Scriptorem, Doctorem, Superiorem, & Religioſum perfectum. Reducem ex urbe mors intercepit in Gallia, pridem optimeque paratum. Virginitas illi perpetua, Legum obſervantia ſumma, prandium tenue, cœna vix nulla, Concio nunquam ſine cilicio. Quidquid ageret, ingenio & zelo ſummo, ſummum conjungebat laborem.

IV.

IV. JUNII.

1. IN Livonia Rigæ anno 1585 cives Ecclesiæ & Regi Poloniæ Stephano rebelles, decreta quædam extorserant à Senatu, Ecclesiæ & Societati periniqua. 1. Ut Collegium Societatis in ea urbe non esset. 2. Ut Jesvitarum numerus, qui ibi tolerandi essent, definiretur. 3. Ne SS. Sacramentum Eucharistiæ per compita palàm deferretur &c. Quæ omnia authoritate regia, hoc die, Cardinalis Radivilius rescidit. Consternata hoc fulmine civitas, mitiùs agere cœpit: cùmq; Possevinus è Moschovia illuc appulisset, non humaniter solùm, sed honorificè exceptus est à Rigensibus; volueruntq; eo uti patrono apud regem sibi conciliandum. Sed ille reposuit: non alio opus esse remedio, quàm ut ipsi regiæ authoritati & clementiæ sese submitterent. Nihil enim ipsis esse nocentius, quàm regi tam potenti & sapienti refragari. Videbatur rebus turbidis redire serenum, cùm importuna mors Stephani anno sequenti omnia turbavit. *Sacchin. p. 5. lib. 5. n. 91. & lib. 6. n. 40.* *Turba Rigenses contra Societatem.*

Eodem die obierunt.

2. In America apud Taraumatenses anno 1650. P. Cornelius Beudin Godinez, Belga, in odium fidei cæsus est. Comprehensus à barbaris, quòd invectis peregrinis sacris, populum à patriis diis averteret, raptatus ad templum & aram, atq; inde in cœmeterium, crucem ibi fixam arripuit; in cujus complexu telis confessus, clavâ pulsatus, & strangulatus est. Biennio pòst corpus incorruptum repertum, innocenti animæ sanctitatis testimonium dedit. *Victima fidei in America.*

3. Waterfordiæ in Hibernia anno 1650, P. Iacobus Valesius, Hibernus, serviendo pestifera lue laborantibus, victima charitatis cecidit. Angelica illi anima, corpus nulla voluntaria labe inquinatum, industria mirabilis ad hæreticos convertendos. *Victima charitatis.*

4. Compluti in Hisp. anno 1669, P. Ioannes de Almarza, Hispanus, ardens Ecclesiastes, præsertim contra spectacula, & vestium luxum. Quamvis doctrinâ & ingenio præstaret: Grammaticæ tamen rudimentis perplures annos tradendis, se addixit. Inde ad Apostolicas expeditiones se transtulit: ad quas ut Scholasticos nostros incitaret, & assuefaceret: quo tempore vacabatur à studiis, educebat eos ad vicinos pagos, ad instruendos rudes in rebus fidei, & actu Contritionis eliciendo: quos ipse deinde Sacramento pœnitentiæ expiabat. Tenerrimo affectu, præter S. Josephum, Joachimum & Annam ferebatur erga S. P. Ignatium: à quo non unam prodigiosam gratiam est expertus. *Grammaticæ institutio altioribus lectionib9 prælata. Scholasticorum Soc: institutio.*

5. Romæ anno 1667 P. Sfortia Pallavicinus, Italus, S. R. E. Cardinalis, purpurati Senatûs & Societatis nostræ decus eximium. Quantus esset vir futurus, ostendit juvenis: quando Romæ, 21 annos natus, ex universa Theologia toto triduo disputavit, cum doctissimorum stupore & plausu. In Curia Urbani VIII adscriptus Prælatis utriusque Signaturæ, dein etiam Congregationibus de bono Regimine & Immunitate Ecclesiastica, deniq; Gubernator factus variarum civitatum, honores hos omnes, *Disputatio Theol: triduana. Honorum contemptus.*

nes, & sublimiorum spes, cum avito Marchionatu, sprevit, atq; in gremium Societatis convolavit. Sapientiam ejus & doctrinam satis prædicant tum gesta ejus, tum scripta, præsertim Historia Concilii Tridentini. Ab Alexandro VII in Sacrum Cardinalium Collegium, interposito præcepto, cooptatus, semper Societatis amantissimus vixit, quam etiam moriens circumfusis Sociis & aulicis, eximiè commendavit, Domumq; Probationis hæredem suam fecit. *Sotuvellus in bibl. Soc.*

V. JUNII.

Facultas data Societati admittendi Coadjutores spirituales & temporales.

1. ANno 1546 Paulus III facultatem Societati concessit, per Breve *Exponi nobis nuper fecistis &c.* admittendi Coadjutores tam Spirituales, quàm Temporales, qui emittant tria consueta vota, & non teneantur ad emittendam solemnem Professionem: fiant autem participes omnium meritorum, quibus gaudent Professi. *Bullar. Societ.*

Eodem die obierunt.

Castitas fortiter asserta.

Iob novus.

2. Manilæ in Philippinis insulis, anno 1622, P. Joannes de Ribera, Hispanus, assertâ fortiter pudicitiâ suâ, & heroicâ patientiâ insignis. Adolescens à procaci fœmina solicitatus, exemplo Patriarchæ Josephi, gloriosâ fugâ sibi consuluit; relictâ vestis parte in manibus lupæ. Ad Societatem venit, illud sibi occinens: *Fallax gratia, & vana est pulchritudo.* In supremo morbo à capite ad calcem copioso ulcere percussus, auditâ identidem patientis Jobi historiâ se sustentabat, donec religiosa mors, die quam prædixerat dolori finem fecit.

Coadjutorum gradus electus

3. Limæ in Peruvia, anno 1610, Franciscus Lopez, Hispanus, ex generali totius regni Peruani Visitatore, Societatis humillimus & laboriosissimus Coadjutor. Ad sacros Ordines suscipiendos, nec à Superioribus, nec ab Archiepiscopo adigi potuit. Videtur DEus prærogativam Ordinis illi compensâsse insigni dono Orationis & lacrymarum.

4. Manresæ in Hispania anno 1627, P. Jacobus Tonera, Hispanus. Quadragesimas duas supra triginta ferventissimis concionibus exantlavit, magno labore, gratiâ, & fructu animarum. In Missionibus quoq; mirè fælix, cùm ad locum quendam noctu appulsus, intellexisset: magnam isthinc pluviæ necessitatem esse; manè serenissimum cœlo pulpitum conscendit, & magna vi dixit contra peccata, quæ cœlum claudunt, & aperiri non sinunt. Unde primùm ex oculis auditorum copiosa lacrymarum copia manavit; & antequam è templo pedem efferrent, opportunum imbrem hortis agrisq; cœlum effudit.

VI. JUNII.

S. Norbertus Strumam curat.

1. S. Norbertus Archiepiscopus Magdeburgensis, cujus hodie celebratur festum, invocatus ab adolescente Matthæo Peittenberger, Bohemo; ut sublatâ strumâ, aptus redderetur Societati, quam expetebat. Auditus est, & adjutus. Evanuit Struma, & Matthæus in Societatem admissus, egregium præstitit Noviciorum Magistrum, & in pestiferorum obsequio operarium. *Nadasi in Anno dier. Memor.*

Eodem

Eodem die obierunt.

2. Yendi in Japonia anno 1634, P. Sebaſtianus Viera, Luſitanus, cum quinq; Sociis Japonibus Novitiis, in odium fidei peremptus. Vices Provincialis cùm ageret, magno Japonicæ Eccleſiæ bono, ſparſæ ſunt longè lateq; imagines, vultum ejus referentes, ut caperetur; capienti promiſſi Aurei mille. Captus tandem, atq; in carcerem conjectus, cùm ſolicitaretur ad defectionem, reſpondit: *Se, jam tres & ſexaginta natum annos; à DEo ſuo plurima & maxima accepiſſe beneficia; ab Imperatore verò Iaponiæ non niſi compedes & carceres cur ergo illum immortalem, in hujus mortalis gratiam deſereret?* Ad ſcrobem ergo damnatus, prono capite in foveam ſuſpenſus eſt à pedibus, cum quinq; Sociis illis, totoq; triduo tormentum illud ſuſtinuit, ac cæteris extinctis, ſupervixit. Suppoſito demum igne cruciatus, & poſt extracta viventi adhuc viſcera, combuſtus eſt.

Victima fidei ſexin Iaponia.

Conſtantia in fide.

Tormenta immania.

3. Huetæ in Hiſp. anno 1583, P. Joannes Gonzalez. heroicæ charitati immortuus eſt. Cùm enim moribundum quendam permovere nullo modo poſſet ad pœnitentiam, ſolicitus de animæ æterna jacturâ & calamitate; caput ſuum DEo devovit in Miſſæ Sacrificio, pro miſeri illius ſalute. Sacrificio vix peracto, miſer ille Confeſſarium inclamavit. Vocatus P. Joannes, ſeriò contritum audivit confitentem, & rite abſolutum expedivit eâdem circiter horâ, cum bona ſpe in viam felicis æternitatis. Ipſe verò morbo repente correptus, reum ſe voti ſentiens, ſine mora ad eandem viam ſe accinxit, obiitq; non minore ſuo gaudio, quàm noſtro ſtimulo.

Victima excellentis charitatis.

Pro impœnitente caput ſuum devovet Confeſſarius.

4. Hiſpali anno 1649, Michaël Perez, Coadjutor ab ægris contracta lue extinctus eſt; poſtquam ducentis illa lue infectis, accuratiſſimâ diligentiâ ſervivit.

Victima alia charitatis.

5. Apud Sinas in urbe Hangcheu anno 1661 P. Martinus Martinius, Germanus, ſtrenuus & induſtrius ibidem operarius. Miſſus Romam illius Vice provinciæ procurator anno 1651, poſt multa pericula terminum attigit, & feliciter expeditis negotiis, reverſus eſt in vineam ſuam cum ſelectis 17 Sociis, ex quibus ſeptem in itinere occubuerunt. Præter libros idiomate Sinenſi editos de Religione Chriſtiana, edidit in itinere typis Hollandicis laudatiſſimum opus, *Atlantem Sinenſem*, ſeu deſcriptionem Imperii Sinenſis, Tabulis Geographicis illuſtratam *Soutvellus in bibl. Soc.*

Atlas Sinenſis P. Martinii.

VII. JUNII.

1. IN ſacro Tridentino Concilio celebrata eſt anno 1546 Seſſio V, cui ex Societate adeſſe juſſi ſunt PP. Lainius & Salmeron, tanquam Theologi Pontificii Tridentum ubi attigerunt, à Legatis Sedis Apoſt. peramanter excepti ſunt, oblatumq; illis apud ipſos hoſpitium & menſa liberalis. At Patres in noſocomium S. Eliſabethæ recipere ſe maluerunt, ex præſcripto S. Ignatii; ut humilibus charitatis officiis ſe melius diſponerent ad dicendam in auguſto illo conſeſſu pro dignitate ſententiam. Quo procedendi modo maximam ſibi apud Conſcriptos Patres conciliarunt æſtimationem & gratiam: quæ incredibiliter aucta eſt, poſtquam auditi ſunt. Primus inter cœteros ſententiam dicebat Salmeron, Lainius poſtremus:

Lainius & Salmeron Pontificii Theologi in Conc. Trid.

cujus

cujus erat varias Theologorum sententias compendio referre, ponderare, & suffragio suo vel firmare, vel confutare. Quem ordinem deinceps Legati Apostolici servari voluerunt. Quam pimùm se prodidit Theologorum nostrorum eruditio: mutata est confestim concepta de illis, tanquam hominibus novis opinio, intellectumq; quantum sapientiæ lateret sub vili pallio. Nam cùm initio pannosi, & male vestiti in illius theatri conspectum sese dedêre; ipsis Hispanis contemptum moverunt. At ubi reconditæ intus ingenii opes effulserunt, agnovêre populares suos, & gratulati sunt nationi suæ viros tam egregios. *Orland. p. 1. hist. Soc. lib. 6. n. 21. & seq.*

P. Oliva Vicarius Generalis constituitur.

2. In Congregatione Generali XI electus est in Vicarium Generalem perpetuum, & cum jure successionis P. Joannes Paulus Oliva, Genuensis, Patritiæ familiæ, qui Avum & Avunculum habuit Serenissimos Duces illius Reip. Domum probationis Romanam decennio, & Collegium Germanicum iteratò rexerat; etiam in minoribus visus par muneri maximo. *Ex Decr. Congr. XI. & Soutvelli Biblioth.*

Varsevicij in Suecia infructuosa expeditio.

3. In Sueciam anno 1574 ad Joannem regem hoc die Vilnâ profectus est, missu Pontificis, P. Stanislaus Varsevicius: ut modum viamq, tentaret, prædictum regem cum populo suo reducendi in gremium Ecclesiæ. Nihil laboris & industriæ intermisit: non tamen aliam obtinuit resolutionem, quàm lentè ac secretò se conaturum, ut ritus priscos instauraret. Cæterùm nullam apparere spem Suecos ad Ecclesiam Romanam reducendi: nisi Pontifex Communionem sub utraq; specie populo, Sacerdotibus autem concederet conjugia. Sic præcisa melioris eventus spe, Varsevicius in Poloniam se recepit. *Sacchin. p. 4. lib. 2. n. 33.*

Eodem die obierunt.

Victima fidei in India.

S. Xaverius singularis Patronus periclitantis Castitatis.

Scrupuli deponendi: Patientia assumenda.

4. Bubayeni in India anno 1642 P. Bartholomæus Sanchez Hispanus, à barbaris interemptus. Multa ei fuit erga Indiarum Apostolum S. Xaverium, devotio, fiducia, & quædam confidentia; sentiebatq; : se acriter incitari ad ejus virtutes Apostolicas imitandas. In eodem Sancto suave præsentissimumq; præsidium inveniebat, quando quidpiam Angelicæ virtutis puritati oppositum, menti injiciebatur. Et videbatur sibi à DEipara V. instinctu interno monitum: ut ad hanc victoriam Xaverio Patrono uteretur. Cùm aliquando Calendis Decembris, coram sui Xaverii effigie supplex oraret: vidit totam Sancti imaginem grandi cruce contectam: quod mysterium evolvit eventus, morte à barbaris illata, ab uno sicâ vulneratus in gutture, ab altero bifariam dissectus. Aliàs anxio, an rite Sacris Ordinibus esset initiatus, allapsa cælitus vox est: ut se in Sancti sui manibus relinqueret, pati, & cum imitari paratus.

5. Pragæ in Bohemia anno 1667. P. Rodericus de Arriaga, Hispanus, ob subtilitatem

litatem ingenii, doctrinæ præstantiam, & virtutis religiosæ meritum, inter præcipua Societatis lumina numerandus. Profectionem ejus in Bohemiam, divinæ Majestati gratam esse, significavit D. Marina de Escobar, Virgo sanctitate celebris. In Pragensi Collegio versatus est annos supra 40, Theologiæ Professor, Academiæ Cancellarius, & Generalis studiorum Præfectus magnâ nominis sui famâ etiam per alias Universitates. Superiorum disciplinarum rem auxit egregiis Tomis 8, uno Philosophico, cæteris Theologicis: dum ultimum, de Jure & Justitia pararet, ad præmia evocatus est. Nec minus perfectionis, quàm scientiarum semper fuit studiosus. Orationi horas aliquot per diem sanctè impendebat; in itineribus non minùs ei addictus, recipiebat se in angulum aliquem diversorii, ut DEo vacaret: domi verò fere nunquam visus est aliud agere, quàm vel studere, vel orare. Paupertatis studio, unicâ interulâ malè sartâ, per annos 26 usus est. Quàmvis in summa esset æstimatione, non solùm inter doctos, sed etiam apud Urbanum VIII & Innocentium X Pontifices, atq; Ferdinandum III Imperatorem; sibi vilis, cum Sociorum ultimis agebat, ut unùs ex illis; ferebatq; æquanimis acriorem subinde impugnationem sententiarum suarum. *Soutvellus in bibl. Soc.*

P Arriaga labores scholastici

Orationis studium inter studia.

Paupertatis amor.

VIII. JUNII.

1. ANno 1622 Indulgentiam plenariam perpetuam pro festis SS. Ignatii & Xaverii, in templis Societatis concessit Gregoris XV. *Nadasi in Indice Memor.*

Indulgentia pro festis S. Ignatij & Xaverij.

2. Postulante Alberto Bavariæ Duce, anno 1556, Socii 18 Româ profecti sunt, Ingolstadii domicilium fixuri, ad restituendam Academiam illam valde collapsam. Laboratum est initio incommoditate non modicâ: sed omnem sensim sustulit eximia Ducis benignitas & liberalitas. Doctores Academici perbenevolos se præbuerunt hospitibus, memores adhuc Salmeronis, Jaji, Gaudani, Canisiiq;, qui olim Ingolstadii magno plausu docuerant. *Orlandin. p. 1. hist. Soc. lib. 16. n. 23.*

Ingolstadium expediuntur Socij Româ.

Eodem die obierunt.

3. Romæ anno 1649, P. Vincentius Carafa, Generalis Præpositus Societatis, Italus ex principe Carafarum familia. Ab ipsa infantia præventus à DEo in benedictionibus, per semitas magnorum Sanctorum ad sublimem Sanctitatis gradum conscendit. Puer, innocentiæ & pietatis merito, Angelus carne vestitus appellabatur: & vidit illum Angelico vultu nitentem, cælestiq; luce circumfusum, dum Eucharisticæ mensæ accumberet, P. Julius Mancinellus. Sive Collegia, sive Provinciam, sive universam regeret Societatem: talem semper se præstitit ad amussim, qualem Constitutiones Societatis requirunt; id est, conjunctissimum cum DEo, exemplo magis quàm verbo regentem, mitem & fortem, suaviterq; severum. Charitatem suam erga indigentes, magno splendore explicuit. Potissimum anno 1649, quando summa annonæ caritas premebat urbem. Corrogatis magnâ industriâ eleemosynis, quotidie ante portam domûs Professorum alebat millenos, ordinatim dispositos, per duos circiter menses. Ipse distribuebat escas, & addebat condimentum doctrinæ spiritualis.

Adolescens Angelus.

Superior suaviter severus.

Charitas & liberalitas erga egentes.

Translatis dein, jussu Pontificis, ad Lateranense palatium mendicis, non desiit illis inservire; donec ex obsequii contentione contracta febri, vitam Sanctam morte sancta conclusit, ante & post fata prodigiosis gratiis honoratus à DEo. Spiritum ejus spirant piissima Opuscula ab ipso edita, plena Seraphici amoris.

Victima charitatis Romæ.

4. In civitate S. Jacobi, apud Americanos anno 1633, P. Joannes Darius, Italus, vir ad omnium sincera obsequia natus. Surgebat subinde noctu, & culinæ supellectilem mundabat. Si audiret prolatas in platea voces DEi offensivas, in cubiculo acriter se flagris accipiebat. In Peruvia & Paraquaria, ardua multa exantlavit. Pro lectulo illi erat asser aut sella, pro brevi trium horarum somno, idq; constanter per annos 40. E cubiculo exiturus, & eò redux, ad Crucifixi pedes provolvebatur. In ejus offensas tanto passim zelo invehebatur; ut capitalis peccati hostis diceretur.

Culina obsequia. *Somnus brevis & durus.* *Peccati odium capitale.*

5. Græcii in Styria anno 1664. P. Paulus Rosmer, Belga. Viennæ & Græcii Theologiam Scholasticam annis 16 eximia ingenii & doctrinæ commendatione prælegit. Pro felici morte, inter alios, S. Dÿsmam Latronem, Christi in cruce Socium, singulari cultu sibi conciliabat. S. Paupertatis amore, cubiculum uti acceperat, post annos tredecim moriens reliquit, nullo prorsus vel impedimento amoto, vel commoditate adjecta. *Soutvellus in bibl. Soc.*

S. Latro patronus pro morte. *Cubiculum egenum.*

IX. JUNII.

1. HAbita est Disputatio XVIII. de Auxiliis Gratiæ, anno 1602 coram Clemente VIII. Argumentum disputationis fuit: *An Concilium Tridentinum Sess. 14. cap. 4. & Can. 5. obstet ijs, quæ de Contritione & Attritione docet Molina?* Respondit P. Arrubal, non obstare. Quia nullibi docet Molina; hominem justificari posse per Attritionem vel Contritionem naturalem: quàmvis doceat: viribus naturæ elici posse actum aliquem attritionis vel contritionis (prout docuerunt complures Theologi veteres) insufficientem ad salutem. Quin potiùs apertè docet passim, tum in genere: quæ fiunt ex viribus naturæ, nullo modo deservire ad justificationem aut ad finem supernaturalem; tum in specie disp. 14. §. *Post hanc*, expressè dicit, ex citato loco Concilii, requiri Attritionem supernaturalem; & oppositam sententiam non esse tutam in fide. *Eleuther. lib. 5. hist. de Auxil. cap. 22.*

Attritio vel Contritio naturalis non sufficit ad justificationem.

2. In Austria serenissimus refulsit hic dies ortu novi Sideris, & quidem primæ magnitudinis, Leopoldi I, Augustissimi Imperatoris, Ferdinando III. Imp. geniti, in magnam Romani Imperii gloriam, Ecclesiæ Catholicæ incrementum, Societatis protectionem & honorem, Turcarum autem & sectariorum ruinam.

Leopoldus I Imp. nascitur.

3. Lainius Præpositus Generalis, rebus præclarè gestis in Gallia, quò à Pontifice missus fuerat, revocatus ab eodem ad Concilium Tridentinum, anno

anno 1562, hoc die è Gallia in Belgium movit. Exceptus est ibi tanta humanitate non solùm Granvellani Cardinalis, & Margaritæ Gubernatricis; sed omnium Ordinum: ut, cùm se omnibus, ejus alloquium petentibus, dare non posset; maturare exitum è Belgio debuerit, admissis, quæ inter alia petebantur Collegiis, Cameracensi & Antverpiensi, *Sacchin. p. 2. lib. 6. n. 70.* *Belgarum Humanitas erga Lainium.*

4. In Gallia anno 1587 Visitator Magius convenit regem Henricum III, à quo singulari benignitate exceptus, omnia ad votum habuit, præter illud; quòd rex Superiores Collegiorum & Domorum Societatis in Gallia non alios esse voluerit, quàm Gallos. De cætero libenter indulsit, ut Visitator omnia administraret ex moribus legibusq; Societatis. *Sacchin. p. 5. lib. 7. n. 63.* *Henricus rex Gall. solos Gallos vult Superiores in Gallia*

Eodem die obierunt.

5. Reritibæ in Brasilia, anno 1597, P. Josephus Anchieta, Thaumaturgus, & Apostolus gentis illius, quam totis 44. annis indefessus excoluit. Oriundus fuit ex una Fortunatarum insularum, quam Tenerifam dicunt, ob admirabilem morum innocentiam, *Innocens Adam* dictus. Venerabantur enim eam aves cæli & bestiæ terræ, quarum plenum videbatur habere dominium: ita promptas habuit ad nutum suum. Sed mirabilior fuit excelsis virtutibus, Charitate erga DEum & proximum, orandi & se affligendi studio, humilitatis & patientiæ exemplis, & exquisito DEiparæ V. cultu, Vitam ipsius, apud barbaros obses relictus, Latino versu elegiaco, bis mille & octoginta sex distichis eleganter exposuit, sine charta & stylo, solius memoriæ fidelitate usus. Marianum hunc vatem, multis futurorum & absentium vaticiniis clariorem fecit DEus. Multa & admiranda tradit Vita Apostolici hujus viri typis edita, variis variarum nationum linguis. *Apostolus & Thaumaturgus Brasiliæ. Innocens Adam Dominium in bestias Vates Marianus.*

6. Crumlovii in Bohemia anno 1615, P. Dominicus Valesius, Italus, eximius DEIparæ V. & Sanctæ Paupertatis cultor. Auditis S. Catharinæ Senensis & B. Aloysii Vitis, ad excelsæ virtutis studium mirabiliter exarsit. Quotidie è Thoma Kempensi Caput unum flexis genibus legebat. In ejus cubiculo nullus lectus, nec sedile: pro mensa erat armarium quoddam, pro candelabro manus sinistra, pro lectulo crux magna, cui indormiebat. Missæ peste contactis cùm indefessam præstitisset operam, viribus fractis, paulò pòst sanctè decessit Crumlovii. *Cubiculũ pauperrimum.*

7. Claudiopoli in Transylvania anno 1603 Emmanuel Niger, Coadjutor Italus, Cùm ea urbe occupatâ, hæretici milites grassarentur in templa; sacrilegam eorum insolentiam, præcipuè in proculcanda Sacrosancta Eucharistia, tolerare non potuit Emmanuel. Intrepidus igitur graviter redarguit sacrilegos: sed ab illis securi militari cæsus, & globo trajectus, occubuit. *Victima defensi Christi Eucharistici.*

X. JUNII.

1. POst hesternum colloquium, cùm Henricus rex hodie religionis gratiâ ad Capucinos se contulisset; eundem P. Magium advocari curavit;

 diuq;

diuq; solus cum solo locutus Italico sermone (erat enim Magius Venetus) perlibenter indulsit: ut P. Edmundus Augerius, quo familiarissimè utebatur, præserrim ad instituendas Sodalitates quasdam pias, ab aula transiret ad domicilium Societatis; prout Claudium Præpositum Generalem optare intellexerat. Addidit autem: se id concedere, ad suam erga Societatem testificandam benevolentiam. Mirum sanè: & quòd rex tam facile dimiserit Edmundum; & quòd Edmundus tam facile reliquerit aulam regiam; cùm utrumq; perarduum fore timeretur. Sed fuit Edmundus vir ille, qui aulæ non propter aulam, vel privata commoda, serviebat; cujus Apostolico zelo non aulam unam, sed universam Galliam, DEus theatrum posuerat. Post prolixum & familiare colloquium, rediit rex ad hesternum postulatum suum: ut in Gallia non alii essent domiciliorum Societatis Superiores, quàm Galli; id enim exigere rationem Statûs: ut scilicet rex fideliores haberet eos, à quorum directione penderet populus, ac potissimùm studiosa juventus. Arduum postulatum! sed in quod tandem concedi debuit; quàmvis à condita Societate, sinè ullo nationum incommodo, vixissent in eadem domo unoq; corde Hispani, Itali, Galli, Germani, Angli &c. *Sacchin. p. 5. lib. 7. n. 67.*

P. Edmundus Augerius sine ulla difficultate aulam deserit.

Henricus III rex Gall. instat, ut domib9 Soc. soli Galli præessent.

2. In Prussia cùm anno 1626, hoc die occupata esset Brunsberga ab hæretico Sueciæ regis milite: qui è nostris residui erant in Collegio, aliis maturè ad tutiora dilapsis, Patres duo, & Coadjutores Fratres tres captivi sunt abducti, graviaq; per biennium & ultra, passi sunt incommoda, tam in navibus, quàm in carcere Elbingensi. Collegium occupavit primùm proditor quidam Mevensis, deinde Minister hæreticus. Singularis Divinæ Providentiæ argumentum fuit: quòd toto illo tempore templum nostrum nullo sectariorum Religionis exercitio profanatum fuerit: imò ut fide digni retulerunt; ministrum, cùm in cathedram non semel prosiliisset concionaturus, horrore nescio quo perculsum obmutuisse, & à proposito destitisse. Organum tamen templi, insignis artificii, cum Bibliotheca Collegii in Succiam deportatum est. *Ex Annuis Collegij, sub anno 1635.*

Brunsbergensis Collegij desolatio.

Minister hæret. in templo concionari nequit.

Eodem die obierunt.

3. Neapoli anno 1588 P. Andreas Spinula, Italus, domesticâ nobilitate, sed magis religiosa humilitate & charitate clarus. Cùm ante initam Societatem aliquando cum Nostris vesceretur in triclinio, supellex mensæ tanquam vilis & abjecta, opulento & lautè educato, nauseam & horrorem movit. At recepto in Societatem omnia visa sunt nitidissima, & orbes & patinæ ex argento conflata videbantur. Quod cùm interpretaretur, suæ imbecillitati & delicatiori genio à Superiorum prudentia dari:

Paupertas religiosa splendida.

Rectorem convenit, petiitque; non ita indulgenter haberi, contentum se fore communi mensæ supellectile. Sed edoctus, non nisi ordinaria esse apposita, Divinam erga se indulgentiam suspexit & laudavit. Rectorem deinde agens in Collegio Neapolitano, se ad pestiferorum obsequia demisit, & pretiosam mortem in præmium tulit. *Victima charitatis.*

4. Paranæ in Paraquaria anno 1653, P. Josephus Cataldinus, Italus, ad humanam Societatem adducendis barbaris, & instruendis mirificè addictus. Sex pagos condidit, & multa millia sacro fonte tinxit. Visus subinde est jam Angeli Custodis instar, Indos contra dæmones defendere; jam cælesti luce circumfusus, post mortem autem rutilante paludamento tectus. In divino potissimùm Sacrificio cælestibus visis recreabatur: advertitq; non rarò, cùm sacrum Calicem adoraret, ex eodem Brachium quoddam, Sacerdotali cultu ornatum, protendi, sibiq; benedicere. Anxio de Prædestinatione sua dixit DEipara V. *Noli timere, fili.* *Barbarorum industrius cultor.* *Benedictio divina.*

5. Lugduni in Gallia anno 1623, P. Michaël Coyssardus, Gallus. Operarius strenuissimus, per ipsas octo horas pro Sacro Pœnitentiæ tribunali sedebat, etiam senex & jejunus. Ajebat se maximè refici mortis recordatione. Sub mortem dicebat: malle se de divina benignitate, quàm de Justitia loquentes audire; se enim à puero citra fucum Optimo illi Domino servivisse. Vivens & mortuus floruit opinione sanctitatis: nec defuêre, qui eo apud DEum usi Patrono, à molestissimis & inveteratis tentationibus fassi sunt se liberatos.

XI. JUNII.

1. IN Hispania anno 1556 magna solemnitate variorum Graduum Socij sua vota publice emiserunt. Invitati à Commissario P. Francisco Borgia Nuncius Apostolicus, Carolus princeps Philippi regis filius, proceres multi ac dynastæ, adfuerunt, cum præcipuis ex omnibus Religiosis Ordinibus. Excipiente Borgia ad aram, Professionem 4. Votorum solemnium fecit Baptista Barma, Hieronymus Portillus tria Vota Coadjutorum spiritualium, & quidam Coadjutor temporalis sua item vota emisit. Voluit Borgia rem cum ea solemnitate peragi: tum ut palàm fieret distinctio Graduum religiosorum in Societate; tum quia jactârunt quidam in Hispania, Societatem res suas in tenebris, seu furtim, agere. *Orlandin. p. 1. hist. Soc. lib. 16. n. 40.* *Votorum Societatis Gradus & differentia declarata.*

2. Romæ anno 1622 Religiosam Societatis vestem induit Carolus à Lotharingia, è principe, Episcopo, & Comite Virdunensi mutatus rara metamorphosi in humilem JESU Socium. Cùm adhuc Episcopus de ea re deliberaret: dæmon ex energumena, cùm templum ingressus esset Carolus, palàm edixit; ridiculam cogitationem & ineptam ipsum habere, quòd vellet in corvum nigrescere. Timere se tamen, ne id, quod moliebatur, perficeret: nam hoc negotium DEiparam suscepisse tractandum. *Nadasi in Anno dier. mem: 28. April.* *Carolus Episcopus Virdunensis Societatem ingreditur*

Eodem die obierunt.

3. Gerundæ in Hisp. anno 1607, P. Gabriel Vasia, Hispanus, humanioris, & divinioris literaturæ, linguarumq; peritiâ præstans. DEiparæ V. honori & amori addictissimus, frequenter illam invocabat illo carmine: *Monstra te esse Matrem.* Quod cùm in quodam morbo, & animi angustiis, omisisset: adfuit ei Sanctissima Mater, & amanter sui tam oblitum redarguit.

B. V. amat implorari ut Mater nostra.

4. Quiti in Peruvia anno 1612, Marcus Antonius, Coadjutor Italus: cui nec domi, nec foris, aliud fere nomen erat, quàm Sancti. Etiam 80 annos natus se ciliciis, flagellis, jejuniis atterebat. In orando tanta illi attentio, ut statua videretur: unde non mirum, eum impetrasse, quidquid petebat. Aliquando cùm in templo divino sacrificio interesset, palàm visus est sublimis in aërem elevari, ac toto vultu, instar vivi carbonis, collucere. Obvio ferocienti tauro Rosarium Marianum obtendit, dicens; *Abi animalculum*; & ille dicto audiens, cicur abivit.

In oratione attentio.

Rosarium Marianum.

5. Bilbai in Hisp. anno 1623, Simon de Espalza, Hispanus, Coadjutor. Cùm videret quendam è Sociis jàm depositum, ad extremam luctam ungi: DEiparam V. quàm diligentissimè colebat, supplex adiit, petiitq; ; ut ipse potiùs in morientis locum substitueretur, illo in vivis retento: se enim Collegio vix aliquid, illum longè plus prodesse. Auditus est. Æger enim confestim respiravit, ac sensim convaluit; Simonem verò intra triduum idem morbus corripuit, & extinxit.

Caput suum pro moribundo devovet efficaciter F. Coadjutor.

6. Viennæ Austriæ anno 1655, P. Ignatius Jociscus, Polonus heroicæ charitati gloriosè immortuus. Ter petiit, bis impetravit contagiosam Spartam. Vir erat, è cujus vultu, totiusq; corporis compositione promicabat candor mentis & figura probitatis. Unde cùm domo prodiret, passim alter alterum interpellabat: *En Sanctũ illum Jesuitam* Defuncto magna comploratione parentârunt ægri potissimùm & pauperes, tanquam *Patri suo*, ut ajebant.

XII. JUNII.

1. POtami in Calabria, quem locum Thaumaturgus Xaverius specialiter delegit, ad demonstrandam vim meritorum suorum apud DEum, lampas coram ejus Imagine ardens, repente extincta, repente sine ope humana est accensa. Cantabantur à populo sub vesperum pro more hymni & laudes glorioso Apostolo: quibus finitis, dum Candelæ & faces extingverentur, animadversum est ab universo populo, lampadem quoq; illam esse extinctam. Post aliquod temporis intervallum, dum pleriq; templo egressi jam essent, exivit etiam Petrus Natolus, cui cura incumbebat, ut semper lampas arderet, ignem allaturus, quo extincta lampas iterum accenderetur. Dum redit, invenit lampadem jam ardentem, quamvis nemo alius ignem admovisset. Populus ergo, qui residuus in templo erat, in laudes DEi, & gloriosi Apostoli erupit; quod fecerint de tenebris lumen splendescere. Simile contigit 18 Junij ibidem coram populo copiose collecto. *Ex libello Mirac. S. Xaverij Potamiensis n. 32. & 37.*

Lampas coram imagine S. Xaverij extincta sine ope humana reaccenditur.

2. Ut

2. Urbem Neapolitanam cùm anno 1656 sævissimâ pestis depasceret, nec remedium inveniretur implorata ope veterum Urbis Patronorum: conceptum tandem, atq; hodie emissum est civitatis nomine votum, procurandi, ut Indiarum Apostolus Xaverius, solemni ritu inter cæteros Urbis Tutelares Divos referretur, si propitium se, & sospitatorem exhiberet in præsenti calamitate. Ratum & acceptatum fuisse votum, sine mora probavit eventus. Eodem enim die in publico Lazareto, quadringenti circiter peste tacti, subitò convaluerunt, & lues tota brevî defecit. Flagitante igitur populo Neapolitano, authoritate Pontificia, Divus Apostolus datus est Urbi peculiaris Patronus. *Ex Relatione, & Epistola impressa DD. Præfectorum Lazareti Neapolitani.* *S. Xaverius Neapolim liberat à peste.*

Eodem die obierunt.

3. Pinthiæ in Hisp. anno 1575, P. Joannes Castaneda. Rexerat per annos plures Collegia Hispalense & Placentinum: cùm Bustamantii jussu Toletum evocatus est, & ad culinæ subeunda officia applicatus, ad domandos elatiores quosdam spiritus, qui subinde erumpentes, cætera ipsius egregia decora obscurabant. Paruit promptus & constans, per menses plures insigni animi submissione, vilissima quæq; munia obeundo: donec è culina Toletana, Vallisoletani Collegii regimini est admotus, quod præclaris virtutibus ornavit. *Post Rectoratus officia culinæ.* *Humilitas mater bonorũ Superiorum.*

4. Madriti in Hisp. anno 1580, P. Rodericus Gonzalez, vir magni zeli, & industriæ, ad eripiendas animas dæmoni devotas. Madriti Sagam, in aula regia grandia patrantem damna, multo labore tandem ad sanam reduxit mentem, & ad Confessionem Sacramentalem perduxit. Instrumenta nefandæ artis sibi tradita à fœmina, per summum contemptum in fœdissimum totius domûs locum conjecit, mirè fremente dæmone, & ultionem parante. Permissa ipsi est arcano DEi judicio. Patrem igitur Rodericum ibidem loci dirè exagitavit, & totum confractum prægrandi tabulâ oppressit. Sed sic oppressus Rodericus, dæmonum vires confregit: ut deinceps in Collegio Madritensi non ita sævire possent, ut alibi. Fassus id est dæmon ipse, jussus à malefico quendam ejusdem Collegii Sacerdotem vexare: Negavit enim se id posse; sed expectaturum, donec ille è Madritensi Collegio, se aliò transferret. Ex quo enim ab annis 50 & ampliùs ibi Patrum quispiam occubuisset, multùm sibi restrictam esse à DEo potestatem, in illius gratiam. Quæ dicta in nullum aptiùs, quàm in Patrem Rodericum cadebant. *Sagas convertendi industria.* *Dæmoni permissa vindicta.* *Dæmonum vires imminutæ.*

5. Cracoviæ in Polonia anno 1622 P. Simon Wysocki, Roxolanus, cum P. Petro Skarga Romæ Societatem expetiit, & à S. Borgia admissus est. Redux in patriam post tyrocinium, strenuum egit operarium in ea vinea, pauperumq; semper præcipuam curam habuit, fundatis Posnaniæ, Vilnæ & Lublini Nosocomiis: unde speciosum *Pauperum Patris* cognomentum est assecutus. Deinde in Sueciam sequi jussus Serenissimam Catharinam, Joanni Regi desponsatam, aulam illam egregiè excoluit ad pietatem; magnaq; pars fuit, quod Princeps Sigismundus, postea Rex Poloniæ gloriosissimus, Catholicè sit educatus. Ut latiùs extenderet zelum suum, liberum *Pauperũ Pater.*

tem-

Zelo per interpretationem librorum.

tempus transferendis in idioma Polonum, aliorum selectis libris piis, operam impendit: quorum numerosum catalogum dat *Sout veuus in biblioth. Soc.*

XIII. JUNII.

Matthias Imp. Societatē præficit Academiis Viennensi & Pragensi.

1. ANno 1612, defuncto Rudolpho Imperatore, Mathias ejus frater, rex Hungariæ & Bohemiæ, ab Electoribus ei sufficitur. Multis ejus benevolentiæ in Societatem argumentis, illud eximium accessit: quòd celeberrimarum Acamediarum, Viennensis & Pragensis, Societatem voluerit moderatricem. *Imago 1, Sæc. Soc. lib. 3. cap. 12.*

Ioannes III. rex Lusitaniæ moritur.

2. In Lusitania anno 1557 Joannes III. rex, immortalitate dignissimus, magno Societatis luctu hoc die obiit. Inter innumera & maxima ejꝰ beneficia illud palmare est: quod ipsam potissimùm delegerit, ad regnum Christi, quàm latissimè in Asia & Africa propagandum. Primus regū Societatem complexus est affectu non regio tantùm, sed planè paterno; eiq;, quod preciosissimum & carissimum habebat, filium Principem tradidit instituendum. Labores autem Sociorum tantopere æstimavit: ut perinvitos licèt ac sæpe reclamantes, nominaret *Apostolos:* quo nomine deinceps passim per Lusitaniam sunt honorati. *Ibid. lib. 5. cap. 12. Brietius ad ann: 1557.* Sacchinus obitum Joannis ponit 11. Junij.

Promota pax inter Sinenses & Moschos.

3. Apud Sinas anno 1689 facta est solemnis expeditio Commissariorum ad tractandum cum Moschis de pace perpetua, & determinandis limitibus utriusq; imperij: Legatis suis, quorum unus erat Avunculus Imperatoris, voluit Imperator comites ire Patres nostros Antonium Pereyra Lusitanum, & Franc. Gerbillon Gallum: ut suâ industriâ promoverent negotium pacis. Hac die auspicatò moverunt Peckino, tandemq; in oppido *Nipchu* congressi cum Moschis, tam fidelem strenuamq; posuerunt operam in commisso negotio, ut partis utriusq; judicio, pax conclusa, quæ jam desperata fuerat, ipsorum industriæ & ingenti labori sit attributa, magno Sinici Imperatoris gaudio. *Ex literis M.S. P. Antonij Pereyra ad P. Thyrsum Gen.*

Eodem die obierunt.

Pauperum curator.

4. Pragæ in Bohemia anno 1661, P. Joannes Hubatius, Bohemus. Sibi etiam dictum putabat illud: *Tibi derelictus est paupe* Proinde illis juvandis tam temporali, quàm spirituali subsidio, infima pauperum tuguria perreptabat: aulas non nisi stipis pro illis impetrandæ causâ adibat. Cùm pro animabus satageret, ab hæreticis militibus interceptus, multa in carcere perpessus est. Quater in peste publica se dedit victimam charitati: sed semper, DEi beneficio, superstes & validus evasit.

Pestiferis quater devotꝰ, semper illæsus.

5. In America in Collegio Pacis anno 1661, P. Christophorus Viverius, Peruanus; à singulari modestia, puritate virginea, & accuratissima legum observantia, lauda-

laudatus. Puer cùm in rapidissimum flumen incidisset, & jam in molendini rotam raperetur, DEiparæ opem inclamavit, & evasit. Ante supremum morbum, spectandum se ipsi obtulit P. Gabriel Vasquez (alius à celebri illo Theologo) pridem defunctus, quem ut Patrem suum in spiritu, coluit. Hic P. Christophorum paterno amplexu stringens, *Eamus fili mi*, dicebat, & videri desiit. Secutus est paulò pòst, magno sui desiderio relicto. *B. V. patrocinium.* *Defunctorum charitas.*

6. Granatæ in Hisp. anno 1610, Baptista, Coadjutor Hispanus, Vacillanti in prima probatione, & jam fugam meditanti, DEipara V. cum SS. Petro Apostolo & Barbara, spectandam se dedit, monuitq; de perseverantia in eo statu, in quo vitam æternam esset consecuturus. Perstitit ergo, vixitq; cum DEo conjunctissimus, & quacunq; facta de divinis mentione lacrymis liquescere solitus. Pro Rectore Collegii Granatensis iniquè accusato, & ad causam dicendam evocato, cùm supplex oraret Baptista, vocem cælitus audivit: Rectorem brevi rediturum, sinè ulla culpæ, aut infamiæ nota. Quod & factum. *In vocatione vacillantem B. V. firmat.* *Orationis pro superiore efficacia.*

XIV. JUNII.

1. CLemens VIII. anno 1595, per Breve *Romanus Pontifex* petente Præposito Generali, Nostris interdixit usum Bullæ Cruciatæ, quoad eligendum Confessarium, & absolutionem à reservatis. Quod postea confirmavit Urbanus VIII. anno 1629. ult: Martij. *Bullar. Societ.* *Usum Bullæ Cruciatæ non habet Societas.*

2. Clemens verò X. anno 1670, Officium S. Francisci Xaverij jussit ab omnibus, qui ad Horas Canonicas tenentur, sub ritu Duplici recitari. Pro peculiari nostra, inquit, erga S. Franc. Xaverium S. J. (qui Apostolicis charismatibus affluenter decoratus, novarum gentium Apostolus, unanimi totius Christiani orbis consensu, meruit appellari) devotione; ejus venerationem condignis honorum incrementis ampliare cupientes, auctoritate Apostolica tenore præsentium jubemus &c. *Bullar. Comm. Constit.* 5. Missam quoq; propriam de eodem Sancto legendam in Ecclesia, præscripsit. *Clemens X Officiū S. Xaverij sub ritu duplici præcipit.*

Eodem die obierunt.

3. In Suecia anno 1601, P. Christophorus Spotecus, Polonus. In Livonia, cum Joanne Estone Coadjutore captus à Sueco milite, varieq; vexatus plagis, fame, carceribus, deniq; in Finlandiam deportatus est: ubi uterq; in carcere interiit. *Victimæ fidei duæ in Suecia.*

4. Lovanii in Belgio anno 1610, P. Florentius Bourchorstius, Belga, magni nominis, & primæ authoritatis domi forisq;. Sodalitio Theologorum cùm præesset per annos 12, dicta ejus à primoribus illius Academiæ pro oraculis habebantur. Justus Lipsius testatus est: se nullam P. Florentij exhortationem, quoad posset, prætermisisse; quòd vel solo ejus aspectu ad pietatem non parum commoveretur. Urbis Prætor cùm ei occurrisset, humanissima data salute, addidit: *Urbis sum amicus.* Pater autem reposuit: *At ego minimè tibi. Causam scis? emenda te.* Stomachum quidem tunc movit homini tam salsum responsum: sed in se descendens, majore deinceps in honore monitorem habuit, moresq; mutavit. Libertas hæc loquendi & agendi fundabatur *Sodalitatis præses eximius.* *Monitum salsū*

Oratio prolixa batur in arctissima cum DEo conjunctione, cum quo plerumq; septenas quotidie horas orando traducebat.

5. Pictavii in Gallia, anno 1631 P. Franciscus Garassus, Gallus. Ingenio licèt, doctrinâ, & scriptis valeret: omnia charitati posthabuit. Pestifera enim lue grassante, multis precibus obtinuit: ut infectis servire posset. Quod dum navissimè præstat, correptus ipse, non alibi, quàm in communi Nosocomio decumbere, & mori voluit. Socios gloriosæ mortis diversis Galliæ locis habuit 36, anno eodem. *Victima charitatis.*

6. Parisiis in Gallia anno 1670, P. Franciscus Annatus, Gallus; magnum Ecclesiæ Gallicanæ decus & columen, Divi Augustini doctrinæ vindex & propugnator acerrimus, præsertim contra Jansenianos, quos editis doctissimis scriptis, intra Tomos tres collectis, validè impugnavit, & profligavit. Munus regii Confessarii apud Ludovicum XIV tam sanctè gessit annis 16: ut ægrè à sua Majestate impetrârit paucos menses, quibus ad iter æternitatis accuratiùs se accingeret, ab aulæ strepitu remotus. *Soutvellus in bibl. Soc.* *Jansenistarum impugnator.* *Confessarius regius incorruptus*

XV. JUNII.

1. ANno 1564 in Hispania Franciscus Suarez, magnus olim futurus Theologus, Tyrocinium Societatis ingressus est Methymnæ, post perfractas multas gravesq; difficultates. Salmanticæ examinatus, an requisitis ad Societatis Institutum dotibus instructus esset; rejectus est, tanquam valetudine & ingenio debilior. Vallisoletum ergo contendit, ubi Præpositus Provincialis morabatur; supplicat, non preces tantùm, verùm & lacrymas fundens. Examini iterum subjectus, repulsam iterum passus est calculo examinatorum. At Provincialis, quàmvis aliàs Consultorum sententiæ acquiescere solitus, divino afflatu in aliam mentem raptus est. Palàm pronunciavit: adolescentem hunc (annum ætatis 17 agebat Franciscus) quem à Societate arcerent, futurum olim & Societatis insigne ornamentum, & Christianæ reip: lumen præclarum. Lætum igitur remisit Salmanticam, commendavitq; Rectori expediendum ad Domum Probationis, At hic durior in adolescentem, crudam ei proposuit conditionem: ut chirographo sponderet, se omnino futurum indifferentem, sive ad literarum studia, sive ad Coadjutorum temporalium sortem à Superioribus applicaretur. Sine cunctatione conditionem admisit, & subscripsit Suarez. Superatis his scopulis, in ipso portu fere naufragium passus est. Cùm enim amicum percharum accessisset, supremum illi, & mundo, vale dicturus: ille tam validis machinis adolescentem adortus est, ut prodigium divinæ gratiæ fuerit, quòd non succubuerit. Solebat etiam in provecta ætate hoc suum periculum, non sine horroris sensu, referre Franciscus. Sed DEus his erudire voluit tyronem suum, ut in statu religioso firmiores ageret radices. *Massejus in Vita cap 2.*

Franc. Suarez Societatis tyrocinium, aliquoties repulsus ingreditur. *Vaticinium de illo.* *Periculum in portu.*

2. Romæ, cùm anno 1657, sæva pestis grassaretur in Urbe, instauratum est à Præposito Generali, & Domo Professa Romana votum ad S. P. N. Ignatium, quod anno præterito pro incolumitate ejusdem domûs conceptum & emissum fuerat. Servatâ sanitate, promissa sunt in gratiarum actionem Sacra mille pro Animabus Purgatorij, quorum quingenta de SS. Trinitate, totidem alia de S. Ignatio dicerentur; Coronis totidem, atq; Synaxi millies adeunda, Fratribus assignata. Annuit cælum. Nemo enim ex iis, qui domi habitabant, peste ictus est: quàmvis omnibus accedentibus templum, & aures nostræ paterent, & constanter Sacramenta ministrarentur; & undiq; Sacerdotes alii confluerent in templo & apparatu nostro sacrificaturi. *Nadasi in supplemento Victimarum Charitatis S. I.*

Eodem die obierunt.

3. Romæ anno 1556 P. Jacobus Eguia Hispanus S. P. N. Ignatii Confessarius. Antequam Societatem ingrederetur; tam liberalem se erga illum exhibuit, ut aliquando cistâ apertâ, rogârit: Sumeret inde, quantum vellet. P. Petrus Faber ipsum Sancti Jacobi cognomento honorabat. At P. Jacobus, se *esse fracti nummi instar* dictitabat, *qui nihil valet, nisi in cumulo bonorum*. Addebat: *Eum, qui se aliquid esse putat, parum esse: qui multum se esse putat, esse nihil.* De S. Patre altissimam habuit opinionem, solebatq; dicere: Si vel una hora Ignatio superstes esset; talia de eo dicturum, quæ homines in stuporem de Ignatii Sanctitate raperent. At cùm id innotuisset S. Patri, acriter hominem corripuit, nec eo ampliùs ad munus Confessarii uti voluit. Imò Ignatii precibus factum putatur, quòd P. Jacobus uno & dimidio mense citiùs, quàm ille, obierit.

Liberalitas in pias causas.

Humilitas profunda.

S. Ignatij sanctitas & humilitas.

4. Ingolstadii in Germania anno 1577, P. Joannes Rastellus, Anglus. Cùm videret P. Paulum Hoffeum, Provinciæ Præpositum, morti proximum; ut virum tam utilem Societati & Germaniæ è faucibus illius eriperet: peregrinatione suscepta ad ædem S. Salvatoris, octo passuum millibus dissitam, caput suum pro illius Sanctitate devovit. Ratum habuit votum Salvator. Simul enim ac domum rediit, decubuit, & occubuit: P. Paulus pristinæ redditus est sanitati.

Caput suũ devovet efficaciter P. Rastellus pro P. Hoffæo.

5. Pontani in Hibernia, anno 1649, P. Robertus Netervillus, Hibernus, Validum illius Ecclesiæ columen. Hæreticis, omnia ibi miscentibus, cùm innotuisset: quòd Sacerdos & Jesuita esset; noctu lectulo extractus, per domum raptatus, fustibus contusus, & effractis ad collum & humeros ossibus tam dirè habitus est: ut senio gravis, quarto pòst die tormentis succubuerit.

Victima pro fide in Hibernia.

XVI. JUNII.

1. ANno 1573. finita feliciter est Congregatio III. Generalis, Turbine duplici concuti cœperat. Primus è colle Vaticano proruperat; Pontifice Gregorio XIII, ad sinistram quorundam informationem, non solùm optante, sed etiam mandante: ut Quartus Præpositus Generalis legeretur,

Ab electione in Generalẽ natio Hispanatio exclusa.

qui non esset Hispanus; siquidem tres præcedentes ex ea fuerunt natione. Sed cùm PP. Congregati per Deputatos 5, demonstrassent Summo Pontifici: quantum incommodorum secuturum esset ex electione non libera, & exclusione tantæ Nationis: facile, ut erat paterno in Societatem affectu, permisit; ut Electores plena gauderent eligendi libertate. Electus igitur est Everardus Mercurianus, Belga; à quo tantò citiùs sibi promisit Societas felix regimen; quantò solidiùs ab ipso S. P. Ignatio fuerat institutus. Alter nihilominus concitatus est motus à domesticis quibusdam, suspicantibus aliquid vitij, ex ambitione quadam, corrupisse Electionem Generalis & Assistentium: sed facta rigida inquisitione à 5. gravissimis Deputatis, renunciatum est: omnia libere, rite, ac sanctè gesta esse. Sic conquievit, feliciterq; tandem expedita est Congregatio. *Sacchin. hist. Soc. p. 4. lib. 1.*

Ambitio Societati exosissima.

Eodem die obierunt.

Concionator per annos 60.

2. Panormi in Sicilia, anno 1619, P. Joannes Bapt: Carminata, regendi dexteritate, & concionandi facultate eximius. Per annos 60 dicitur munere Concionatoris functus, etiam dum Provinciam gubernaret. Quantumvis laboribus gravaretur, judicabat tamen se indignum pane, quo vescebatur. Ægrum Parvulus JESUS invisisse dicitur, & sanitate donasse. Morientis anima visa est in cœlum recipi à SS. Ignatio, Xaverio, & B. Aloysio.

Passionis Christi lectio & meditatio quotidiana. Libri spiritualis lectio. Visitatio Venerabilis. Meditatio & Examina coram venerabili. Paupertas etiã in necessariis. Somnus durus.

3. Pultoviæ in Mazovia, anno 1650, P. Bartholomæus Oleskiewicz, Litvanus, Ecclesiastes & Theologiæ Professor insignis. Christi patientis historiam quotidie positis humi genibus perlegebat meditatè. Libro spirituali quotidie horam dabat integram, cùm doceret; aliàs longè plus. Tabernaculum Eucharisticum invisebat, non solùm post somnum, sed etiam ante & post lectiones, ante & post prandium ac cœnam, & quoties domo exibat. Meditationis & Examinum tempus coram eodem transigebat genibus nixus. Antequam ad aram faceret, uni Sacrificio aderat; alteri, postquam operatus esset. Paupertatis amore non superflua tantùm arcebat à cubiculo, verùm & in necessariis defectum pati amabat. Unde nec amphoram quidem pro lavacro patiebatur in cubiculo, sed lavacro communi utebatur. In omnibus ita procedebat: ut perpetuò recollectus, & cum DEo conjunctus, appareret.

4. Panormi anno 1617 Simon Buceri, Coadjutor Siculus, orationi & mortificationi addictissimus. Exemplo S. Alexii habitabat sub scalis, & per annos 34 nudis tabulis incubabat. Inter orandum visus est splendore circumfusus, & divina pati. Sæpe illi Christus, sæpe DEipara & Angeli se spectandos illi dederunt, & cum servulo suo familiariter egerunt.

XVII. JUNII.

Suavitatem in regendo commendat Everardus Gen.

1. POst heri finitam Congregationem III, Everardus Præpositus Generalis dimittens Patres congregatos ad provincias suas, diligenter ipsis commendavit: ut cum sibi subjectis tenerent suavem agendi modum, mallentq;

suos

ſuos ducere potiùs per viam legum ad perfectionem Societatis propriam; quàm authoritate protrudere, & rigidioribus imperijs impellere. Jam enim in quaſdam provincias irrepſerat durius quoddam gubernandi genus, à S. Patris ingenio & ſpiritu alienum, magiſq; utile ad exaſperandos, quàm curandos & devinciendos animos. *Sacchin. p. 4. lib. 1. n. 53.*

Eodem die obierunt.

2. Romæ anno 1651 P. Franciſcus Picolomineus, Italus, Præpoſitus Generalis VIII. Succeſſit P. Vincentio Carafa, poſtquam magna cum laude gubernavit Provincias, Romanam, Mediolanenſem, Neapolitanam & Venetam. Siciliam Viſitator inſpexit, ſeptemq; annis Secretarium Societatis egit, inſigni ubiq; cōmendatione prudentiæ, charitatis, & zeli. In Societatis gubernatione id unum peccavit: quod munus Præpoſiti ultra unum annum cum dimidio non extenderit: vir quàm innocens moribus, tam eminens omni virtutum genere, & gubernandi peritia. In ſupremo morbo potiſſimum declaravit; quanto animo, & quàm ſolida virtute eſſet. Acerbiſſimis calculi, aliiſq; ſævis doloribus cruciatus, lætus cuidam Patri dixit: *Morimur, & ridemus.* Aquam, quæ ipſi reficiendo allata fuerat, totam effudit, dicens: *Libemus DEo. Hoc enim eſſet, quærere delicias in cruce, in qua me DEus poſuit. Serva mihi aliquem angulum in tua cruce, Crucifixe mi IESV! Ecce me, ad patiendum ampliùs & ampliùs, etiam per totam æternitatem, ſi tibi ſic placeat, mi DEus.* *Officia varia pari laude geſta.* *Mors jucunda inter acerbos dolores. Patiendi deſiderium.*

3. Goæ in India Orientali anno 1617, P. Hieronymus Xaverius, Hiſpanus, Apoſtolo Indiarum ſangvine junctus & virtute. Poſtquam Rectorem egit Collegiorum Bazaini & Cochini, Magiſtrum quoq; Novitiorum, & Præpoſitum Domûs Profeſſæ Goanæ, trophæis Xaverii ſui excitatus, expeditionem ſuſcepit Apoſtolicam in Magni Mogoris Imperium: ubi compluribus annis, inter multa vitæ diſcrimina, intrepidè Evangelium prædicans, quatuor quidem Imperatoris nepotes ſacro fonte tinxit; at in populo par labori fructus minimè reſpondebat, Imperatore novam ſectam fabricante & ſpargente. Goam igitur reverſus, quievit in pace. Monſtratus eſt poſt mortem ejus cuidam glorioſiſſimus in cœlo thalamus, & audita vox: *Hìc requieſcit à laboribus ſuis Hieronymus Xaverius.* *Expeditio in M. Mogoris imperium.* *Lectulus quietis in cælo.*

4. Panormi in Sicilia anno 1611 Thomas Cannonius, Siculus, Coadjutor, vir eminentis virtutis. Cùm à laboribus ex obedientia ſuſceptis, accederet ad Sacram Synaxim, totus ſudore perfuſus; conſpecti ſunt Angeli duo, ſudorem ei abſtergere, & linteum præ ore accumbentis tenere. Viſi quoq; ſunt Angeli cadaver defuncti odoratis fumis honorare, ſandapilam, in qua jacebat, circumeuntes. *Laborioſus Coadjutor ab Angelis honoratus.*

XVIII. JUNII.

1. AVenionenſe in Gallia Collegium anno 1569 ferè diſſipavit ingens turbo, ex vana ſuſpicione ortus. Rector Collegij Antonius Poſſevinus, Romam profectus fuerat, de certis negotiis acturus cum Borgia Præpoſito Generali: qua occaſione uſi quidam rerum novarum cupidi, & parum ſanæ religionis homines, ſparſerunt in vulgus; Poſſevinum excurriſſe Romam; *Avenionenſe Collegium gravi tempeſtate concuſſum.*

mam; ut cùm Pontifice, Pio V, ageret de inducenda in Ditionem Avenionensem Inquisitione Hispanica, dissolveret Sodalitates flagellantium, & deferret quosdam de hæresi suspectos. Interim contigit, ut adesset dies hodiernus, quo novi crearentur Consules. Vis hominum innumerabilis confluxerat ad Prætorium: ubi injectus sermo de Possevino ita accendit populum: ut agmine facto irruerint in Collegium, eversuri omnia, nisi portam bene obstructam, & Socios coram Venerabili in preces effusos, reperissent, audissentq; ; Possevinum non esse præsentem. Senatus sive malè persuasus, sive ad deliniendos furentes, Decreto mox edito, domum, reditus, & quidquid antea Collegio contulerat, revocavit: crevitq; tempestas in tantum, ut ipse Pontifex datis literis ad Cardinalem Gubernatorem, ad Archiepiscopum, ad Nuncium suum, & ipsam civitatem, de innocentia Possevini testari debuerit. Fecit hoc accuratè, nec sine insigni elogio Possevini, jussitq; : ut in fabulæ authores diligenter inquireretur, & severè animadverteretur.. Sic pristina rediit malacia, & indemnitas Collegio, imò & aliquis cum tentatione proventus. *Sacchin. p. 3. lib. 5. n. 139 & seqq.*

Pontificis tutela.

Eodem die obierunt.

2. Valentiæ in Hisp. anno 1583, P. Petrus Gascon Hispanus. Adhuc in sæculo degentis domus adeò erat in pauperes liberalis: *ut Hospitalis gratia* diceretur. Rogatus, cur chirothecas non gestaret? Respondit: *In Christi manibus clavos, non chirothecas fuisse*. In Societate tanto animarum zelo ardebat, & agebatur: ut P. Ramirez, celeberrimus in illis partibus ecclesiastes, dixerit: Duodecim tales Gascones pares futuros orbi terrarum convertendo. Cuidam sibi amicissimo, petenti documentum aliquod pro vita ex virtute degenda, in scheda arrepta præscripsit ter, *Silentium, silentium, silentium*!

Chirothecarũ neglectus.

Silentij commendatio.

3. Petrocoricis in Gallia, anno 1596, P. Franciscus Bordesius, Gallus Vitam ut accuratiùs ad normam disciplinæ religiosæ componeret: nullum sinebat præterire diem, quo non meditaretur de morte oppetenda. Cùm fratri ejus justa persolverentur in templo nostro, tumulum ejus post dies aliquot accessit P. Franciscus, petijtq;: ut brevi jungeretur fratri in cœlo. Postridie Sacrificanti, cælitus allapsa vox est: *Exaudita est oratio tua*. Accinxit se omni industria ad iter æternitatis, & post paucos dies secutus est pium fratrem, qui præter tres filios, & bona sua omnia, se ipsum dederat Societati.

De morte meditatio quotidiana.

Liberalitas erga Societatem eximia.

4. In Iaponia anno 1614 Anonymus quidam Coadjutor, Iapon, pro fide variè tortus, laniatus, & in aqua gelida per ipsos 70 dies ita mersus, ut capite tantùm emineret; demum gloriosum agonem capite truncatus consummavit.

5. Iaroslaviæ anno 1587 Ioannes Hartus Anglus Londini in carcerem tetrum missus, maceratur longa fame, distrahitur equuleo, ad vincendum filium adhibetur mater. Subit ergastulum matrona fortis: onustum ferro, pallentem inedia, toto corpo-

Mater animat filium ad martyrium.

re

re distortum filium intuetur, &, Euge fili; nunc te meum agnosco, inquit: cælum respice: non eripitur tibi vita, sed meliore mutatur. His accensum suavissimè complectitur, recurrit ad judices, ac filio bene esse renunciat, quam illi vocem ad suam mentem interpretati, convolant in carcerem. Sensere se victos à fœmina & doluere. Pòst missus in fossam in altitudinem 20 pedum depressam, cœno sordibusq; scatentem, in qua amplius 50 dies jacuit. Interim clementiæ laudem appetivit Elizabetha, seu potius invidiam, è tot virorum optimorum sangvine, tam crudeliter effuso, in se conflari cœptam formidavit. Iussit deligi 73 Sacerdotes Catholicos, ex ijs, qui tenebantur in vinculis; quibus magni beneficij loco donavit exilium, postquam meliorem ac majorem vitæ partem sexcentis cruciatibus abstulisset. In eorum numerum Hartus sorte venit. Votum ineundæ Societatis conceperat in carcere, quod cùm à P. Gaspare Haywodo delatum ad Præpositum Generalem fuisset, cooptatus in eandem fuerat 18 Martij anni 1583. Solutus vinculis Virodunum, ubi tyrocinium poneret concessit. Inde Romam accitus, ac missus postea Iaroslaviam, hac die ad præmia laborum evocatus est. Post septennium mortui corpus repertum est integrum, & veluti proximè vitâ spoliatum, in nouam ædem Collegij Iaroslaviensis, recens consecratam translatum est. *Iuvencius fol. 787.*

XIX. JUNII.

1. ANno 1558 inchoata est Congregatio I. Generalis. Indicta quidem fuit à P. Iacobo Laynez Vicario Generali, anno 1556, paulò post pijssimum obitum S. Patris; ut quantocyus novus eligeretur Præpositus Generalis: sed non potuit, bellis intercurrentibus per Italiam, inchoari celeriùs. In tam diuturno annorum fere duorum interregno, varij, ut solet, concitati sunt motus, qui teneram adhuc Societatem non leviter concusserunt. Inprimis dissidebant Socij circa locum Congregationis Generalis celebrandæ. Alij volebant illam peragi in Urbe, alij Genuæ, alij, ijq; non pauci, in Hispania. Deinde quidam cum Bobadilla iniquiores erant erga gubernationem Vicarij Generalis, tanto tempore durantem: censebatq; Bobadilla, ad se quoq; tanquam Confundatorem (si superis placet) Societatis, partem aliquam gubernationis pertinere. Pontifex deniq; Paulus IV ab his inquietis concitatus, à Vicario & cæteris alienatus videbatur, & nescio quam moliri mutationem in Instituto Societatis. Anno enim 1557 hoc ipso die, 19 Iunij, jussit Vicarium Laynium ad duos designatos Cardinales deferre intra triduum Constitutiones Regulasq; Societatis, Diplomata Pontificum, & quidquid pertineret ad disciplinam & regimen. Sed divina Benignitas suaviter composuit omnia. Congregationem Generalem non alibi, quàm Romæ celebrari mandavit Pontifex. Inquieti sensim deserebant Bobadillam: ipse quoq; opportunè vocatus ad componendum Monasterium quoddam (qua

Interregnum diuturnum noxium.

Bobadilla appetit partem gubernationis.

Pontifex revideri curat Institutum.

Composita omnes turbæ: Institutum jure

ulla mutatione restitutum. (qua arte valebat plurimùm) excessit ex urbe. Institutum Societatis cum Regulis, & omnibus nuper extraditis, rigidè examinatum à 4 Cardinalibus diversorum Ordinum; integre, nè apice mutato, restitutum; Pontifex quoque reconciliatus apparebat. *Sacchinus p. 2. hist. Soc. lib. 1. n. 67. & seqq.*

Goanæ insulæ conversio. 2. Goæ in India anno 1590 insolita facta est gentilium conversio. Goana insula, præter urbem cognominem (quæ totius Imperij Lusitani in Oriente metropolis est) pagos continet unum & 30; quàmvis in longum duabus, in lacum unâ tantùm pateat leucâ. Pagi quidem duo millia capitum numerabant. In horum Lusitano imperio plene subjectorum, conversionem conspirarunt Constantinus Prorex, & Antonius Quadrius Provincialis. Ille authoritate, hic labore & industria sua, & Sociorum, tam prosperè rem egerunt; ut in pagis illis & suburbijs Goanis vix aliqui remanserint gentiles. Unius suburbij incolæ sexcenti & 50, hoc die, sacro lavacro expiati sunt. *Sacchn. p. 2. lib. 4. n. 245. & seqq.*

Eodem die obierunt.

Examẽ particulare mirâ diligẽtiâ absolutum. 3. Malacæ in India Orientali anno 1596, P. Ioannes de Caunas, magno apud omnes Sanctimoniæ nomine celebratus. Morientem invisit Alphonsus Turrianus Decanus, vir eximiè pius, petijtq; seriò: ut brevi posset sequi morientem. Respondit P. Ioannes, id se curaturũ apud DEum, siquidem ita vellet. Velle se, reposuit Alphonsus: & paucis post Ioannis obitum diebus febri correptus obijt. Repertus est inter schedas P. Ioannis libellus Examinis particularis, cum lineis ac punctis, per ipsos 30 annos diligenter ab eo adnotatis, diligentiâ tantò magis æstimandâ, quantò pauciorum est.

Virtutum certarum exercitium in singulos dies hebdomadæ distributum. *Perfectiõis medium efficax.* 4. In regno Chilensi Indiæ Occidentalis anno 1641, P. Melchior de Venegas, Indus. Ut passibus majoribus tenderet ad perfectionem, singulos hebdomadæ dies in totidem distribuit virtutes, à DEo petendas & exercendas. Dominico die exercebat se in desiderio videndi Deum, Feria 2. in actib9 Contritionis, Feria 3. in gratijs Deo agendis. Feria 4. in actibus Amoris divini, Feria 5. in Imitatione Christi, Feria 6. in Compassione erga Christum, Sabbato in Conformatione Voluntatis suæ cum Divina. Hac industriâ mirum, quantum profecerit in perfectione religiosa. Apud Tucumanos Apostoli nomen obtinuit. In provinciam Chonensem primus Evangelium invexit.

Zel9 contra hæreticos. *Lingvarũ peritia.* 5. Monachij in Germania anno 1635 P. Adamus Contzen, Germanus pius ac fortis contra sectarios athleta, quos compluribus editis libris exagitavit: unum supra viginti recenset Soutvellus in Bibl. Ad genuinam Scripturarum divinarum explicationem multùm ei profuit insignis peritia lingvarum, Græcæ, Hebraicæ, Syriacæ & Chaldaicæ: à Card. Bellarmino insigni donatus elogio. Vir fuit animo pacatissimo, & verecundiâ planè virginali; patientia verò tam forti: ut acerbos calculi dolores perpetuo silentio dissimulârit. *Soutvell. in Bibl.*

XX. JUNII.

1. ANno 1549 Malacâ scripsit S. Xaverius ad Socios Goanos, significando: se in procinctu esse ad optatissimum iter in Japoniam, navemq; conduxisse navarchi Sinensis, hominis ethnici, cui cognomen *Latro.* Addit: P. Alphonsum Castrum Malacæ primam DEo hostiam obtulisse, solemnitate splendidissima, qualis haberi potuit: & ad morem aliorum Sacerdotum primitias suas DEo offerentium, admissum esse, quod à populo inter sacrificandum offerebatur; sed mox remissum ad Sodalitium misericordiæ, pauperibus dividendum. Significat præterea in solemni processione publica Festi SS. Corporis Christi, in aliorum Sacerdotum paucitate, nostros processisse linteatos. Tam circumspectus fuit vir Sanctus: ut & decori ratio haberetur in cultu divino, & nihil utilitatis temporalis in usus domesticos redundaret. *Epist. Veterum lib. 3. ep. 1.*

S. Xaverij ardor ad Japonicam expeditionem.

Contemptus temporalis lucri.

2. Pro Trevirensi Collegio constituendo advenerunt hoc die, anno 1560, Socii, ab Electore Archiepiscopo advocati. Cùm enim is in Imperii comitiis Augustæ Vindel: nuncium accepisset: Treviris comparuisse pestilentis doctrinæ magistrum, avidisq; auribus eum accipi à civibus; sinè mora accurrit in urbem, & Catholicum Ecclesiasten, virum gravem, jussit è cathedra populum admonere periculi. Sed jam heterodoxus minister ita aures animosq; occupârat: ut vel ipsæ mulierculæ cum furibunda plebe inclamârint: se concionatorem præcipitaturas è cathedra, nisi eam quantocyus cederet ministro. Videns Archiepiscopus quò res evasisset, sine multa deliberatione conclusit, recurrere ad Societatem, & ex ea impetrare viros, quos sectario & dementato populo opponeret. Egitq; hoc tam strenuè negotium, oblato & opportuno loco pro Collegio, & proventu annuo pro Collegialibus: ut intra breve tempus votis ipsius factum fuerit satis, & res Catholica Treviris in tuto collocata. *Sacchin. p. 2. lib. 4. n. 100 & seqq.*

Trevirensis Collegij fundatio.

Collegia Societatis urbium præsidia.

Eodem die obierunt.

3. Nangasachi in Japonia anno 1626, P. Franciscus Pacieeus, cum octo Sociis. Post strenuos in prædicando Evangelio labores, comprehensi, & carceris ærumnis odio fidei macerati, in monte Martyrum flammis exusti sunt. Ex octo Sociis quatuor fuerunt Japones, catechistæ; alii 4 Europæi, P. Joannes Bapt. Zola, P. Balthasar Torres, Vincentius Caun, & Michaël Toso. Pervecti Nangasachum, urbem Martyrum sangvine inundatam, terram osculo venerati sunt, & palos mortuales amplexi: quibus alligati, Psalmos ac SS. JESU & MARIÆ nomina occinentes, inter flammas astra petierunt.

Victimæ fidei novem in Japonia.

Concionis materia præcipua peccatorum fuga.

4. Cordubæ in Hiſpania anno 1597, P. Joannes Frias, Hiſpanus. Societatem ingreſſus eſt plenus ingentium animorum, ut DEo valde placeret. Qua qua ibat, concionibus verſabat omnia, miro cordium motu; ſemper intentus in excidium peccatorum, & occaſionis peccandi fugam. Inde ingens non ſemel excitata eſt in illum tempeſtas, & conflatæ calumniæ ab iis, quos vel quas ab invicem avulſerat. Quin & ipſa Tartara mota, auditusq; dæmon minas intentans: *Ego hunc Frias! Habeo contra illum aciem inſtructam, quâ vindictam ſumam.* At P. Joannes omnia ſilentii & patientiæ clypeo excipiebat, retundebatq;. Mortis cauſa illi fuit dicendi ardor; quo ad concionem cùm diceret, ruptâ venâ filum vitæ abrupit.

Patientia & ſilentiū remedia tribulationum.

5. Madriti in Hiſp. anno 1672, P. Alphonſus de Andrada. Poſtquam Theologiam Moralem annis aliquot explicuit, & Placentinum Collegium gubernavit: reſiduum vitæ vir Apoſtolicus in concionibus & miſſionibus obeundis conſumpſit per annos 50. Si quid ab his occupationibus ſupereſſet temporis, piorum librorum ſcriptioni impendit: quinq; ſupra viginti typis editos numerat *Soutvellus in Biblioth. Soc.* Ita autem lucubrationes ſuas temperavit; ut nihil decerperent de exercendis officiis charitatis.

Concionum, miſſionum, & ſcriptionis labor egregiè combinatus.

XXI. JUNII.

De B. Aloyſio conceſſa Miſſa & officium.

1. GRegorius XV, per Breve, *In ſede Principis Apoſtolorum*, conceſſit Officium & Miſſam de B. Aloyſio S. I. dicendam ubivis terrarum, etiam ab externis in Eccleſiis noſtris. *Bullar. Comm.*

Oratio B. Borgiæ ad PP. Congregatos, ante Electionē.

2. Romæ anno 1565. inchoata eſt Congregatio II. Generalis, indicta à Vicario Generali S. Borgia, poſt obitum P. Jacobi Laynez. Antequam iretur in ſuffragia Electionis novi Præpoſiti: Borgia hanc gravem præmiſit orationem ad Patres Congregatos, quâ hortatus eſt: ut ex mente S. Fundatoris, juxta Conſtitutionum partem octavam, 1. eligerent non ſolùm ſufficientem illi muneri, ſed ſufficientiſſimum, adeoq; optimum. 2. Toto triduo inſtarent ferventi Orationi, exemplo Domini, ante Apoſtolorum electionem pernoctantis in Oratione DEI. 3. Diligentiſſimè conſiderarent dotes requiſitas ad tantum munus: nec determinarent aliquam perſonam, niſi poſt triduum, & horam orationis, quæ immediatè præmittitur Electioni. Quid enim attineret, Dominum conſulere: ſi apud quemq; jam fixum eſſet, quid ageret, quemve eligeret? 4. Deniq; admonuit omnes anathematis imminentis ambitioſis, & qui eos non indicarent. Poſt eam Borgiæ orationem itum eſt in ſuffragia, ceciditq;, volente DEo, ſors ſuper ipſum Borgiam; laudante Electionem Pontifice, gratulantibus bonis omnibus, ſolo Franciſco querente. *Sacchin hiſt: Soc. p. 3. lib. 1. n. 24. & ſeqq.*

3. Brixiæ in Italia Sodalitas quædam S. Antonii dicta, Clericorum Sæcu-

Sæcularium, ab insigni probitate commendatorum, quæ personis 30, partim Sacerdotibus, partim ad alia ministeria destinatis, constabat, Societati uniri & incorporari petiit, impetravitq; anno 1568. Non latuit humani generis hostem, eas familias in caput & perniciem suam coaluisse: ideoq; ut eam unionem dissolveret, allaboravit, sparsis per idonea instrumenta fœdis facinoribus de quibusdam illius Sodalitatis, infamiâ deniq; in ipsam Societatem redundante. Ne malum latiùs serperet, Illustrissimus Episcopus & Dux Brixiensis, accuratiùs rem discutiendam suscepit, factâq; diligenti inquisitione publico edicto non solùm absolvit infamatos, sed etiam insigni elogio ornavit, hoc die, *Sacchin p. 3. lib. 3. n. 3. & lib. 5. n. 74.* *Sodalitas Sacerdotum Brixiensium Societati unita.*

4. Viennæ Austriæ cùm Opitius quidam Satanæ minister in domo, Provincialium, ut vocant, cathedram sibi erexisset, ac facile à septem millibus audiretur: P. Laurentius Magius à Rudulpho Cæsare edictum impetravit 21 Junii editum, quo jubebatur ante solis occasum Viennâ excedere impiùs præco; excessitq;, ingenti hominum, etiam nobilium, copiâ deducente. *Sacchin. p. 4. lib. 6. n. 78.* *Viennâ pellitur hæreticus præco.*

Eodem die obierunt.

5. Romæ anno 1591, B. Aloysius Gonzaga, Principatûs contemptu & innocentiâ vitæ clarissimus: ut habet recens Martyrologium Romanum. Cœlesti diserta voce jussus ingredi Societatem: multa egit & passus est, ut adversantem vocationi suæ patrem Marchionem expugnaret. In Societate Angeli nomen consecutus est, quod jam in sæculo meruerat. Quam difficultatem patiuntur pleriq; in conjungenda mente cum DEo: hanc & majorem sentiebat ille in sua avellenda aliquantisper à DEo, propter DEum, ita volentibus Superioribus, valetudinis fractæ causâ. Virginitatem adhuc puer voverat DEo, quam innocentis corpusculi acri & perpetua mortificatione muniebat; etsi nullos pateretur fœdos motus, vel cogitationes impuras. Gloria ejus admirabilis in cœlo, cùm revelata esset S. Mariæ Magd. de Pazzis, exclamavit in mentis excessu. *O quam gloriam habet Aloysius, filius Ignatij. Nunquam id credidissem, nisi mihi ostendisset IEsus meus! Vellem proficisci per totum orbem, & dicere: quòd Aloysius filius Ignatij sit Magnus Sanctus.. Aloysius fuit Martyr incognitus &c. O quantùm amavit in terra!* Plura vide sup: 4 April. *Vocatio ad Societatem calit9* *Conjunctio mentis cum DEo assidua.*

6. Trigueri in Hispania anno 1570, P. Bartholomæus Bustamantius, Hispanus, tam peritus & accuratus Tyronum Magister: ut Domum Probationis, cui præerat Bustamantius, S. Franciscus Borgia vocârit Gemmam Societatis. Deliberans de statu vitæ, cùm jam esset Sacerdos honoratus & Theologus, vehementer se impelli sensit: ut profectus Guipuzgoam, id ageret, quod agere videret Franciscum, nuper Gandiæ Ducem. Abiit, vidit, & Borgiam secutus est. *Magister tyronum accurat9.*

7. In Hispania prope Bilbilim anno 1625, Joannes Marinus Scholasticus, Hispanus;

ſpanus, à medicis ſtupendam ejus patientiam in graviſſimis doloribus, admirantibus, appellatus *Frater Manſuetus*: apud alios Sancti nomine honoratus. DEi gratiâ ab omni lethali culpa immunis, votum edidit etiam de omni peccato veniali, deliberatè non committendo. Nec ulli unquam viſus eſt reus ejus voti violati.

Frater Manſuetus.

8. Coloniæ in Germania anno 1656, P. Maximilianus Sandæus, Belga, à directione Sodalitarum Marianarum (quam ſpartam ſuam appellabat) & indefeſſo lucubrandi ſtudio laudatus. Scripſiſſe fertur tot libros, quot annos vixit; ſcilicet 78 quorum præcipuos, ſatis copioſos, recenſet Soutvellul *in bibl. Soc.*

Librorum editorum copia.

XXII. JUNII.

Coloniam Agripp. adit Societas.

1. ANno 1556 nova Societatis colonia ducta eſt Coloniam Agrippinam. Miſſi à S. Ignatio Socij tantùm tres, ſed egregijs dotibus pares multis: quí ita operam ſuam ac virtutem probârunt in publicum: ut eodem anno, inſignibus adjunctis tyronibus, numerus accreverit ad viginti. Attributum eſt illis à Magiſtratu Collegium, dictum *Trium Coronarum*, denominatione ſumpta ab ipſis Urbis inſignibus. Lectiones ſacras confeſtim in Academia tradere cœperunt primi illi Triumviri, pari plauſu & fructu explicantes Scripturas Divinas. *Orland. p.* 1. *hiſt. Soc. lib.* 16. *n.* 25.

Meditationes de Christi Paſſione Iaponibus ſapiunt.

2. Malacâ ex India in Iaponiam profecturus, epiſtolam dedit S. Xaverius anno 1549 Romam ad Societatem, qua ſignificat inprimis: Iapones quoſdam, & inter hos præcipuum, Paulum à S. Fide, Goæ Sacro lavacro initiatos eſſe, & inſuper Exercitijs Spiritualibus magno ſuo ſolatio & fructu excultos. Interrogati ſæpius à Sancto; in quo potiſſimùm genere meditationis reperirent ſenſum guſtumq; pietatis? In Chriſti cruciatibus, acerbiſſimaq; nece, reſponderunt. Significat præterea: magno ſibi adjumento eſſe doctrinam S. P. Ignatij, de mortificatione ſui ipſius. Equidem inquit, illud ſemper fere propoſitum habeo, quod ex optimo Parente noſtro Ignatio ſæpiùs audivi: *Noſtræ Societatis hominibus omni ope atq; operâ enitendum eſſe, ut ſe ipſi vincant*; timoresq; depellant omnes, qui impedimento eſſe ſolent, quominus ſpem omnem reponant in ſolo DEo. *Epiſt. Veterum lib.* 4. *ep.* 4.

Mortificationis ſtudium.

3. Inchoata hoc die Congregatio Generalis XII, & poſtea Congregatio XIII. *Ex Decret. Congr. Gen.*

Fuldæ gravis tempeſtas.

4. Fuldæ in Germania anno 1576 contra Balthaſarem Abbatem ſuum religioſiſſimum qui ſimul S. R. I. princeps eſt, conſurrexerunt præcipui Capitularium, diſciplinæ impatientes; quibus ſe junxit nobilitas, hæreſi

jam imbibitâ. Omnes minaciter institerunt: ut Abbas cederet officio: quod ut obtinerent facilius, Herbipolitano Episcopo administrationem Abbatiæ obtulerunt. Herbipolitanus idem suadebat, sub prætextu, ne res Catholica, & ipsa Fulda cum Collegio, à principibus protestantibus, penitus everteretur. Unico præsidio & solatio fuit bono Abbati, noster P. Petrus Lopercius, quo Concionatore utebatur: qui & Abbati & Herbipolitano Episcopo eam cessionem graviter dissuadebat, ut religioni & rei Catholicæ summè noxiam. Quod ubi seditiosis innotuit, prope abfuit, quin ab ipsis trucidaretur. Comprehensus, & in custodiam datus, multa tulit, donec Abbate per vim adacto ad cessionem dignitatis, dimissus est. *Sacchin. p. 4. lib. 4. n. 103. & seqq.*

Eodem die obierunt.

5. Conimbricæ in Lusitania anno 1612, Andreas Saa, Scholasticus Lusitanus. Is audita morte Patris Roderici, adscitum valetudinarii Præfectum monuit: ut suo quoq; funeri maturè curaret necessaria, priùs tamen invitaret ad se P. Rectorem. Ab hoc præsente petiit, ut cum bona ipsius venia liceret sibi, proficisci in domum æternitatis suæ. Cùm P. Rector annuisset, sub conditione, ita volentis DEi: Andreas assumpto sacro cereo & Crucifixo, inter ardentes divini amoris affectus, placidissimè brevem agonem suum absolvit.

Moriendi venia petita.

Agonia brevis & suavis.

6. Camberii anno 1610 Claudius Veley Belga, Coadjutor. In hunc inclinante jam vitâ irruit ingens Tartareorum spectrorum agmen, ut olim in S. Antonium, sub specie taurorum, leonum, draconum &c. at ille Divis cœlitibus in subsidium vocatis, spectabilem habuit agonothetam JEsum, cruci affixum, qui trepidum erexit, & suam in agone opem promisit.

Contra spectra subsidio est JEsus.

XXIII. JUNII.

1. ANno 1549 Indiarum Apostolus S. Xaverius, epistolam dedit Malacâ, ad Joannem III. Lusitaniæ regem, commendando ejus gratiæ Expræfectum Malacensem, egregiè functum officio suo, & planè pro honore regis, quem dicit vel maximè pendere à bonis ministris. Equidem, inquit, sic arbitror: regum ac principum latè imperantium, in eo verti gloriam; si, quas ipsi per se administrare non possunt, suæ ditionis partes, iis committant, quorum existimari similes, honestum ipsis sit; quosq; populi cùm viderint, expressam effigiem laudum ac decorum Principis absentis, in præsentibus ab eo missis ejus Vicariis, spectare sibi ac tenere videantur. *Epistol. veterum lib. 5. ep. 13.*

S. Xaverius laudat principes bonorum ministrorum curam habentes.

2. Romæ habita est anno 1603. Disputatio 19 de Auxiliis Gratiæ, coram Clemente VIII, cujus argumentum fuit: An opera moralia bona ex genere, objecto, & omnibus circumstantiis, etiam ab homine fideli pro-

Opera salutaria debent aliquomodo procedere ex motivo fidei, & pietatis Christianæ.

cedentia, & cum consideratione justitiæ ac bonitatis divinæ; ut sint proficua ad salutem, debeant procedere ex motivo fidei & pietatis supernaturalis? Respondit doctè ac subtiliter P. Arrubal: Talia opera non esse simpliciter bona (ita nimirum ut proficiant ad salutem æternam) nisi aliquo modo procedant ex motivo Fidei & pietatis Christianæ: Quod explicuit: Nimirum non debere illa procedere ex motivo formali proximo Fidei & Pietatis Christianæ; sed sufficit, quod procedant ex fine supernaturali remoto, scilicet ex intentione illius actuali, vel virtuali. Per pietatem autem Christianam intellexit eum vivendi, seu agendi modum, qui elevatus est supra naturam, tenditq; ad finem supernaturalem. De hac enim locutus est Apostolus 1 Tim. 4. quando dixit: *Pietas ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ.* Eleuther. hist. de Aux. lib. 5. cap. 23.

Eodem die obierunt.

Victima fidei in Anglia.

3. Londini in Anglia anno 1608, P. Thomas Garnetus, Anglus, odio fidei strangulatus. Post plures menses in vinculis exactos, proscriptus ex Anglia, rediit iterum, & strenuè per annos 6 rem Catholicam promovit. Iterum captus & proscriptus, rediit iterum; rursumq; tentus, suspensus & dissectus est: Rogatus in extremis, an vellet emisso fidelitatis juramento vitam redimere? Respondit: *ne quidem quinquies mille vitatum pretio se id facturum.* Bene igitur regi, reginæ, & singulis nominatim adversariis suis precatus, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Apostolorum, & Hymnum *Veni creator spiritus*, devotè recitavit, ac feliciter pependit.

Mortis & tormentorũ contemptus.

Oratio pro inimicis.

Mendacij fuga.

4. In Paraquaria anno 1623, P. Joannes Vaseus, Belga insignis in Evangelio operarius. Post labores diurnos ad quietem se componens, oppido universo bene precabatur, cruce in 4 illius partes ducta; ut à peccatis servaretur immune. Lingua illi tam cauta, ut nullius mendacii, per omnem vitam commissi sibi conscius esset.

5. Parmæ in Italia anno 1578, Josephus Martinius, Italus Scholasticus, genere, innocentiâ morum & virtute solida illustris. Ne tyrones quidem, quantumvis attenti & sagaces, in illo quidquam nævi deprehenderunt. Rectorem suum rogavit: ut instar deliri tractaretur. Obedientia illius cœca dicitur miraculo quodam honorata. Sub mortem à dæmone vanâ gloriâ tentatus ob vitam sanctè actam, ingenti clamore restitit, & Crucifixum opposuit tentatori.

Vana gloriæ tentatio in morte.

XXIV. JUNII.

1. ANno 1537, S. Ignatius, Xaverius, & alij quidam è primis Socijs, Venetijs Ordinibus Sacris initiati sunt ab Episcopo Arbensi. *Nadasi in Indice Mem:*

2. In India anno 1549 Malacâ in Iaponiam, diu expetitam, solvit S. Xaverius. Navis, qua vehebatur, præfectus erat gentilis Sinensis: qui

cùm

cùm idolo suo sacrâ fecisset, rogassetq; an prosperè in Iaponiam essent appulsuri & inde Malacam reversuri? respondit dæmon per sortes: si Iaponiam attigissent, Malacam minimè reversuros. Ergo perfidus navarchus omni arte fugiebat Iaponiam, destinavitq;, eo anno hyemare in portu aliquo Sinensi. Sed contrà precibus rem agebat apud DEum Xaverius, obtinuitq;: ut venti à puppi flantes, quidquid moliretur navarchus, impulerint navim in Iaponiæ portum Cangoscimam; quæ erat patria Pauli à S. Fide Iaponis baptizati, quia cum Xaverio vehebatur. *Bartoli in Vita lib. 2. n. 55.*

S. Xaverius, frustra fremente dæmone in Iaponiam appellit.

3. In Polonia anno 1577. gloriosus rex Stephanus Bathoreus, ex castris ad Gedanum positis, perhonorificas dedit literas ad Societatem Polonam: quibus declarat, se non defuturum divinæ gloriæ propagendæ, & Religioni protegendæ ac promovendæ; concluditq;: *Ad quam rem melius ex animi sententia conficiendam, cùm vester Ordo vel inprimis nobis apprimè sit necessarius: meritò nobis & est, & erit semper gratissimus. Quod tum re potiùs, quàm verbis declarabimus, ubi primùm regni hujus nostri negotia composuerimus &c.* Sacchinus hist. Soc. p. 4. lib. 5. n. 77.

Stephani regis Pol: benevolentia erga Societatem.

4. Goæ in India anno 1560 maximum urbis suburbium, quod Carambolim appellant, Christo accessit, postquam ad id temporis pertinaciter restitisset. Cùm enim per totam insulam ingens fieret ethnicorum conversio, expulsis à Constantino Prorege Brachmanis: suburbij primores capita contulerunt; quid sibi tandem faciendum esset? Quidam censuerunt, è Lusitana ditione excedendum esse; alij expectandum, donec alter succederet Prorex, qui mitior esset in idolorum cultores. Sed quidam ætate & authoritate venerabilior, neutrum probavit, affirmans domos proprias relinquere nimis arduum & periculosum esse; expectare autem meliora tempora cum novo prorege, videri nimis incertum. Quamdiu enim, inquiebat, in his terris supererunt Iesvitæ, qui nunquam defuturi videntur, nunquam meliore loco erunt res nostræ, & deorum nostrorum. Quid ergo hæremus? Faciamus, quod vicini nostri; Christo manus demus. Dictum factum. Hoc ipso die, Divo Baptistæ sacro, magna vis hominum baptismo lustrata est. *Sacchin. p. 2. lib. 4. n. 248.*

Conversio suburbij maximi Goani.

Eodem die obierunt.

5. Antverpiæ in Belgio anno 1629. P. Carolus Scribanius, Belga, Vir erecti ad magna, liberalis, & religiosissimi animi. Conscientiam semper quotidiana, & subinde intra eundem diem iterata confessione purgabat. Cubiculo egressurus pedes Sta-

Cubiculum egrediens B. V. Statuam osculatur. tuæ Marianæ osculabatur, eiq; negotium, ad quod exibat, commendabat. Cùm Antverpiæ præesset: ægros ex tota Provincia ad se mitti, singulari planè charitate, petebat; eosq; amantissimè & liberalissimè habebat. Propter eminentem doctrinam, singularem prudentiam, libros conscriptos, & mores religiosissimos, in amore & honore fuit non solùm Viris principibus & S. R. E. Cardinalibus: sed summis Ecclesiæ & regnorum gubernatoribus, Philippo IV Hispaniarum, Henrico IV Galliarum, regibus, Ferdinando II Imperatori & Urbano VIII Pontifici Max. Paucis ante mortem diebus, Patri Philippo Bultinck, Mechliniam eunti, dixit: *Eja Pater, simul in cœlum proficisci debemus.* Nunciata paulò pòst Mechliniæ P. Scribanii morte, narravit P. Philippus, quid sibi ab illo dictum esset: & mox concidit, ut sola unctione extrema muniri potuerit.

Rector Antverpiensis omnes Provinciæ infirmos ad se mitti petijt.

Socius mortis accitus.

6. Tybure in Italia anno 1602, Antonius de Henricis, Italus Coadjutor. Collegium Tyburtinum, ad quod ab ipso S. Ignatio missus fuerat, magna ex parte suis laboribus & industriis sustentabat. In gravi morbo rogatus à P. Rectore, quot adhuc annos vitæ sibi superesse putaret? Unum & dimidium, respondit: atq; ita evenit.

Mortis tempus præscitum.

7. Romæ anno 1650, P. Balthasar Corderius, Belga. Ob singularem linguæ Græcæ peritiam, instituit Græcorum Patrum scripta corradere, & ad explanandas Scripturas Sacras accommodare. In eum finem præcipuas Europæ bibliothecas, per Germaniam, Galliam, Hispaniam, Italiam, magnis itineribus lustravit, & excussit; confecitq; ex Græcis potissimùm Patribus catenas varias in Psalmos, in Evangelia S. Joannis & Lucæ &c. Catenam in Evangelium S. Lucæ ex 65 Patribus Græcis contexuit *Soutvellus in Bibl.*

Lingua Græcæ peritia & usus fructuosus.

8. Romæ anno 1541, P. Joannes Codurius, unus è primis decem Patribus; cujus animam eodem tempore quo exspiravit, vidit S. Ignatius inter Angelorum choros ferri ad cœlum. Obiit vir religiosissimus ipso magni Præcursoris die, quo & natus fuerat, & Sacerdotio initiatus, eâdem quoq; qua Præcursor, ætate. *Orland. hist. Soc. p. 1. lib. 3. n. 19. & seq.*

XXV. JUNII.

1. S. Xaverius in Sinas solvens anno 1552, epistolam dedit consolatoriam ad Iacobum Pereiram; cujus, tanquam Legati ad Imperatorem Sinensem, sed nequiter inhibiti à Præfecto Malacensi, sumptu & navi profecturus erat ad Sinas. Totius autem negotij, & magni apparatus dissolutionem suis peccatis sanctè imputat Vir Sanctus. Quoniam, inquit, meorum delictorum magnitudine factum est, ut nobis ambobus DEUS ad Sinicam expeditionem uti noluerit: omnis culpa conferenda est in mea peccata. Quæ quidem tanta, ac tam gravia fuerunt, ut non mihi solùm obfuerint, sed etiam tibi, tuisq; negotijs ac pecunijs, quas in legationis apparatum contulisti. Veruntamen DEus conscius est meæ erga se teq;, voluntatis: quæ nisi rectissima fuisset, nunc utiq; acerbiorem animo caperem dolorem, *Epist. Veterum lib. 4. ep. 11.*

S. Xaverius peccatis suis ad scribit: quòd Legatio ad Sinas irrita fuerit.

2. In

2. In Litvania anno 1586 Nesvisiensis Collegij hoc die posita sunt fundamenta, magnâ Fundatoris munificentissimi, Christophori Radivilij Principis, lætitiâ. Pro zelo suo erga Religionem Catholicam, jam ante biennium, redux ex Peregrinatione Hierosolymitana, expetierat Collegium: sed Claudius Præpositus Generalis distulit; quod oppidum illud infrequens videretur, ideoq; non præbiturum operarijs nostris sufficientem laborum copiam, vel in scholis, vel in Ecclesia. Moram non solùm ægrè, sed impatienter tulit optimus Princeps: atq; ne locus vilesceret, sed frequentior fieret, jus & honorem Civitatis Nesvisio suo impetravit à rege, vallo illud & fossâ cinxit, atq; sumptuosis ædificijs, aliorumq; Religiosorum domibus ornavit. Quo ad designandos Collegio reditus, & statuendas, si quæ occurrerent, conditiones, non aliud certamen fuit quàm ut nimiam liberalissimi Fundatoris indulgentiam & largitatem, ad religiosæ modestiæ normam temperaret Claudius. Stetit ergo intra breve tempus Collegium cum sua basilica, & ordinatissimâ amplitudine sua, & proventibus annuis, & literarum studijs insigne. *Sacchin p. 5. lib. 4. n. 80. & lib. 6. n. 25.* *Collegij Nesuisiensis initia.* *Fundatoris munificentia.*

Eodem die obierunt.

3. Ratisbonæ in Germania anno 1609, P. Joannes Bredanus, Belga, illustre vivendi religiosè, & moriendi exemplum. Inter præclaras, quà ad populum dicendi, quà conscientias expiandi dotes, hæc in illo eminuit: quòd morientibus perlibenter & perscitè adstiterit, magno ipsorum solatio & fructu. Nongenti sunt numerati, quibus id officii præstitit, Unde Friburgensis Senatus, tres honoratissimos viros ad P. Provincialem ablegavit, petentes: ut P. Joannem Friburgum remitteret. Sed illum Ratisbonæ mors intercepit. *Moribundos disponendi industria & diligentia.*

4. Iu itinere ad Philippinas Insulas, anno 1622, P. Franciscus Joannellus, Italus. Orabat tam prolixè ac ardenter, ut eum observantes inflammarentur. Sæviebat in corpus suum tam inclementer: ut quotidie largo sangvine manaret. Voluntatem suam ut Divinæ in omnibus conformaret, verba illa descripta semper secum circumferebat: *Iuveni Virum secumdùm cor meum, qui faciat omnes voluntates meas.* Obiit in mari, tempore quod prædixit; nec aliter ac Sanctus, judicio Religiosorum qui aderant. *Conformatio voluntatis cũ divina.*

5. Bononiæ in Italia annò 1671, P. Joannes Bapt. Ricciolus, Italus: vir omnium scientiarum genere excellenter excultus. Theologiam Scholasticam decennio docuit, partim Bononiæ; partim Parmæ. Cùm autem in Mathematicis potissimùm excelleret: ad eas disciplinas excolendas & reformandas animum adjecit, ediditq; non speculatione tantùm, sed praxi laboriosa, & multis experimentis insignes, & plurimùm æstimatos à peritis Tomos aliquot: ut Astronomiæ Reformatæ Tomos 2, Almagestum novum, Astronomiam Veterem novamq; complectens Tomis 2, Chrono- *Mathesis promota & reformata.*

nologiæ reformatæ Thomos 3, Geographiæ & Hydrographiæ Libros 12, Vindicias Calendarii Gregoriani, & plura alia. *Soutvellus in Bibl. Soc.*

XXVI. JUNII.

Liber P. Suarÿ iniquè damnatus in Curia Parisiensi.

1. ANno 1614, fraude & operâ hæreticorum, prodiit Curiæ Parisiensis sententia rege inscio, in Librum à Ven. P. Francisco Suarez editum, contra Jacobi Regis Angliæ errores hæreticos, & iniqua decreta. Titulus Libri est. *Defensio Fidei Catholicæ & Apostolicæ, adversùs errores Sectæ Anglicanæ &c.* In hunc ita exarsit Jacobus rex: ut Londini publicè per Carnificem jusserit flammis absumi; incitâritq; regem Hispaniæ ad similem in eum librum adversionem. At ille traditum examini Doctorum, ac prolixè laudatum, merito elogio ornavit, monuitq; per literas Angium: ut ipse potiùs saniora caperet consilia, & ad avitam rediret Religionem. Quod sectarii non impetrârunt in Hispania, conati sunt evincere in Gallia; tantùmq; profecerunt: ut Liber Suarii infami manu Parisiis sit crematus. Indignissima res visa Pontifici, Paulo V: nec moratus est conqueri per literas coram Rege Ludovico XIII, & ejus parente Medicæa, de insolenti facto, & illato probro Doctori celeberrimo integerrimoq;. Rex adolescens, & Regina mater, sanctè testati sunt Pontifici; se insciis, & Lutetiâ tunc absentibus, rem gestam esse. Confestim igitur Curiæ Decretum abrogârunt, plenamq; omnibus fecerunt potestatem, prædictum librum retinendi, legendi & imprimendi. Illud non injucundum: quòd cùm fama Libri in Anglia combusti, pervenisset Conimbricam in Lusitania ad aures Suarii: is oculis in cælum sublatis. *Utinam* ajebat, *concessa meo volumini sors, mihi etiam DEi beneficio contingat!* Quod votum illico P. Sebastianus Barradius, qui præsens aderat, opportuno carmine ex Nasone petito, ingeniosè expressit: *Sine me liber ibis in ignem: Hei mihi, quòd Domino non licet ire tuo!* Loco vocis *Urbem*, posuit opportunè *Ignem.* Massejus *in vita P. Suar. cap. 16.*

In Hispania approbat9 & laudatus.

A Pontifice vindicatus.

A rege Gall restitutus.

Templum Domus Professæ Romæ inchoatu

2. Romæ anno 1568, Basilica Domûs Professæ extrui cœpta ab Alexandro Farnesio Card. pari pietate & magnificentia. Primum lapidem posuit ipsemet Cardinalis cum Cardinale Augustano Truchsesio. *Sacchin. p. 3. lib. 4. n. 141.*

Eodem die obierunt.

Concionatori familiares S. August. & Chrysost.

3. Herbipoli in Germania anno 1625, P. Joannes Georgius Voglerius, Germanus, orandi & perorandi ad populum dote præstans. S. Augustinus & Chrysostomus præ cæteris ei familiares erant: ille pro alenda pietate privata, iste pro populo instru-

instruendo. Quanto Catholicis amori, tanto erat odio hæreticis; qui, postquam P. Joannes Hagenoâ aliò migravit, non erubuerunt in vulgus spargere: P. Voglerium ab infernali genio arreptum domi in catenis detentum, deniq; evanuisse. Sed puduit illos mendacii, cùm Voglerius mente & corpore sanus, imò validior, paulò post comparuit in cladem illorum. *Hæreticorū figmenta.*

4. Firandi in Japonia anno 1587, Joannes Fernandez, Coadjutor Hispanus, S. Francisci Xaverii in Japonia Socius. Magni ab ipso habitus, & rebus pro fide gerendis apprimè idoneus ac promptus fuit, plurimis ad Ecclesiam adductis gentibus. Amanguccii vir gravis concionanti aderat: ut quæ docebatur, exploderet. Verùm cùm isthic procacior quispiam in os Joannis phlegma spurci oris fœdè conjecisset, ac Joannes modesto silentio rem dissimulans, faciem strophiolo abstersisset, ac dicere ad populum perrexisset: tanta animi excelsitate adeò permotus est vir ille gravis: ut ad Joannis pedes abjectus, primus baptismum petierit. Sacerdotes in tanta reverentia habebat: ut coram ipsis non nisi jussus loqueretur. *Injuriæ contemptus utilis.* *Sacerdotum veneratio.*

5. Cracoviæ P. Jacobus Wiecus, Vangrovicius dictus à natali majoris Poloniæ loco. Adolescens è libris hæreticorum hauserat hæresim. DEi beneficio factum est, ut in ejus manus veniret Cardinalis Hosii liber, *Confessio* inscriptus. Hoc antidoto venenum expulit. Romæ adscitus in Societatem, rediit in Poloniam peractis studiis literarum, & tradenda Theologia, scribendis libris, habendis concionibus, sociis regendis, utilem patriæ operam nauavit. Posnaniensis Collegii quasi parens, rectorq; primus fuit. Stephani regis rogatu profectus in Transilvaniam, primus Collegio Claudiopolitano præfuit. Primus nostrorum linguâ vernaculâ librum edidit, quo Confessionem Sendomiriensem à Calvinistis vulgatam refellebat. In eundem Polonicum sermonem convertere sacra Biblia, Gregorio XIII imperante aggressus, Cracoviam, ut opus perpoliret, secessit, cui & immortuus est. Psalmos Davidicos ad pœnitentiam pertinentes meditabatur, dum valetudo & vita suppetebat, vim lacrymarum profundens: eosdem æger confecto jam prope vitæ spatio, prælegi sibi voluit, D Augustini exemplo. Postremam noctem orans, obtutu in Christi morientis effigiem continenter defixo, transegit. *Iuvencius fol.* 799. *Lectio libri salutaris.*

XXVII. JUNII.

1. ANno 1537 Venetijs S. Ignatio, & Socijs, datum est testimonium Ordinum Collatorum ad titulum Scientiæ ac Voluntariæ Paupertatis. *Nadasi in Ind: Mem.*

2. Ex Sicilia cum classe militari solvit in Africam contra Turcas, anno 1551 P. Hieronymus Natalis cum P, Isidoro Bellino. Sed gravissima tempestate coorta, è quindecim triremibus octo perierunt cum ingenti hominum multitudine, & P. Bellino, qui ad ultimum Spiritum non desijt naufragis inclamare salutaria, magis de illis, quàm de se solicitus. Natalis diu inter undas luctatus, tandem evasit fune quopiam arrepto, & cum superstitibus tenuit Aphrodisium Africæ urbem: ubi & sanis in Ecclesia, & ægris in nosocomio, omnia factus est. *Orland. p, 1, hist. Soc. lib. 11. n, 21.* *In naufragio zelus.*

3. In Lusitania anno 1617. multò major concitata est tempestas inter Ecclesiasticos & regios ministros. Nuncius Apostolicus hoc die generale promulgavit Interdictum adversus urbem Ulyssiponensem, propter violatam Immunitatem Ecclesiasticam, & quosdam fori administros declaravit anathemate irretitos. Non defuerunt Theologi, qui censuras irritas & illegitimas pronunciârunt: Sed Ven: noster Franciscus Suarez, quàmvis ætate & laboribus fractus, cum saniore spiritualium parte, tam fortiter stetit pro Immunitate Ecclesiastica, & robore interdicti, ut mortem inde contraxerit gloriosam. Non solùm enim circumcursando ardente sole, & ministros regios informando ac solicitando: sed etiam, tum epistolis ad aulam Hispanam (erat enim tunc Lusitania in potestate regis Hispaniæ Philippi III) & ipsum regem datis; tum insigni volumine conscripto pro Ecclesiastica Immunitate, promovit causam Pontificiam. Pro quo obsequio honorificentissimis literis amplas ei gratias egit Pontifex Paulus V. *Masseius in Vita Suar. cap. 22.*

Immunitas Ecclesiastica strenuè defensa à P. Suarez.

Eodem die obierunt.

4. In America anno 1610, P. Raphaël Ferrer, Hispanus, in odium fidei occisus. Semper magis arduarum Missionum avidus, intra breve tempus magnam barbarorum copiam è sylvis eduxit, ad civilem vitam mansuefecit, & quadringentos baptismo lustravit. In Popayana provincia, cùm scenicam actionem, quam dari nolebat, impedire aliter non posset: antequam illa inchoaretur, in theatrum prosiliit, & ita dixit: ut omnes ad lacrymas permoverit, & insulsam comœdiam disturbârit. Barbarorum nonnulli, indignati, patrios deos ab ipso convelli, præcipitem dederunt in flumen, & ad beatæ æternitatis portum impulerunt.

Victima fidei in America. Venatio barbarorum.

Comœdia insulsa impedita

5. Valentiæ in Hisp. anno 1558, Didacus Sarabias, Coadjutor. Ante initam Societatem, cùm esset textor, modico ipse contentus, reliqua omnia dabat pauperibus. In Societate, acceptâ in publico alapâ à petulante quodam, ad pedes ejus se projecit, veniam petens; acsi non accepisset, sed dedisset injuriam. Mauris prædonibus obvius factus, Rosarium suum intrepidus opposuit: & illi pacificè transierunt, vel non viso Didaco, vel potiùs à DEipara prohibiti, ne nocerent. Moriens exultabat, quòd in Societate moreretur, & vitam devovisset obsequio pestiferorum.

Patientia in injuria.

Rosarium Marianum.

XXVIII. JUNII.

1. ANno 1521 S. Ignatius, ex vulnere Pampelonensi æger, supremis ad mortem mysteriis instructus, noctem proximam fatalem sibi expectabat. Sed ab Apostolorum Principe, S. Petro, gratiosè visitatus, aspectu recreatus, & persanatus est, in ipso festi Apostolorum pervigilio. Intererat enim Petri, vivere Ignatium: ut Sedes sua Apostolica validum haberet

S. Ignatius à S. Petro sanatur.

beret propugnatorem, & Ecclesia zelosum propagatorem. *Bartoli in Vita lib. 1. n. 4.*

2. Romæ anno 1591 Gregorius XIV, per Constitutionem, *Ecclesiæ Catholicæ*, confirmavit Societatis Institutum, & rationem gubernandi: & ne quid contra hæc à quopiam tentetur, graviter interdixit. *Bullar. Societ.* *Institutum Societatis & Ratio gubernandi approbata.*

3. In Belgio anno 1591 Octavius Calatinus Nuncius Apostolicus per Edictum ad Academiam Duacensem potissimùm, datum, concessit Nostris facultatem, doctrinam P. Leonardi Lessii de Auxiliis gratiæ & Prædestinatione, liberè tradendi. Quod edictum, in literis ad Atrebatensem Episcopum datis 26 Septemb. dicit, Pontificis Gregorii XIV auctoritate sententiâq; confirmatum esse. Et sic in Belgio conquieverunt tunc turbæ inter nostros & Academias Lovaniensem, ac Duacenam ferventes. *Eleuth. in hist. de Auxil. lib. 1. cap. 19. & 20.* *Doctrina Lessii de Gratia & Prædestinatione indemnis.*

4. Coloniæ Agrip: exeunte Junio, anno 1545, conquievit tempestas, quam in tenellum adhuc gregem Sociorum concitârat Hermannus Archi-Episcopus. Is posita tandem larvâ Catholici, hæresim professus: ut Jesuitæ urbe pellerentur, tanquam sine licentiâ Senatûs in eam ingressi. Eò deniq; res fuit deducta: ut Senatus decreverit, ne Nostri viverent in iisdem ædibus more Regularium, sed sparsim per urbem, & in veste communi Clericali, si vellent commorari Coloniæ. Crudum decretum: maluerunt tamen Socii morem illi gerere, quàm deserere populum multo labore, præsertim PP. Fabri & Canisii, ab hæresi servatum immunem. Et probavit S. Pater constantiam; permisitq; paulò post Senatus: ut in pristinis ædibus conjuncti viverent. *Orland. hist. Soc. lib. 5. n. 35.* Tam chara fuit Patribus nostris Colonia: ob quam ab hæresi servandam immunem, etiamnum, dum hæc scribo, multa & gravia patimur, in diversis Provinciis,

Eodem die obierunt.

5. In Africa anno 1575, P. Franciscus Goveanus, Lusitanus. Angolitano in regno multa egit, & passus est; ipsis 14 annis in custodia detentus. Cùm æger decumberet Pater. Angolæ rex, cantores suos jussit assiduè dies noctesq; circumire domum: ut voce, & organis pulsatis, mortem, ne accederet, absterrerent, vel placarent. Sed invenit illa aditum, & virum emeritum in libertatem filiorum DEi asseruit. *Carcer annorum 14. Mortis fugandæ medium ineptum.*

6. Visbici in Anglia anno 1592, P. Thomas Methamus, Anglus. Londinensem turrim, seu carcerem, annos 4 incoluit. Inde in alios aliosq; carceres deportatus, demum inter paludes, in Visbicensi ergastulo per annos plures contabuit. Ita vitam per annos 17, causâ fidei, in carceribus ærumnosissimis ductam, longa morte conclusit non invitus, quàmvis cruentam maluisset. *Victima fidei in carcere annorum 17.*

Victima fidei dua in carcere Suetico.

7. Stocholmii in Suecia, anno 1601, Mathias Vitriarius, & Nicolaus Mercator Coadjutores Lituani, Socii Patris Christophori Spoteci (de quo 14 Junii) multa ab hæreticis, odio fidei, perpessi, in carcere decesserunt.

Victimæ charitatis 60 in peste Neapolitana.

8. Neapoli cùm anno 1656 sævissima pestis, urbem populosissimam depasceretur, inter 60 Socios, in obsequio pestiferorum extinctos, hoc die sublatus est in eodem obsequio P. Josephus Gustapane, viva religiosæ observantiæ idea. Paulò post secutus est ipsum P. Lucius Pignatellus, Neapolitanus, vir sui despicientiâ, & susceptâ spartâ illa tantò major, quantò illustrior erat genere, fratre germano Innocentii Papæ XII natus. Zelo Apostolico jam in Indiam abreptus erat, & in Lusitaniam devenerat: sed revocatus in Italiam, primùm Romanum Collegium, deinde Provinciam Neapolitanam gubernavit; invenitq; in Europa pretiosæ mortis gloriam, quam in India quærere institerat.

XXIX. JUNII.

Christus promittit, se propitium futurum Sociis in regia utraq; Sinensi.

1. P. Matthæus Riccius in China turpiter ejectus Nanchino, urbe regia, Nanquinum se recepit, eoq; pervenit feliciter ipso Apostolorum principibus festo die. Antequam eò perveniret, in itinere multo mœrore pressus obdormivit; viditq; per somnum, hominem ignotum, ita se alloquentem: Itane tu hoc regno vagaris eo animo, ut antiqua religione proscripta, novam inducas? P. Matthæus respondit: Aut DEum, aut dæmonem te esse oportet, qui hæc noveris, cùm nemini mortalium indicaverim. Minimè sum dæmon, sed DEus, reposuit alter. Tum P. Matthæus ad pedes ejus lacrymabundus proruit, & in hæc verba prorupit: Si hoc, Domine mi, votum meum nosti, cur adjutricem tantis rebus non admoves manum? Cui Dominus: *Ego in utraq; urbe* (Nanchinensi & Pechinensi) *vobis propitius ero.* Expergefactus Pater Socio visum narravit, & non vanum fuisse somnium eventus docuit. *Trigault. de Christiana Exped. in Sinas lib. 3. cap. 10.*

Famosi contra Societatem libri combusti.

2. In Hispania Madriti anno 1634. ex Decreto Sacrorum & Generalium Fidei Quæsitorum, solemnissimè combusti sunt in publico foro libri non pauci Satyrici, quos in Societatem effuderant Magister Franciscus Roales, & non pauci anonymi. *Gomez in Elog. Societ: part. 1. Classe 5.*

3. Anno 1558 responsorias dedit hoc die P Franciscus Borgia, Commissarius tunc Hispaniæ, P. Antonio Madridio Doctori & concionatori celeberrimo, petenti: ut quando concionaturus esset, atq; in cœna semel in hebdomada, liceret sibi corpus castigare per spatium Psalmi *Miserere.* Superiores enim ad cóërcendum nimium ejus rigorem in hoc genere, tantùm ei concesserant propter infirmam valetudinem: ut ictus octo sibi infligeret. Rescripsit ergo illi Borgia, concedendo ut illis octo concessis

icti-

ictibus adderet alios septem, ante concionem. De flagellatione in triclinio, sic respondit: in cœnatione cum flagello qualibet hebdomadâ prodire licebit quidem; verùm ita, ut soles, indutus ingredere, & super vestem flagellum expedies. Salsa nimis videbitur mundi Sapientibus hæc licentia: Sed Borgia & Doctor Madridius stylum scholæ Christi meliùs noverant. *Sacchin. p. 2. lib. 7. n. 76.* *Mortificatio discreta & lepida.*

Eodem die obierunt.

4. Cusqui in Peruvia anno 1606, P. Ildephonsus à Poso. Cum ad iram naturæ impetu esset pronior, ita illam virtute perdomuit: ut in Societate nemo illum viderit iratum. Modestiâ oculorum erat tantâ, præsertim quo ad fœminarum aspectum: ut fœminæ Indæ ipsi confessæ, dicerent; se cæco illi Patri confessas. *Ira domita.* *Aspectus fœminarum vitatus.*

5. Goæ in India Orientali anno 1656, P. Alphonsus Mendez, Lusitanus, Æthiopiæ Patriarcha. Emenso Oceano appulsum in Æthiopiam, Sultan Seguedus Imperator amplexu strinxit, ac dixit: *Nunc dimittis Servum tuum Domine.* Mox Alexandrina superstitio cum Romana fide & religione passim permutata, Patribus undeviginti è Societate, in 13 domicilia distributis; quorum operâ, ac inprimis Alphonsi Patriarchæ, per annum 1628, facile centum millia ex illa gente ad Ecclesiam Christi sunt reducta. Sed cùm Facilladas, Imperatoris filius, imperium adijsset, felicia rerū initia intervertit, Alphonso Patriarcha è regnis suis proscripto cum Socijs. Sed hîc perfidia non stetit: interceptus in itinere Patriarcha, in carcerem conjectus est, & ferro onustus, per annum detentus. Educebatur tamen subinde cum duobus Patribus Socijs, ad eleemosynam corrogandam, omnibus tribus unâ catenâ innodatis. Tandem Christianorum liberalitate in libertatem assertus, Goam reversus est: curam tamen Æthiopiæ deposuit nunquam, in omnem redeundi occasionem intentus, ejusq; populi salutem procurando tum Epistolis & libris Catecheticis scriptis, tum ministris idoneis transmissis: donec ad annum ætatis 77 provectus, plenus meritis, sed pauper Patriarcha decessit. *Æthiopiæ Patriarcha è Societate.* *Conversio numerosa Æthiopum.* *Patriarcha in carcerem & vincula conjectus.*

6. Eodem die, anno 1580, juxta certiorem Sotvelli relationem in Biblioth. Soc: (Nadasi ponit annum 1577, 14 Sept) alter, & antiquior, Æthiopiæ Patriarcha Andreas Oviedus, ad Ecclesiam Triumphantem transiit. Gravibus exagitatus est persecutionibus, & à Claudio, & ab ejus Successore Seguedo; jamq; in eum aliquando furens irruit Claudius stricto ferro, confecissetq;: nisi Regina objecto corpore suo intervenisset. Patriarchatum habuit tam opulentum: ut scripturus Pio V Pontifici, in defectu chartæ, margines Breviarii præciderit, & in libellum consuerit. Illacrymatus est, accepto tali epistolio, Sanctus Pontifex. *Æthiopiæ alter Patriarcha è Societate.* *Epistola pauperrima.*

XXX. JUNII.

1. S. Xaverius Anno 1540 Româ in Indiam tendens, Ulyssiponem in Lusitania attigit. In via præter alia Apostolicarum virtutum specimina edidit illud, hominibus quidem mundanis ignobile, at qui altiore judicio res metiuntur, miraculo proximum. Cùm enim cum Legato regis *S. Xaverius in itinere Indico renuit visitare matrē suam.*

Lusita-

Lusitani montes Pyrenæos prætervеheretur; & prope esset castrum Xaverium, in quo mater ejus, ætate & nobilitate generis conspicua, adhuc superstes erat: adduci non potuit, ipso suadente Legato, ut tantillum à via deflecteret, & suprema humanitatis officia deferret matri, & familiaribus. Nimirum meminerat mandati, quo Christus, discipulos mittens ad Evangelicos labores, præcepit: *Neminem in via salutaveritis*; maluitq; inurbanus haberi, quàm minùs religiosus Christi discipulus. *Bartoli in Vita lib. 1. cap. 11.*

Objectum fidei debet voluntati proponi per actum intellectus supernaturalem.

2. Coram Clemente VIII instituta est anno 1604 disceptatio 31 de Auxilijs Gratiæ. Argumentum fuit: An quando Intellectus proponit voluntati DEum amandum & colendum, ut summè bonum, præmiantem virtutem præmio vitæ æternæ; & summè justum, punientem peccata damnatione æterna: an, inquam, hoc modo dicatur ea proponere tanquam rem ad fidem pertinentem, atq; adeò ut objectum fidei? Respondit P. Bastida cum distinctione. Si intellectus solùm per actum naturalem proponat voluntati DEum ut summè bonum & justum &c. tunc proponit illum solùm ut rem materialiter pertinentem ad objectum fidei. Si autem illum proponat ut talem per actum supernaturalem: tunc proponit illum ut rem formaliter pertinentem ad objectum fidei. Hoc declaravit, & probavit. *Eleuther. hist: de Auxil. lib. 5. cap. 40.*

S. Borgia expeditur à B. Pio V. in Hispaniã

Obedientia ejus insignis.

3. Anno 1571 pridie Calendas Iulias Româ in Hispaniam profectus est S. Borgia Præpositus Generalis, adjunctus à Pontifice, Pio V, Legato suo Cardinali Alexandrino: ut peritiâ rerum tractandarum & authoritate, quam habebat in Hispania, promoveret apud regem negotium fœderis ineundi contra Turcam. Non ignorabat Borgia infirmam corporis sui, præsertim in provecta ætate, conditionem; mirabantur pleriq; hanc Spartam ipsi impositam; sed ille mirantibus reponebat: DEus Optimus, qui Vicarij sui menti indidit voluntatem, ut hoc onus imponeret; idem corpori meo vires addet, ut perferam. Sic alacer viæ se dedit: qua feliciter emensâ, in reditu vocatus est ad capessendum heroicæ Obedientiæ præmium. *Sacchin. p. 3. lib. 6. n. 4. & 13.*

Eodem die obierunt.

Anima unius cura indefessa

4. In Oceano Occidentali anno 1554 P. Leonardus Nunnez, Lusitanus. Inter primos è Societate missus in Brasiliam, in ultimos eius fines penetravit. Expeditionem deinde inprimis arduam suscepit in mediterranea Brasiliæ, ferocissimis barbaris horrida, ut Europæum hominem, fidei desertorem lucrifaceret. Re ex voto peracta, redijt ad stationem suam, & indefessus excolendis tum Europæis, tum barbaris

baris instabat: donec primus Procurator è Provincia illa Romam missus, in Oceano portum invenit.

5. In regno Chilensi Indiæ Occidentalis, Didacus Lopez de Salazar, Chilensis. Auditâ concione de mundanæ pompæ vanitate, spretâ illustri & opulenta domo, Societati sine mora, se addixit. In ejus tyrocinio tanta contentione ad eminentem perfectionem tetendit: ut intra breve tempus eò pertigerit, quò pauci grandævi, licèt non segnes in studio virtutum. Morti proximus, ad Crucifixum Salvatorem conversus, bene nosti, ô Domine, ajebat, quàm seriò connisus fuerim hocce biennio, ut Te quærerem. Ne me nunc desere, Domine, in hac hora, quæso te per hæc vulnera, quæ pro me suscepisti. Audiit benignissimus in servos suos ferventes, JEsus, jussitq; Didacum, de salute sua æterna securum esse; expectare se eum comitem ad gaudia Paradisi. Ita feliciter abiit duce JEsu.

Studium ingens perfectionis.

Confidentia in morte.

Securitas de Salute.

6. In Anglia anno 1679 Londini, odio fidei suspensi sunt & laniati Socii 5: P. Thomas Harcottus Provincialis, P. Guilielmus Haringus Rector Londinensis, P. Antonius Furnerus, P. Joannes Fenwick, & P. Joannes Gaun. *Hazart in Append. 2. hist. Eccles. Angl.*

Victima fidei 5.

I. JULII.

1. S. P. Ignatius anno 1556 tentari cœpit morbo supremo, qui illum, elabente eodem mense, ad superos feliciter transmisit. Nihil ampliùs in votis habebat, quàm dissolvi, & esse cum Christo: siquidem tria illa, quæ vehementer optaverat videre impleta, cumulatè sibi concessa vidit; nimirum Societatem authoritate Vicarii Christi rite approbatam, Libellum Exercitiorum spiritualium eadem authoritate communitum, & Constitutiones ab universa Societate receptas, atq; in usum deductas. His abunde potitus, & visis maximis incrementis Societatis per orbem fere universum diffusæ, nihil habuit in humanis, quod ampliùs desideraret. *Bartol. in Vita lib. 4. n. 30. & seq.*

S. Ignatii morbus extremus.

Tria ejus desideria.

2. Qui S. Patri in munere Præpositi Generalis successerat P. Jacobus Laynez, expeditus est anno 1561 à Pio IV Pont. Max. in Galliam cum Hippolyto Card. Estensi: ut periclitanti Religioni in famoso illo Conventu Poisiaco subveniret. Dictus enim Cardinalis efflictim petierat, viæ comitem, & laborum Socium sibi dari Laynium. Nec fefellit illa spes Legati & Pontificis, multa & maximè ardua, contra hæreticos, & frigidos Catholicos feliciter aggressus & emensus. *Sacchin. hist. Soc. p. 2. lib. 5. n. 133.*

P. Laynez Socius Legati Pontificii.

3. Felix illuxit hic dies Ecclesiæ Indiæ Orientalis, anno 1557, baptizato rege Baciani (unius è quinq; Molucensibus insulis) à P. Antonio Vazio, cum fratre natu minore, Sororibus tribus, & maxima parte nobilitatis. Joannis nomen in baptismo sortitus fuit, ætate quidem vicesimum

Regis Baciani baptizati zelus.

annum non supergressus, sed ingenio, prudentiâ, aliisq; regiis dotibus nemini inferior; in fide autem tam zelosus & constans: ut vicinas insulas adiret ipse, Christianam religionem totis viribus commendaret, & Soceri sui regis furorem ac diras, contemneret infractus. *Bartoli Asiat: hist. lib. 6. n. 9.*

Liberatus è carcere ope S. Xaverij.

4. Potami in Calabria Solemne Sacrum decantari curavit in honorem S. Indiarum Apostoli Vincentius de Urso: quod, ipso Patrono, è carcere, in quem insons conjectus fuerat, feliciter evasisset. *Ex lib. mirac. Potam. n. 39.*

Eodem die obierunt.

Calumnia dira.

5. Hispali in Hisp. anno 1605, P. Joannes Hieronymus, Hispanus, Ecclesiastæ munere, & Patientiæ laude præstans. Quâmvis vitam egisset ab omni noxa gravi immunem, inventa tamen est, cùm Collegium Granatense regeret, mulier procacissima, quæ eum turpis flagitii accusavit. Hujus inquisitionem cùm P. Provincialis vesperi, ad lumen candelæ, committeret Patri cuidam gravi & sagaci; exhorruit is ad facinus impactum P. Joanni, nec dubitavit, ad contestandam ejus innocentiam sibi satis superq; perspectam, ardenti lychno manum injicere; quam tamdiu innoxiè ustulavit, donec omnia, quæ dicenda erant, narrasset P. Provincialis. Sed luculentius testimonium, facti pœnitens dedit ipsa calumniatrix mulier; quando acerrimis correpta doloribus, coram P. Provinciali, testibus ac Notario publico, se ream accusavit, Patrem pronunciavit innocentem. De altera quoq; calumnia splendidè triumphavit victrix ejus patientia; quando de crimine hæreseos à malevolo quopiam ad Gregorium XIII Pont. Max. delatus, gloriosè est absolutus: ut jure sibi accommodare potuerit illud Christi (Joan. 14.) *Venit princeps hujus mundi, & in me non habet quidquam.* Plurimus nempe fructus concionum Patris, torquebat architectum calumniarum.

Innocentia triumphat.

Cacitas diuturna & patiens.

6. Limæ in Peruvia anno 1655, P. Paulus Æmilianus, Italus, ab Indicarum linguarum peritia, animarum zelo, & diuturna patientia laudatus. Ipsos enim 20 annos oculorum omni usu orbatus, insigni voluntatis suæ cum divina conformitate tranquillus vixit perforandis Rosariorum granis, quæ in pauperes expenderentur, occupatus. Ter tantùm in hebdomada comedebat, flagris verò tam acriter quotidie se accipiebat: ut audientibus horrorem incuteret. Tandem die, quam prædixerat, lux æterna feliciter ei illuxit.

Jejunium rigidum.

7. Legione in Hispania anno 1599 in pretioso erga pestiferos charitatis obsequio occubuit, post strenuos labores Gregorius Flores: quem ibidem secuti sunt in eadem arena Socii 7. Numantiæ verò Salmanticæ, Villagartiæ Lucronii, Socii 29.

II JULII.

Duo Præpositi Generales.

1. Dies hic Visitanti cognatam suam DEiparæ V. sacer, duos Societati dedit Præpositos Generales, sanctitate & sapientiâ eximios, S. Franciscum Borgiam & Iacobum Laynez: quorum alter illam illustravit illu-

strissimo nomine suo, & heroica virtute; alter eminentis doctrinæ luce in Synodo Tridentina & alibi spectabilem fecit. *Sacchin. p. 2. & 3. hist. Soc.*

2. Eodem die anno 1567 S. Borgia Præpositus Generalis, convocatis in Collegium Romanum Sociorum plurimis ac præcipuis, proposuit Regulas tum Communes, tum proprias variorum munerum, diuturna consultatione ponderatas: atq; egregia oratione earum observationem commendavit, *Sacchin. p. 3. hist. Soc. lib. 3. n. 95.* *Regulæ propositæ.*

3. In Ægyptum anno 1561 à Pio IV. ut Nuncius Apostolicus, expeditus est P. Christophorus Rodericius, cum P. Baptista Eliano, ad Patriarcham Cophtorum, qui à Sede Apostolica petierat Viros idoneos, quorum operâ Cophti, gens Ægyptiaca, unirentur Ecclesiæ Romanæ. *Idem p. 2. n. 135.* *Nuncius Apostolicus.*

4. In Litvania anno 1580 Collegij Polocensis orta sunt primordia, Stephano Rege authore. Cùm enim arcem Polocensem munitissimam à Moschis occupatam, magno labore expugnâsset: eadem die ad P. Petrum Skargam, Collegij Vilnensis Rectorem, literas dedit, de Socijs ad fundandum Collegium expediendis quantocyùs. Missi sunt initio Sacerdotes duo cum Fratre adjutore: quibus non parum negotij facessivit loci Palatinus è secta Calvini. Sed prævaluit Regis Optimi authoritas, & Patrum constantia. Ipso Visitationis DEiparæ festo die in ædicula quadam deserta, SS. Apostolis Petro & Paulo sacra, Societatis munia obire cœperunt; scholas quoq; aperuerunt, quàmvis quinq; solùm discipulis. Verùm ut alibi, ita Polociæ, fœcunda fuit Sociorum patientia, aucta tandem insignium discipulorum coronâ: nam & Ruthenorum Episcopus, & Palatinus ipse, alijq; è prima nobilitate, liberos suos tradidêre erudiendos *Sacchin. p. 4. hist. Soc. lib. 8. n. 155.* *Polocensis Collegij primordia.*

5. Malacam in India, hoc die pervenit, ac paulò pòst Iaponiam, ardentissimè expetitam, ac inter multa viarum discrimina atq; dispendia diu quæsitam, feliciter attigit inclytus Martyr P. Carolus Spinola, emensis 24 millibus milliarium. *Ambrosius Spinola in Vita.* *P. Spinola attigit Indiam.*

Eodem die obierunt.

6. Ad Neoportum in Belgio, anno 1600 P. Paulus Bucelinus, P. Laurentius Everardi, & P. Otho Campensis, Belgæ. Dum in Missione castrensi sauciis militibus dant aures, à victoribus Batavis comprehensi sunt. Testatus est disertè P. Paulus, qui cæteris præerat, se ac Socios non Archiducis, sed DEi stipendiis militare, nec sequi castra ut milites, sed ad animas militum procurandas. Sed his magis irritati hæretici, explosis sclopetis omnes tres confestim confecerunt. *Victimæ fidei.*

Vocatio ad Soc: per B. V.

7. Lupiis in Italia, anno 1616, P. Bernardinus Realinus, Italus, à DEipara Virgine ad Societatem invitatus, & frequenti ejus conspectu honoratus. Quin aliquando Filiolum suum DEi Mater in ejus lectulo collocavit, & familiarissimo colloquio servulum suum recreavit. Perfectionis religiosæ, & recollectionis animi studiosissimus, correptus est quandoq; acriter à Christo: quod quiddam negotii obedienter quidem, sed præpropere esset aggressus, non implorata ope divina. Sæpe inter orandum conspectus vultu fulgere, aliquando toto corpore scintillas jacere. Maximilianus Dux Bavariæ ab illo per literas petiit: ut sibi filium à DEo impetraret. Respondit Realinus; Habiturum: quod longè post mortem Patris evenit.

Intentio pia labori præmittenda.

Conciones semper novæ per annos 30.

8. Cremsii in Germania, anno 1653, P. Mathias Klinka, Moravus, zelosissimus & laboriosissimus, per annos 30 & ultra, Ecclesiastes. Diebus Dominicis & Festis omnibus dicebat pari fructu & labore. Semper enim novas parabat conciones, & quas anno elapso paraverat, donabat alicui. Comparuit illi aliquando anima viri nobilis probi, ac amici, suffragia petens. Miratus est Pater; quòd heri sanum vidisset, & confessione expiatum, utpote in festo Assumptionis DEiparæ V. ideoq; crederet plenarias lucratum esse Indulgentias. Non negavit Anima Indulgentias obtentas; sed addidit: Purgatorii causam novam se dedisse aliqua sensualitate in potu.

Indulgentia plenaria.

9. Parisiis anno 1651 P. Nicolaus Causinus, Gallus, vir singulari eruditione, eloquentiâ, & virtute religiosa. Rex Henricus Magnus, sagacissimus princeps, raram in ejus junioris vultu demiratus indolem, prædixit fore: ut Nicolaus & Societati, & regno suo decori esset futurus. Et certè fuit, tum ob exquisitam doctrinam, tum ob eximias virtutes; quæ ipsi nomen *Angeli pacis* conciliarunt. Ludovico XIII à sacris Confessionibus fuit; vir animo ita comparatus: ut omnium horarum, & omnis fortunæ homo dici potuerit. Edidit multa erudito & eleganti stylo, qui potissimùm in ejus Paralellis Eloquentiæ & Aula Sancta, Gallicè scripta, resplendet. *Soutvellus.*

III. JULII.

1. Accuratam Ulyssipone Romam ad S. Ignatium, anno 1540, dedit Epistolam S. Xaverius, de itinere suo in Lusitaniam, & affectu, quo unà cum P. Simone Rodericio, exceptus est à rege. Inter cætera narrat, imò quomodo quidam è Lusitani Legati famulitio, qui religiosam vocationem diu neglexerat, dum eques amnem transmittere contendit, impetu aquarum abreptus sit, non solùm ad mortis, sed ipsius propè Inferni portas; nec sine miraculo servatus comitum precibus. Addit: eundem, postquam salvus evasit, ardenti oratione compellâsse socios: ne moram facerent Vocationi divinæ. 2. Refert, quàm providè pyssimus Rex omnibus Aulicis suis nobilibus injunxerit, ut quot hebdomadis conscientiam expiarent; quamq; gravibus verbis ipsi ac P. Simoni eorum curam commendârit, dictitans: *Si nobilès, quales esse debent, fuerint, sine dubio plebem ad eorum mores se se formaturam; quare spem restituendi mores omnium Sæcularium Regni, in nobi-*

Neglectus vocationis punitus

Conscientiæ expiatio.

Nobiles norma aliorum.

nobilium puerorum proba institutione verti. 3. Exponit: communi prudentum in Lusitania judicio laudari Societatem; quòd graves sibi impactas Romæ calumnias, non dissimulârit tacita, nec privata compositione, sed viâ juris & publico decreto diluerit; magnam aliàs habitura difficultatem in prosequendo Instituto suo. 4. Testatur, id se omni studio curare: ut nec in nobis, nec in familiaribus nostris quidquam conspiciatur, unde suspicio cuiquam oboriri possit; temporalia nos potiùs, quàm spiritualia captatum ac conquisitum ire, &c. *Lib. 5. Epist. Vet. ep. 2.*

Calumnia jure diluta.

Spiritualia præ temporalibus quærenda.

2. In Iaponiam anno 1577 novas suppetias, Socios 13 adduxit P. Balthasar Lopius: fiebantq; ibi, DEo auctore insignes ac numerosæ gentilium conversiones. In ditione Sangadoni, prædicto anno, duo millia capitum, & amplius, baptismo lustrata; Vocajamæ nullus reliquus mansit ethnicus; alibi supra quater mille sacro fonte expiati sunt, & eximiæ pietatis specimina dedêre. *Sacchin. hist. Soc. p. 4. lib. 5. n. 255. & 263.*

Conversio numerosa.

3. Grodnâ in Litvania anno 1586, insigni epistola, ad Archiepiscopum Moguntinum datâ, Societati famam à turpissima calumnia per Germaniam sparsa, vindicavit benevolentissimus Poloniæ rex Stephanus Bathoreus. *Exhibet illam Sacchinus p. 5. hist. Soc. lib. 6. n. 27.*

Fama vindicata.

4. Coloniæ Agrippinæ anno 1642 piè decessit Maria Medicea Franciæ Regina; è cujus dispositione Ludovicus XIII ejusdem filius, Collegio Coloniensi donavit Rosarium, seu Coronam precatoriam, quâ olim usus fuerat S. Xaverius. Cùm sua Majestas ex Hollandia in Angliam navigaret, in periculosa turbati maris tempestate, Pater Suffren Reginæ Confessarius, dictum S. Xaverij Rosarium manu tenens mari immersit: & mare tranquillatum est, manifesto DEi per S. Xaverium beneficio. *Nadasi in Memoriali Indice.*

Tempestas Rosario sedata.

Eodem die obierunt.

5. Dorcestriæ in Anglia, anno 1594, P. Joannes Cornelius, Hibernus, in odium fidei tentus, suspensus, & excarnificatus more consueto. Caput patibulo affixum, visum est radiis coruscare, testibus innocentiæ & zeli ardentis, quo rem Catholicam promovebat. Morti gloriosæ se parabat ciliciis, flagris, jejuniis frequentibus. Inter sacrificandum vidit aliquando viri nobilis animam, velut in sylva incensa, vix capite è flammis eminentem, ac inclamantem, *Miseremini mei &c.* Vidit idem Sacri minister: & populus qui aderat, advertit obscura quadam flamma sacellum impletum. Dæmonem adegit: ut coram sacra pyxide diceret: *Agnosco in hoc Sacramento potentiam tuam, O DEus.*

Victima fidei.

Mortificatio dispositio ad Martyrium.

Purgatorium.

6. In Paraquaria, Americæ provincia, anno 1637, P. Petrus de Espinosa, Hispanus, à barbaris, odio fidei, fisso capite obtruncatus. Ipso cædis tempore, cuidam è Socie-

Victima fidei.

Societate, ducentarum leucarum interjectu dissito, gloriosus apparuit, dixitq;: Bene tibi sit, frater mi Juliane, ego lætus ad superos abeo. Excolendis barbaris totum se impendit, ac superimpendit, stupenda patiens, & factus illis bubulcus, lanio, magister, & omnia.

7. Panormi in Sicilia, anno 1575, P. Paulus Mantuanus, Italus, à. S. P. Ignatio in numerum Coadjutorum temporalium receptus; sed notatis ejus dotibus & solida virtute, Sacerdotibus aggregatus, ejusdem jussu. Pro redimendo Patre quodam, à Mauris intercepto, ultro ipse se obtulit, servituti Maurorum mancipandum: quod cùm non impetraret; peste infectis ut serviret, impetravit; serviitq; strenua usq; ad mortem charitate.

Charitas erga Socium.

8. Occaniæ in Hisp. anno 1584, P. Fernandus Marquez, Hispanus, vir admirabili erga omnes mansuetudine benignus, & supra modum amabilis. Etiam cùm à dæmone tempore somni turbaretur, mansuetudinis suæ non oblitus, tranquillè dicebat: Abi hinc, sine me dormire, ita enim jubet obedientia: nunc tempus non est, ut mihi sis molestus, supra morientis conclave cæleste quoddam lumen conspectum: è tumulo post annos aliquot aperto fragrantissimus odor præsentes afflavit.

Somni turbator dæmon repressus modestiâ.

IV. JULII.

1. POst electionem P. Jacobi Laynez in Præpositum Societatis Generalem, placuit tum ad recreandos Patres Congregatos, tum ad specimen doctrinæ scholarium nostrorum dandum Prælatis civibusq; Romanis, per octiduum artium & scientiarum variarum instituere publicas concertationes, Cùm autem in Collegii angustiis, quales tunc erant, non reperiretur locus par tantis Auditoribus: Pontifex ipse Paulus IV, designavit locum non minùs capacem, quàm splendidum, & æstivis caloribus opportunum, quia frigidum; scilicet Basilicam, quæ Rotunda, & Pantheon dicitur. Ibi quotidie per octiduum in magna Auditorum, etiam Eminentissimorum, frequentia, nunc peroratum, nunc disputatum est. Postremo die Latinè, Græcè, Hebraicè declamatum: datoq; dramate, quod plausum maximum tulit, tota celebritas conclusa, cum magna Societati facta accessione ad famam doctrinæ, atq; modestiæ singularis in disputando. *Sacchin. hist. Soc. lib, 2. n. 35.*

Disputationes publica.

Eodem die obierunt.

1. In nova Francia, apud Hurones, anno 1649. P. Antonius Daniel, Gallus, Post excultam annis 15 sylvam illam, cùm audisset Hiroquæos, capitales Huronum hostes, adventare: collegit suos in templum: jam antè dispositos ad baptismum, sacro fonte lustravit, alios Sacramento pœnitentiæ expiavit, hortatusq; ad mortem strenuè atq; ut Christianos decet, oppetendam; Hodie, Fratres, inquiebat, erimus in Paradiso. Infundentibus interea se Hiroquæis obviàm processit, & confestim sagittarum imbre obrutus est. Ut autem pateret, quo animo in hunc potissimùm grassaren-

Victima fidei.

ſarentur barbari: ſinguli vulnus aliquod, licèt mortuo, inflixêre. Templum deinde injecto igne combuſſerunt. P. Antonius à morte cuidam ſanctimoniæ fama conſpicuo ſemel iterumq; conſpectus, impensè ſuaſit: ut infideles omni operâ & diligentiâ juvarentur. *Zelus animarum.*

3. Neomagi in Belgio, anno 1624, P. Theodorus Riſwig, Belga, ab hæreticis interemptus ærumnis carceris, quem in ſextum menſem fortiter toleravit. Conjectus in illum fuerat ab affirmantibus, ſufficere ad pœnam capitis: quòd Jeſuita eſſet. *Victima fidei.*

4 Vallisoleti in Hiſp. anno 1669, P. Antonius de Eſcobar & Mendoza, Hiſpanus, Concionator tam præſtans & validus: ut annis 50 per Quadrageſimam dixerit ad populum, & ſæpe bis in diem; nunquam relaxato in ſe rigore Eccleſiaſtici Jejunii, niſi poſtremo vitæ anno, jam octogenarius & morbidus. Sodalitates duas, Sacerdotum & ſæcularium ad inſignem pietatem promovebat. Edidit inſuper, præter varia minora Opuſcula Tomos in folio duos in Vetus Teſtamentum, ſex de vario Vitæ Ligno, ſeptem de Moralis Theologiæ ſententiis magis receptis *Soutvell. in Bibl. Soc.* *Concionator validus.* *Scriptorũ copia*

5. Oliſſipone anno 1618, ætatis annum agens nonageſimum Petrus Paulus Ferrerus ſacrorum librorum eruditionem omnem, hiſtoriæ veteris memoriam, rationem temporum, ſic erat complexus, ut viva bibliotheca vulgò vocaretur. Candorem ſinceræ mentis, demiſſionem animi, benignitatem adverſus omnes, quas in tyrocinium intulerat, ad extremum uſq; ſpiritum retinuit. Addiderat aſſiduam corporis caſtigationem, cum abſtinentia & ſobrietate ſumma conjunctam; adeo ut ſpiritu quodammodo tantùm vivens, præter oſſa & pellem, nulla præterea corporis parte conſtare videretur. Hunc cum Fernando Perezio notum illud Hiſpaniæ ſidus Joannes Avila ad ſe vocat, & noſtis inquit, quemadmodum Joannes Sanctiſſimus diſcipulos meliorem in ſcholam miſerit. Hoc invitatus exemplo, nec obſcuro divini Numinis impulſus inſtinctu, dimitto vos ex iſtis velut umbraculis in palæſtram longè præſtantiorem. Petiit à me Ven. P. Franc. Borgia, par theologorum, qui docendi legitimam adepti poteſtatem, & ad omnes provecti Academiæ gradus, Eborenſem Societatis ſcholam, ab Henrico Card. recens fundatam regant. Idoneos vos arbitratus ſum, qui hunc locum imploretis. Ite ſchola Chriſti eſt; huic ego vos trado, & confido fore, ut vos dignos tanto magiſtro diſcipulos aliquando præbeatis. Juere, ſuſcepti, & Perez quidem per 40 annos in Eborenſi & Conimbricenſi Academia docuit. *Iuvencius fol. 789.* *Corporis castigatio.* *Ioan. Avila ſuos expedit ad Societatem.*

V. JULII.

1. ANno 1537 Venetijs Legatus Pontificius Hieronymus Verallus S. P. Ignatio inſigne teſtimonium, & amplam facultatem dedit, ſacras literas interpretandi, concionandi, confeſſiones audiendi &c. Volentes te, inquit in diplomate, ob præclara virtutum dona, ac Sacrarum literarum peritiam, quibus te novimus inſignitum, benevolo favore proſequi &c. *Nadaſi in Indice Memoriali.* *Facultates variæ.*

2. Romæ anno 1681 poſt obitum Præpoſiti Generalis, P. Ioannis Pauli Oliva, in Succeſſorem electus eſt primo ſcrutinio, ac ſummo, qui unquam *P. Carolus de Noyelle electus Præpoſitus Generalis.*

quam fuit, aut esse possit, suffragiorum concursu, nullo videlicet excepto, præterquam suo, R. P. Carolus de Noyelle Belga, Vicarius Generalis, & Germaniæ Assistens. *Ex decret. Congr. Gen. XII.*

Eodem die obierunt.

Missionarius excellens.

3. Neapoli, anno 1586, P. Guilielmus Good, Anglus, plurimis arduisq; per Belgium, Hiberniam, Poloniam, Moschoviam, Italiam missionibus clarus. In Belgio lucratus est per Exercitia Spiritualia, magnum illud Ecclesiæ Anglicanæ columen, Robertum Personium. Hiberniam per annos 6 magnas inter ærumnas excoluit. Poloniam & Moschoviam cum P. Antonio Possevino adiit jussu Gregorii XIII. Romæ recenter fundato ab eodem Pontifice Collegio Anglicano, ea cum laude & fructu præfuit, accensis ad fundendum pro fide sangvinem Alumnis: ut verè diceretur: *Collegia cætera esse Philosophorum, Theologorum, Oratorum, Canonicorum, Seminaria; at verò Anglorum Collegium Seminarium esse Martyrum.* Ex Tannero.

Ex scholastico Coad. temp.

Mors inter orandum.

4. Oropesæ in Hispania, anno 1615, Petrus Carillus, Hispanus, Coadjutor. Humilem laboriosamq; Marthæ sortem prætulit Cathedris & laureis Doctorum impetrato ex classe Scholasticorum & Philosophia, ad Coadjutores temporales transitu. Loco humanarum scientiarum donavit eum DEus præscientiâ futurorum. Ad felicem mortem præparavit se ferreo cilicio, quotidiana eâq; gemina sui verberatione & una, eâq; perparca comestione per diem. Moriturus procubuit in genua, & sublatis in cœlum brachiis orans, extinctus est. Cadaver, instar S. Pauli primi Eremitæ, eodem situ repertum est.

Constantia in Vocatione.

Coadjutor zelosus.

5. Compluti in Hispania, anno 1599, Ludovicus Ruiz, Coadjutor, Hispanus, obsequio pestiferorum gloriosè immortuus. Difficilem habuit ad Societatem admissionem, quòd ingenio esset non solùm festivo, sed etiam petulanti. In tyrocinio egregiè vexatûs domi forisq;, perstitit constans, victor sui ad stuporem. Coadjutoribus temporalibus annumeratus, non solùm rem domesticam scitè ac utiliter procuravit, idoneo pro tribunalibus ingenio, & lingvâ promptus: verùm etiam divinam gloriam, & animarum salutem egregiè promovit, catechismi traditione & publicis privatisq; adhortationibus; in quibus & gratiâ & authoritate pollebat plurimùm ad persuadendum quidvis.

VI. JULII.

Pauli IV de Societate sensus

1. Romæ anno 1558. post electionem P. Laynez in Præpositum, Generalem ante aliquot dies factam, admissi sunt Patres congregati omnes (viginti solùm Electores fuerunt) cum quinq; Provinciarum Procuratoribus ad conclave Pontificis, Pauli IV: qui illos a mœno vultu perq; amanter, & prolixa, ut erat eloquens, oratione excepit. Inprimis laudavit Electionem tam consentientem atq; concordem; ex qua collegit, Societatem in unitate Spiritûs ambulare, & supra firmam petram, Christum ipsum esse fundatam. Deinde laudatam Societatem hortatus est ad laborum constantiam, & malorum tolerantiam: Perturbatissimum enim,

inqui-

inquiebat, est hoc sæculum, quo Dominus vocavit istam beatam Societatem. Deniq; confirmavit Electionem & ipsam Societatem, tanquam Ecclesiæ Christi utilissimam. *Sacchin. hist: Soc. lib. 2. n. 36. & seqq.*

2. Lovanij in Belgio anno 1572 Solemnem Votorum quatuor professionem emisit P. Robertus Bellarminus, quam & excellenti virtute, & eminente doctrinâ atq; eruditione, cumulatè meruerat. Quamvis enim trigesimum ætatis annum nondum attigisset: humaniores tamen literas jam docuerat Florentiæ & in Monte Regali; Theologiam quoq; Scholasticam Lovanij jam tradiderat sexennio; licèt ipse biennio solùm illi studuerit; semperq; inter docendum, Concionibus publicis Apostolico Spiritu, & fructu maximo se se impenderat. Incidit autem opportunè is actus in diem Octavam festivitatis SS. Apostolorum Petri & Pauli Principum Apostolorum, quorum tuendæ doctrinæ, imò toti Ecclesiæ, validus propugnator parabatur Bellarminus. *Petrasancta in Vita lib. 2. cap. 4.* *Professio 4 votorum P. Bellarmini.* *Ejus labores.*

3. Romæ anno 1687. post obitum R. P. Caroli de Noyelle, electus est in Præpositum Generalem R. P. Thyrsus Gonzalez, Hispanus, vir insigni rerum Theologicarum scientiâ, & Apostolicis Missionibus per Hispaniam obitis clarissimus, ideoq; Pontifici Innocentio XI percharus. *P. Thyrsus Gonzalez electus Generalis.*

Eodem die obierunt.

4. Mutinæ in Italia, anno 1607, P. Achilles Gagliardus, Italus. Unà cum duobus germanis fratribus, quorum ipse maximus natu erat, Societatem ingressus est. Suspexit in hac fratrum triade eas naturæ & gratiæ dotes P. Simon Rodericius, unus è decem primis Patribus: ut negaret, si tota ex Italiâ delectus habendus esset, aptiores Societati inveniendos. Pater Achilles post traditas in scholis sublimiores scientias magna cum laude, regimini Sociorum applicatus, perfectum superiorum exemplar se præbuit. Dum Collegia regeret, festis diebus convocabat scholasticos nostros ad suum conclave, & cum ipsis de spirituali profectu collationes habebat magno cum fructu. Prætereа virorum cœtus, mercatorum, opificum, clericorum, sacerdotum, statis per hebdomadam diebus excolebat: cœnobia quoq; Monialium, & alia pia loco frequens obibat, omnes verbo & exemplo ad optima provocando. Extrema ætate, memoriæ, oculorum, & potentiæ motivæ usu destitutus, & accedente apoplexiâ planè putrescens, insigne per menses 18 præbuit patientiæ exemplar. *Fratrum trias insignis.* *Collationes spirituales cum scholasticis. Sodalitates plures administratæ.*

5. Barcinonæ, in Hisp. anno 1621, P. Alphonsus Hernandez, Hispanus. Quàmvis nullius unquam admissi peccati mortalis conscientiam haberet: corporis tamen acri castigatione, & sensuum, præsertim oculorum, mortificatione, in se severus erat. Marchionem quandam, quam longo tempore confitentem audierat, nunquam de facie novit. Res elegantulas, quibus non pauci mirè afficiuntur, appellabat *Semireligiosorum idola*, eaq; volebat, etiam cum detrimento valetudinis proscribi è cubiculis. *Oculorũ modestia.* *Idola religiosorum.*

6. Cæsaraugustæ in Hisp. anno 1564, P. Joannes Paulus Moxica, Tyronum an-

tea præclarus Magister, tunc Collegii Minister, Charitati, forti ut mors, succubuit in obsequio pestiferorum: quem ibidem partim præcesserunt, partim secuti sunt sex alii Socii.

VII. JULII.

Vaticinium de Societate.

1. ANno 1497 in India Orientali, odio fidei telis confossus est, à barbaris R. P. Petrus de Covillanis, Ordinis SS. Trinitatis de Redemptione captivorum, Ulyssiponensis olim Prior, deinde celebratissimo illi Vasco Gamæ, Indiarum exploratori Orientalium & debellatori, à sacris Confessionibus, & comes navigationis. Is, antequam spiritum DEo redderet, in hoc prorupit vaticinium: Breviter novus Ordo excitabitur in Ecclesia DEi, Clericorum sub nomine JEsu; unusq; ex illis primitivis Patribus, divino ductus spiritu in remotissimam Indiæ Orientalis regionem penetrabit, maximaq; pars illius prædicatione ipsius fidem orthodoxam amplectetur. *Bartolus in vita S. Ignatij lib. 2. n. 47.* ex Joanne de Figneras, prædicti Ordinis historico, & Visitatore. Quo vaticinio manifestum est, designatam esse Societatem à S. Ignatio conditam, & fructuosissimos in India S. Xaverii labores.

Societas ordo mendicantium

2. Anno 1571 Pius V. Pont. Max. editâ Bullâ, *Cùm indefessa &c.* declaravit; Societatem ex Instituti sui ratione esse Ordinem Mendicantem, eamq; aliis Mendicantium Ordinibus annumeravit, & eorum Privilegiis dotavit non solùm concessis, sed etiam concedendis: voluitq; has suas literas sub quibusvis derogationibus non comprehendi. *Ex literis Apost. Societati datis.*

Eodem die obierunt.

Victima fidei

3. Iendi in Iaponia, anno 1639, P. Petrus Cassui, Iapon, in odium fidei varijs tormentis interemptus. Proscriptus primùm è Iaponia, Hierosolymam, & postea Romam peregrinabundus invisit, ubi Societatem amplexus est. Ut in Iaponiam securus rediret, remigis personam & labores per biennium sustinuit. Cùm nec sic proficeret, mancipij vilis formam induit, & sic penetravit. Multos persecutionis acerbitate vacillantes confirmavit, alios lapsos restituit: donec ipse insignis DEo caderet hostia in odorem suavitatis.

Votorum 4 Professio non admissa.

4. Neapoli, anno 1591, P. Ioannes Piscator, Italus, S. Caroli Borromæi olim ephebus percharus, in Societate B. Aloysij Magister in tyrocinio. Oblatam à P. Claudio Præposito Generali Votorum 4 Professionem vir humilis non admisit. Per 6 annos cilicium non exuit, cruenta insuper flagellatione quotidie in se desæviens, quamvis corporis & animi perpetua Virginitate floreret. Visus non semel cælesti splendore coruscans, divina virtute à terra sublimis, & futurorum verè præscius.

Mortificatio severa

Cùm Rectorem ageret Collegij Neapolitani, in gravi eiusdem necessitate adfuit adolescentis specie Angelus, qui accersito Patri Ioanni ad portam, tantum auri dedit, quan-

quantum præſenti egeſtate ſufficiebat, evanuitq; ex oculis: quam Providentiam Divinam in anguſtiis rei œconomicæ & aliàs non ſemel eſt expertus. Viſitator, Provincialis & alii fatebantur: illius viri præſentiâ, & quadam reverentia ſe ad majorem modeſtiæ ſeveritatem duci, atq; componi. Jam æger, prædixit cuidam è Sociis, imminentem gravem tempeſtatem; ſed DEum, DEiparam, & ſe quoq; è cœlo ipſi adfuturos. Et verò adfuit graviſſimè tentato, & periclitanti de Religioſa vocatione. Invocatus enim à tentato, bis illi vigilanti ſpectandum ſe præbuit ſplendida ſpecie; tertiò ſemiſomni apparuit, dixitq; turbas omnes mox in fumum abituras: prout evenit.

5. In itinere Indico, anno 1588 defunctum, ponit hoc die Nadaſi, P. Sebaſtianum Morales, Epiſcopum Japoniæ, contracta lue à contagioſis, quibus in navi eximia charitate ſerviebat, *Vide ſuprà 27 Martij num. 3. in Geſtis*

6. Gandavi in Belgio anno 1634 ad ſimilis charitatis præmia, cum Sociis 8, evocatus eſt P. Carolus Chriſtynen, innocente modeſtia & religioſa paupertate eximius. Alibi quoq; in Belgio, diverſis locis, eodem anno, ardore potiùs charitatis, quàm peſtifero carbone conſumpti ſunt novem.

VIII. JULII.

1. ROmæ anno 1602 habita eſt coram Clemente VIII ſecunda Congregatio & diſputatio de Auxiliis gratiæ ſecundùm doctrinâ Molinæ. Selegerat Pontifex Propoſitiones 7 Molinæ, quarum conformitatem cum doctrina S. Auguſtini demonſtrari ſibi voluit. Harum propoſitionum Prima, quæ ſecundæ huic diſceptationi argumentum præbuit, fuit hæc ex Molinæ diſp. 5. q. 14. art: 13. *Cum ſolo concurſu generali DEi, abſq; alio dono vel auxilio gratiæ, poteſt homo efficere opus bonum morale, quod fini naturali hominis accommodatum, atq; comparatione illius ſit verè bonum, ac virtutis opus.* Item diſp. 19. memb. 2. §. ult: ait; *Nullum eſt in ſingulari opus bonum morale merè naturale, quod homo naturæ lapſæ cum ſolo concurſu DEi generali non poſſit efficere.* Reſpondit pro Molina Gregorius de Valentia, oſtenditq; inprimis primum ex Molina adductum textum truncatum eſſe, & omiſſa eſſe ea quæ mentem Molinæ quàm maximè declarare poſſunt. Addit enim ibi Molina: *Non tamen poteſt homo cum ſolo concurſu generali facere bonum, quod fini ſupernaturali accommodatum ſit; quodq; comparatione illius bonum ſimpliciter ac virtutis opus dici queat.* Deinde oſtendit; allatis ex S. Auguſtino textibus, Sanctum Doctorem à Molina non diſſentire; atq; utrumq; docere: quòd cum ſolo generali auxilio DEi poſſit homo quidem ponere aliquod opus naturale moraliter bonum, ſed id non conducere ad finem ſupernaturalem, nec habere eam bonitatem & Virtutis perfectionem. quæ requiritur ad meritum, & vitam

Opus naturale moraliter bonum.

æternam. *Eleuther. hiſt: de Auxil. lib. 5. cap. 5.*

Rudolphi Imp. litera in laudē Societatis.

2. Anno 1600 Rodulphus Imperator Pragâ præclaras pro Societate dedit literas ad Clementem VIII. Inter cætera inquit: Si in ullam orbis Chriſtiani gentem Societatis IESU fructus extat; in Germaniam noſtram, multitudine populorum pene immenſam, adeò in omnia regna, ditionesq; univerſas, ita multiplicem effundit: ut obſcuratus ſuperiorum temporum injuriâ, Domus DEi nitor, quaſi novo ſole illuſtratus, ubiq; reſpleneſcere, majeſtatemq; Religionis Catholicæ primævam adferre videatur ita; ut ſpes nobis pulcherrima ſit, fore; ut ardente Societatis illius zelo, ac cœleſti, qua præfulget, doctrinâ, diverſorum errorum, ſectarumq; tenebris disjectis ac diſcuſſis, ditio omnis noſtra verum DEi cultum, brevi temporis intercapedine, amplectatur &c. *Gomez in Elog. Soc. p. 2, Claſſe 1.*

Eodem die obierunt.

Confeſſiones Generales promota.

3. Anicii, anno 1596, P. Arnoldus Vicinus, Gallus, nihil unquam à ſuperioribus precari ſolitus, niſi ut non regeret, & in patriam non mitteretur. Juſſus tamen, rexit Collegia & Provinciam, multa cum laude. Morem illum, ut quiſq; ſaltem ſemel generalem & accuratiſſimam faceret confeſſionem, ab illo labore multo inductum, gratâ memoriâ recolunt Anicienſes. Solus ipſe ad duo millia earum Confeſſionum excepit, magno ſuo ſolatio & pœnitentium fructu.

Miſſionarius ſtrenuus.

4. Nangaſachi in Japonia, P. Ludovicus Froës, Luſitanus. Indias & Japoniam per annos 49, multo labore, prædicatione, ſcriptis & geſtis excoluit; non ſemel exul, & à Bonziis neci deſtinatus, præmio quoq; propoſito, qui eum interemiſſet. Sed ſervavit illum Divina Providentia plurium ſaluti, quam Japonicæ linguæ ſingulari peritia & ſuavitate, atq; ardente orandi ſtudio promovit. Sæpe tentavit Meaci, in urbe Japoniæ principe, domicilium figere: ſæpe inde ejectꝰ Bonziorum artibus: donec, DEo propitio, à Nobunanga, qui occupârat imperium, diploma impetravit; quo ſedes illi ſtabilis in ea urbe permittebatur, cum immunitate à vectigalibus, & poteſtate, quoquò libuiſſet, excurrendi, pœnis propoſitis, ſi quis obſtiſſet. Sed paulò pòſt iterum à Bonzio quodam quæſitus ad necem, iterum Divinâ Providentiâ protectus eſt; quievitq; tandem à laboribus ſuis in pace. Auguſtinus Sancri, Japon, vir ſpectatæ virtutis, teſtatus eſt, viſum ſibi poſt mortem P. Ludovicum: qui defixis in cœlum, permagna intimo pietatis ſignificatione, oculis, dicebat Auguſtino: *Fac id, quod ego facio; & lauda DEum.*

IX. JULII.

Fidei actus.

1. Celebrata eſt Congregatio & diſputatio Tertia de Auxilijs Gratiæ coram Clemente VIII: in qua demonſtravit Gregorius de Valentia, Molinam non diſſentire à S. Auguſtino etiam quo ad Actus fidei eliciendos. Quamvis enim Molina diſp. 7. q. 14. art. 13. doceat: poſſe hominem cum ſolo concurſu DEi generali elicere aſſenſum circa ea, quæ ad fidem

perti-

pertinent; monet tamen ibidem, quod talis aſſenſus solùm ſit Opinio & fides humana, merè naturalis, incerta & fallibilis, utpote quæ non reſolvitur ultimò in Revelationem divinam, ſed in humanam perſuaſionem de Revelatione divina; ideoq; talis actus omnino ſpecie diſtinctus eſt à Chriſtianæ fidei aſſenſu, qui ex ſupernaturali lumine & auxilio Spiritûs S. elicitur. Unde §. *Noſtram ſententiam*, ſubjungit Molina de hæretico credente, quod actu merè naturali & opinativo credat: *Credit enim articulos eſſe revelatos quia ſibi perſuadet revelatos eſſe à DEo*, ſolis nixus rationibus naturalibus. *Eleuther. hiſt. de Auxil. lib. 5. cap. 6.* Advertendum autem: tam poſt hanc diſceptationem à patribus habitam, quàm etiam in præcedentibus & ſequentibus Pontificem palàm nihil decidiſſe, ſed ſecretò cum Aſſeſſoribus ſuis ſemper egiſſe, nec publicatas eſſe eorum ſententias.

Sixti V. affectus erga Societatem.

2. Anno 1585 Sixtus V. Pontifex creatus, ſtatim initio regiminis ſui perbenignum erga Societatem ſe oſtendit, contra multorum ſenſum & vota. Nam & Seminaria Clericorum à Gregorio XIII Prædeceſſore ſuo condita, & Societatis regimini commiſſa, quæ putabatur everſurus, informante P. Claudio Aquaviva Præpoſito Generali, approbavit, confirmavitq;: & de ipſa Societate ſic locutus eſt ad eundem Claudium. Scito, non multis antè diebus ad nos ſcriptum ab Nunciorum Noſtrorum quibusdam, non deeſſe, qui Gregorio mortuo, putent idoneum ſibi tempus oblatum ad vos vexandos: quibus reſpondimus (& literas ipſas pro ſua benignitate exhibuit) Nos rebus ipſis effecturos, ut omnes intelligant, quantùm Societatem hanc amemus & complectamur. *Sacchin. hiſt. Soc. p. 5. lib. 5. n. 25. & ſeqq.*

Eodem die obierunt.

Amicus Chriſti.
Paſſio Chriſti recolenda.
Votorum renovatio frequens.
Votum de eo, quod perfectius.
Moribundi ſolatium B. V.

3. Manilæ in Philippinis, anno 1631, P. Bartholomæus de Saura, Hiſpanus, JESU & MARIÆ, Sanctorumq; Angelorum cultui eximia devotione addictus; eorumque ſingularibus ornatus favoribus. Vidit aliquando parvulum JEſum in ſinu Virginis Matris ſedentem, audivitq; ſe compellantem: *Bartholomæe, amice mi.* Redarguit tamen illum ſubinde Chriſtus: quod recolendæ Paſſioni ſuæ minus addictus eſſet. Ordinaria vota religioſa renovabat in horas: addidit autem illis aliud maximè arduum, faciendi ſemper id, quod DEo maximè placere videret. In agone rogatus, quid in eo articulo ipſi maximo ſolatio eſſet, reſpondit: *Præſidium Beatiſſimæ Virginis;* cujus opem ajebat, ſe etiam in minimis expertum.

4. Burdigalæ in Gallia anno 1636, P. Carolus Cluſellus, Gallus. Profunda ſui demiſſione, pleno ſinceræ charitatis candore, & non affectatâ modeſtiâ certam in ipſo vultu Sanctimoniæ teſſeram præferebat. Extraordinariis à DEo gratiis honoratus,

Timor Iudicij Divini. & prædicebat futura, & præsentes morbos pellebat. Tremebat tamen judicia divina, licèt Virgo & gravioris alicujus noxæ sibi non conscius.

Victima Charitatis. 5. Pultoviæ in Polonia anno 1653, P. Thomas Porzecki, Litvanus. Post Philosophiam Theologiamq; cum laude traditam, cùm Collegii Pultoviensis ageret Rectorem, ac civitatem lues pestifera depasceretur; dimissis ad saniora sociis, ipse remansit in Collegio: ut si quid humani contingeret Patri exposito ad juvandos infectos, succederet ipse. Sed domi reperit palmam, contracta lue à famulo domestico, cui Patrem simul & servum se præstiterat. *Soutvellus.*

X. JULII.

Henrici II Regis Galliæ mors Luctuosa Societati 1. IN Gallia cùm rex Henricus II, Societati eximiè addictus, accepto lethali vulnere in ludicro certamine, præmatura morte occubuisset hoc die (juxta Spondanum ad annum 1559) Societas, & ipsa non leviter tacta, ingemuit. Vidit enim se, sublato rege, destitutam humanorum maximo præsidio, in medio non solùm hæreticorum, sed etiam novercantium Catholicorum; sed præstò fuit Providentia Divina, aliud non leve, licèt inferius, suppeditans in homine peregrino subsidium. Fuit is Ludovicus Corbinellus, civis Florentinus, quàm opulentus ære, tam debilis corpore; qui jussus à Medicis ad tuendam recreandamq; valetudinem, varia se distrahere peregrinatione, in Galliam advenerat, & regio illi certamini, casuiq; infelici, interfuerat. Ubi enim advertit, res humanas, etiam in summo consistentes, & regnorum munitas præsidiis, tam facilè, & cùm minimè speraveris, impelli in ruinam: constituit ad securiora se recipere, & mundo relicto, sequi castra Christi. Quàm primùm igitur licuit, terrenis se rebus extricare, Societati se addixit, cui universæ, ac nominatim Collegio Romano ingens attulit subsidium liberalitate sua, & vitæ sanctitate. *Sacchin. hist. Soc: p. 2. lib. 3. n. 68.*

Lud. Corbinellus accedit Societati.

P. Thomas Vjeyski professionem 4 votorū emittit. 2. In Litvania, Vilnæ, anno 1678, Venerabilis Pater Thomas Ujeyski, nuper Episcopus Chijoviensis & Czernihoviensis atq; regni Poloniæ Senator primæ authoritatis, rarissimo exemplo, vix finito Tyrocinij biennio, & primis votis nuncupatis, solemnem Votorum 4 Professionem emisit, consummatam Viri Virtutem honorante Præposito Generali. Consueta Societatis experimenta singulari animi tum demissione, tum dulcedine, præmisit; fuitq; insigni spectaculo, quando per fora & frequentiores plateas, manticâ ex humero pendente, stipem petijt, tantus nuper Præsul & Senator. Actum Professionis in templo Domûs Professæ Vilnensis insigni frequentiâ præcipui Procerum Litvanorum ornârunt. *Brictius in Vita. cap. 33.*

Eodem die obierunt.

3. Deberopæ in America, anno 1594, P. Gundisalvus de Tapia, Hispanus, multis laboribus in excolendis illis novalibus opulentus; quæ deniq; sangvine fuso ad majorem fœcunditatem irrigavit. Primus ad culturam Topianæ gentis, quæ homines vorat, penetravit. Cinaloenses deinde ingeniis mitiores, apud quos fur nullus, nec ullus mendicus, excoluit. Inde ad vicinos barbaros, cum P. Martino Paëz profectus, brevi duo millia capitum baptizavit. Sed cùm Nacabedam quendam senem, libidinibus immersum ad frugem reducere laboraret; ille monitoris impatiens, sicarios subornavit, qui Patri Gundisalvo brachium & caput amputarunt, palam confessi; quod id egissent, ob vitam castam ab illo zelosius inculcatam. *Victima fidei & Castimoniæ*

4. In Paraquaria, anno 1619, P. Alphonsus de Aragona, Hispanus, indefessus vineæ illius cultor, B. Aloysii viva effigies. Pater Provincialis audito illo in ratione conscientiæ, dixit ad socios: Arcanum thesaurum in Alphonso latere. Tam inclementer se cædebat: ut vulnera vermibus scaterent. Orandi dono ad miraculum excelluit, prodigiosis gratiis non semel à DEo donatus. *Sanctitas interior.*

5. Audomari in Belgio, anno 1612, P. Dionysius de Sannois, Belga. Vehementer illum ad eminentem virtutem, & specialiter ad juvandos moribundos inflammavit anima cujusdam è Nostris, quæ è flammis lustralibus ei comparuit, retulitq;: Viros religiosos ibi atrocibus tormentis torqueri, ob neglectum, vel frigidum animas, præsertim moribundorum, juvandi studium: quod dicebat, *Excelsum & admirabile esse coram DEo; ideoq; magnum esse in Societatem DEi affectum, quòd illâ utatur tanquam adjutrice ad salutem animarum.* *Religiosorum acre Purg.* *Zeli animarum præstantia.*

XI. JULII.

1. IN Italia fervebant anno 1564 pietatis & mortificationis studia, à Præposito Generali Lainio indicta universæ Societati, ad propitiandum Numen, & placandum summum Pontificem Pium IV. Conceperat enim is non levem indignationem, ob assumptum à Nepote suo, S. Carolo Borromæo, religiosius & severius vitæ genus: quam commutationem Pontifex Societati tribuebat, tum ob tradita ei Spiritualia S. Ignatij Exercitia, tum ob familiaritatem contractam cum P. Joanne Bapt: Ribera. Unde malevoli non pauci palàm jactabant: Nepotem Pontificis ac præcipuum in sustinendo Ecclesiæ pondere adjutorem, atq; unicum agendarum rerum administrum, enervatum esse à Iesuitis, infatuatum, & planè dejectum de mente. Eo deniq; res processit: ut Pontifex Lainio interdiceret; ne sive ipse, sive Ribera, in conspectum Borromæi venire auderent, priusquam se convenissent. Lainium, ne quantocyus apud Pontificem coram dilueret calumnias, prohibebant tum aliæ infirmitates, tum maximè ex podagra dolor pedum acerrimus, qui strato affixum tenebat. Ergo ad alia media conversus, jubet per totam Societatem à Provincijs eligi *Pius IV putatur alienatus à Societate.*

Men-

Mensem, quo Socij omnes propitiando Numini institutis pietatis & mortificationis exercitijs atq; Sacrificijs divinis, instarent. Romæ delectus est Mensis Iulius: qui cùm nec ad dimidium pervenisset; quod olim promiserat, acceleravit bonus IESUS, ac Societati Romæ potissimùm se exhibuit propitium ita; ut sub Idus Iulias licet nemine deprecante, Pontifex significari jusserit Lainio per Card. Sabellum: se nequaquam alieno ab Societate esse animo, nec de ea malè sentire; idq; Patres propediem re ipsa cognituros: prout & factum paulò post. Ita utiliùs ad divinam, quàm humanam opem recurritur. *Sacchin. hist. Soc: part. 2. lib. 8. n. 12 & seqq.*

Eodem die obierunt.

Vilissima charitatis.

2. In agro Carpentoratensi, anno 1591, P. Petrus Pequet, Gallus, orandi arte, ac singulari gratia pœnitentes suos juvandi præstans. Mors illum reperit in officio heroum, inter obsequia charitatis apud peste contactos. Quam postquam oppetiit, visus non semel est à pluribus in sacrificali veste, cœlesti luce circumfusus. Viri eximiam virtutem declaravit insolita lux per cubiculum, in quo decessit, quamdiu jacuit in eo corpus exanime diffusa cum odore suavissimo: nec non conspecta crux in aëre, imminens corpori, cùm tumulo inferretur. Translatus est ex oppido, ubi diem obierat, in Collegium Carpentoratense anno 1626. Transferendi occasio hæc traditur. Visa per dies plurimos erat in ejusdem Collegii aræ majoris gradibus nova species religiosi hominis, induti Societatis veste, genibus nixa, splendore vultûs tanto, ut intuentium aciem perstringeret. Hanc speciem, hæc ora Patris Pequeti esse, qui olim eum viderant, agnoverunt. Itaq; in eo ipso, ubi sic fuerat conspectus, loco tumulatus est. Inventum fuit in feretro, cùm exportaretur corpus rosarium suis adhuc globulis constans, quorum unus nobili matronæ, jam diebus 10 cordiaco morbo laboranti admotus, ægram continuò persanavit. Ipse adhuc superstes infantem, antequam sacro latice perfunderetur, mortuum ab interitu revocaverat, ut virorum gravissimorum testimonio compertum est. *Iuventius f. 365.*

Passionum dominium. Præsentia DEi Gustûs mortificatio.

3. Aginnæ in Gallia, anno 1617, P. Bernardus Aubasius, Gallus. Suavis in illo morum indoles, sed in se sibi subigendum tam severa & fortis: ut passionum suarum dominium visus sit consecutus. Per menses sex adeò se assuefecerat ad DEi ubiq; præsentis recordationem: ut mira facilitate & suavitate DEo semper esset intentus. In morbo amara sensim sorbebat; & per ipsos 14 dies præscriptam à medico potionem hilari vultu hausit, licèt pharmacopæi incuriâ vel inscitiâ, intolerabili amaritudine vitiatam; stupente medico, postquam error detectus est heroicum infirmi animum, & in palatum suum dominium.

Honor singularis post mortem exhibitus, strenuo in Vinea Domini operario.

4. Hancæi in China anno 1638, P. Joannes Froes, Lusitanus. Quàm religiosus & strenuus fuerit in illa vinea operarius: docuerunt honores posthumi ipsi delati, non solùm à Christianis, sed etiam ethnicis. Christiani per 7 dies exequias defuncto celebrarunt, magnoq; planctu, Patris sui jacturam luxerunt. Ducenti ad 5 milliaria, supplicantium ritu, funus comitati sunt ad locum sepulturæ: cùmq; transirent per portam urbis; milites custodes, quantumvis ethnici, flexo poplite sarcophagum venerati

nerati sunt omnes, elata voce illum sancti Patris titulo honorantes. *Soutvell. in bibl. Soc.*

5. Genuæ in Italia anno 1657, P. Julius Pallavicinus, Italus. Genuensis. Cùm Domum Professam Genuensem regeret; invalescente lue pestifera, exposuit se afflatorum confessionibus excipiendis, ceciditq; in heroico opere insignis victima charitatis. *Soutvellus in bibl. Soc.* *Victima charitatis.*

XII. JULII.

1. ANno 1631 Monachii in Bavaria manifesto miraculo repente sanata est à S. P. N. Ignatio clauda Virgo Anna, annos nata 19; posteaquam illi S. Pater apparuit in sacrificali veste, altera manu SS. JEsu Nomen, altera librum tenens. Fusiùs hæc narrat, ac examinata rite probat Vitus Adamus, Episcopus Frisingensis, in narratione ejus nomine typis edita Monachij anno 1631. *S. Ignatij ope clauda sanatur*

2. Eodem die anno 1544 Coloniâ in Lusitaniam iter aggressus est P. Petrus Faber, unus è primis Societatis Decemviris. Operam Coloniæ non solùm utilem, sed necessariam ponebat, quando postulante Rege Lusitaniæ; & annuente Pontifice, S. Pater illum migrare jussit. Paruit vir ad obediendum natus, incertas spes fructui præsenti postponens. Digressus est summo tum nostrorum, tum maximè PP. Carthusianorum mœrore, quorum ea fuit erga nostros benevolentia & beneficentia: ut non tantùm merita sua Societati voluerint esse communia, sed etiam temporalibus subsidiis nostros fere sustentârint. Lovanii conscensa navi, cùm ventus omnis defecisset, Faber primis precibus tam faventem impetravit; ut duas intra horas, quò totius noctis labore appulsuros se nautæ desperabant, sit appulsus. *Tanner in Societate Europæa, in vita P. Fabri.* *P. Faber jubetur migrare Coloniâ*

3. Anno 1600 cursum Evangelii in regno Bisnagarensi paululum retardavit consternatio publica. Inciderat solis defectio in hunc diem, Rex, aula, proceres cum populo, luctu ac dolore perditi, impasti & jejuni die toto perstiterunt, ejulantes miserabilem in modum, ac diris devoventes draconem, à quo solem, cùm deficit, vexari putant, ac prope devorari; adeo ut non priùs recipiat lucem, quàm se ab ejus faucibus expediat. Hunc mœrorem de solis labore conceptum expulit anniversaria diei festi lætitia. Unum è suis Numinibus præcipuis, Perúmalem nomine, genitum vaccâ ferunt, eamq; ob rem vaccas, tanquam affinitate cum eo junctas, habent in honore, iisq; nemo vescitur. Id fortasse ortum ab Ægyptiis, apud quos vitulus Apis in deorum numero colebatur. Tanto peregrinorum undiq; confluxit multitudo, tantâ diem festum munificentiâ *Superstitio de solis defectu.* *Idolum creditum vaccâ genitum.*

celebrarunt, ut illorum dona ducentis aureorum millibus æstimata sint. Pars festi & pompæ potissima fuit, simulacrum Numinis triumphali curru deuectum. Currum multa hominum millia trahebant. Rex primus rotas impulit: eas quisquis è populo poterat contingere, in cœlo se esse credebat. Patres de stolida gentis superstitione mœstos consolatæ sunt literæ, quibus Trimalarraius, Regis Bisnagareni hæres & nepos, in suam illos urbem Sirangapatanum invitavit.

Eodem die obierunt.

Fervor tyrocinij non amissus

4. Vilnæ in Litvania, anno 1653, P. Georgius Giedroyc, Litvanus. Ejus origines à Magnis Litvaniæ Ducibus repetitæ, ab ejus eximia virtute nobilitatæ sunt. Nunquam à primo tyrocinii fervore elanguit. Magno illi ad excelsam virtutem subsidio fuit verborum cibiq; parsimonia, & constans ad Redemptoris vulnera devotio. Inde illi animus tam innocens; ut in Societate nullam, etiam venialem, noxam deliberatè admisisse, sit notatus. Corpus tamen tam inclementer habuit: ut acri frequentiq; castigatione illud planè lacerârit, dimidiâ etiam horâ, huic piæ sævitiæ non raro impensâ. Tam religiosâ vitâ mortem meruit gloriosam in obsequio pestiferorum, cum 7 Sociis.

Innocentia religiosa.

Victima charitatis.

Fratres 5 in Societate.

5. Bruxellis in Belgio, anno 1614, P. Joachimus Arents, Belga. Jurisprudentiæ laurea, innocentia, sacerdotio, fidei zelo, & tolerata non una calamitate sub hæreticis turbamentis, clarus, venit ad Societatem, ad quam præmiserat fratres quatuor. Vixit in illa præclaro exemplo, geminis alis, Oratione fervente, & constante corporis animiq; mortificatione ad magnam perfectionem eluctatus.

Victimæ charitatis, 26 è nostris.

6. Oveti in Hispania anno 1599, cùm totam Asturiæ provinciam tam sæva pestis vastaret; ut vix tertia pars hominum superesset: primus è decade Sociorum, qui animas suas posuerunt pro fratribus & amicis suis, ad capessenda præmia evocatus est Joannes de Villasante. Ovetanis accesserunt eodem anno similes Heroes per diversa Hispaniæ loca viginti quinq;.

XIII. JULII.

S. Ignatij morbus ingravescit

1. Gravi languore laborare cœpit Societas universa, quando Sanctus ejus Parens hodie, anno 1556, solitò infirmior, sensit brevi instare depositionem tabernaculi sui. Itaq; administratione Societatis Ioanni Polanco, & Christophoro Madridio permissa, secedere extra turbas voluit; ut uni DEo & animæ suæ vacaret residuis vitæ diebus. Re cum medico communicata, visum est, ut in villam & vineam S. Balbinæ, quam in usum Collegij Romani recenter comparaverat, secederet. Sed cùm ægritudo ingravesceret; paucis pòst diebus Domum Professam Romanam repetijt, ibi expectaturus Dominum, invitantem in gaudium suum. *Orlandin. hist. Soc. lib. 16. n. 93.*

2. In

2. In Mexicanam Americæ provinciam anno 1572 prima Societatis colonia delata est, & ab omnibus hominum ordinibus honorificentissimè suscepta. Fama enim ex Europa & Indijs Orientalibus latè fusa, tam gratum ibi sparserat nomen Societatis: ut in Sociorum amplexum certatim ruerent Ecclesiastici & Politici magistratus, promittentes sibi in terris illis non minores ipsorum labores & laborum fructus. Quindecim constabat ea colonia Socijs, in Hispania lectis; quorum ductores fuerunt Petrus Sancius Provincialis, & Iacobus Lopius Mexicani Collegij futurus Rector. Excensione facta non ad aliud divertere voluerunt hospitium, quàm ad nosocomium: ubi primam operam, & Apostolicorum laborum posuerunt fundamentum, humilitatem. *Sacchin. hist. Soc: p. 3. lib. 8. n. 300.* *Adventus Sociorum in Mexicanam provinciam.*

3. In Insulis Marianis, quæ aliàs Insulæ Latronum ob incolarum feritatem sanguinariam dicebantur, feliciter restaurari cœpta est collapsa Religio Christiana; postquam anno 1695, hoc die Gubernator earum Insularum, D. Iosephus de Quiroga, assumptis militaribus copijs cum manipulo Missionariorum nostrorum, expeditionem suscepit in munitiores insulas; quarum incolæ ante paucos annos, nostros omnes cum præsidiarijs Hispanis crudeli nece sustulerunt. Cessit feliciter negotium, domiti partim armis, partim, imò magis, clementiâ & humanitate barbari, ad loca commodiora traducti sunt, & multo Patrum labore Christo iterum subjecti. *Ex literis Rom:* *Incolæ Insularum Marianarum domiti.*

Eodem die obierunt.

4. Syracusis in Sicilia, anno 1605, P. Sebastianus Cabarasius, Siculus. Ad promovendum DEiparæ V. cultum & amorem, tres condidit Sodalitates, quas singulari industria & accurata diligentia excolebat. A latronibus aliquando in itinere malè mulctatus, tam felix & potens fuit in exprobanda illis vitâ impiâ, ut ipsos non solùm ad meliorem frugem, & generalem totius vitæ exomologesim perduxerit: verùm etiam aliqui ad religiosa cœnobia se receperint, impetrata illis per P. Sebastianum à Principibus venia. *Sodalitatum cura.* *Latronum conversio.*

5. Brunæ in Moravia, anno 1659, P. Gaspar Aicha, Bohemus. Ad Societatem illum impulit quidam ex amicis, quem totum horrendis involutum flammis vidit. In Societate conspectu B. Aloysii recreatus dicitur, & probavit eximia ejus modestia ad Aloysinam composita, regularumq; & Ordinationum observantia. Foris ut biberet, adigi nunquam potuit: maluitq; ab amico minaciter urgente, cyathum vino plenum, in faciem sibi effundi, quàm libare. In morientis manu inventa est pia formula testamenti, quod ante triennium condiderat: quo inprimis gratias DEo agebat, linguis omnium creaturarum, quæ sunt in mente ipsius, pro beneficiis ipsi & creaturis omnibus concessis & concedendis, & specialiter pro gratiis & donis, quibus Societatem ornavit, & ornaturus est. Deinde offerebat corpus suum Corpori *Extra Domū relig: potus non admissus.* *Testamentum religiosum.*

ri Christi, animam Animæ, cor Cordi ad amandum DEum corde Christi &c.

XIV. JULII.

S. Ignatius Hierosolymam solvit.

1. Venetiis Hierosolymam solvit S. P. Ignatius anno 1523, terram divino Christi sanguine rigatam veneraturus. Multis conabantur amici eum avertere ab illa peregrinatione, ob pericula tunc solitis majora, Turcis capta Rhodo, latè illo mari grassantibus, multisq; peregrinantium, ne in illorum manus inciderent, in patriam revertentibus: at ille DEi & cæli aspectu terrenos metus eludere doctus, responso mirabili urgentes stupefecit, asseverans: Tam certa se vocantis DEi fiducia niti; ut si navis deesset, crederet, se nuda in tabula posse illuc salvum appellere. Amicis frustra laborantibus, successerunt Medici nihilo meliore eventu, Dato enim vectoribus classico, accurrit sine mora Ignatius, sui & morbi, quo affligebatur, & medici præsentissimum periculum opponentis, negligens, soloq; Terræ Sanctæ desiderio ardens. Et adfuit piæ menti bonus DEus: pericula enim & incommoda navigationis versa sunt in pharmacum, salvusq; & sanus, post octo supra nonaginta dies navigationis, tenuit Saphun in Syria, & quarto pôst die Hierosolymam pius Peregrinus. *Bartolus in Vita lib. 1. n. 23 & 24.*

Ioan. Hayi victoria de hæreticis.

2. Argentorati in Germania anno 1576 celebris habita est disputatio in Academia heterodoxa, Iuvenis unius è Societate cum Doctoribus acatholicis. Ioannes Hayus, natione Scotus, præclaro ingenio juvenis, Superiorum jussu, ad valetudinem curandam, è Polonia redierat in Lotharingiam Mussipontum; ibi cùm non proficeret, expeditus est Argentoratum ad medicum Catholicum, qui ei promiserat sanitatem. Ibi dum valetudinem curat, propositæ sunt in Academia Theses de Transubstantiatione Eucharistica, publicè disputandæ. Confluxerat copia Sectariorum, Catholicorum inventus est nemo, qui pro fide verbum opponeret. Non tulit eam ignominiam Hayus; & quamvis attritis corporis viribus, animo validus descendit in arenam, eò fidentius: quòd habitu sæculari, in civitate hæretica texisset Iesuitam. Disceptatum est tam felici successu; ut omnium, etiam hæreticorum, judicio victoria steterit penes hospitem Catholicum. Moderatè tulerunt cladem doctores Academici aliquamdiu: at ubi resciverunt, victorem esse Iesuitam, in rabiem acti, convenerunt Magistratum, ut nova institueretur disputatio cum Jesuita. Iussus ergo iterum congredi Hayus, quàmvis non temere poterat timere, ne pro ratione

tione vis ingrueret confisus tamen bonæ causæ, iterum disputavit, iterumq; non obscuram reportavit victoriam, à studiosis hæreticis honorificè in hospitium suum deductus. Patribus nostris ubi acta innotuerunt: probârunt magis exitum rei, quàm consilium: quòd juvenis, & solus, in hæretica civitate, nomen Catholicum petulantiæ adversariorum exposuisset. *Sacchin. hist. Soc: p. 4. n. 131.*

Eodem die obierunt.

3. Trajecti in Belgio, anno 1638, Philippus Nottin, Coadjutor, Belga, dira passus ab hæreticis fidei causâ. Cruci ferreæ insidere jussus est, manibus pedibusq; per extremos digitos ad tergum revinctis, quos manicæ pedicæq; aculeatæ dirè constringebant. Collo innexum erat collare ferreum, trifariam aculeis consertum, quorum alii recti eminebant, alii sursum, deorsum alii vergebant, igne quoq; admoto, quo lentè torrebatur. Ubi usta pellis intumuit in bullas & pustulas, illis ferro apertis, acetum cum sale ac pyrio pulvere infusum est. Sic per ipsas decem horas torto Philippo, caput deniq; resectum est, obtentu proditionis (prout semper hæresis crudelitati suæ colorem allinit) re vera odio fidei: ut patet è narratione à Bullonio Duce conscripta. *Victima fidei inter atrocia tormenta.*

4. Manilæ in Philippinis insulis, anno 1627, P. Thomas de Montoya, Indus è Nova Hispania. Post gentes illas indefesso triginta annorum labore excultas, apud Basaias odio fidei venenum illi propinatum est, unde lenta morte contabuit. *Victima fidei.*

5. Mussiponti in Gallia, anno 1654, Gerardus Dominique, Coadjutor, Gallus, omnibus sortis suæ dotibus insignis, præcipuè verò studio colloquendi de rebus piis. Comparuit post mortem cuidam Theologiæ Professori, sibi pertamiliari, noctu oranti, capite radiis circumfuso, quibus totum cubiculum illustrabatur; ex ore autem splendidissima stella promicabat, velut tessera præmii pro colloquiis spiritualibus obtenti. Rogatus an DEo frueretur? modestè capite annuit, commendavitq; impensè prædicto Patri Colloquium de rebus spiritualibus, *ut quòd inferis amarum, Superis verò gratissimum.* *Colloquium de rebus piis.*

XV. JULII.

1. Burburgi in Belgio, anno 1610, S. P. Ignatius invocatus, puellæ sanitatem restituit manifesto miraculo. Gravissimis cruciata renum doloribus, febriq; accedente, jam ad portas mortis deducta cùm esset, nec quidquam profuissent medicamenta, liberaliter à parente Iurisconsulto adhibita: contigit opportunè, ut quispiam Patrum nostrorum Bergâ Burburgum veniret, suaderetq; ut opem S. Ignatij implorarent afflicti; curavitq; sine mora in eum finem Bergâ adferri Reliquias quasdam Sancti. Concepto voto à puella de Festo ejusdem S. Communione, & præmisso jejunio, celebrando, postquàm allatæ Reliquiæ parti laboranti sunt applicatæ: illico ægra sensit, se non doloribus solùm liberatam, sed plenam *S. Ignatij ope infirma sanata.*

ſanitati reſtitutam ita; ut eodem die Soſpitatori ſuo in templo gratias fundere potuerit. *Bartolus in Vita S. Ign. lib. 5. n. 78.*

Prædeterminatio phyſica.

2. Valentiæ in Hiſpania anno 1662, P. Ludovicus de Tapia, Procurator Collegii noſtri Valentini, coram officio publico petiit audiri teſtes, deponentes de veritate cujuſdam dicti Reverendiſſimi Patris Thomæ Turci, Magiſtri Generalis Ord. Prædic: produxitq; hoc & ſequentibus diebus externos 4 Doctores Theologiæ, qui jurati affirmarunt: ſe interfuiſſe celebri diſputationi in Conventu FF. Prædicatorum; in qua cùm Fr. Toloſanus pro viribus propugnaret Prædeterminationes phyſicas, tanquam expreſſam S. Thomæ doctrinam, interpellans Reverendiſſimus Turcus ſemel iterumq; dixit: *Oſtende mihi locum S. Thomæ, in quo Prædeterminationem defenderit, & creabo te Magiſtrum in tua Religione contra Conſtitutiones tuæ Provinciæ.* Eleuther. in hiſt. de Auxil. lib. 2. cap. 22, Henao de ſcientia Media, Eventilat. 8. & Henricus de Cerf Cancellarius Univerſitatis Duacenæ: qui addit, libro, quem de mente S. Thomæ in ea materia conſcripſit, P. Turcum id repetiiſſe Pariſiis, cùm eaſdem Prædeterminationes impugnaret P. Bagotius è Soc: JEſu.

Edictum reginæ Angliæ contra Ieſuitas.

3. In Anglia, anno 1580, nova Edicta promulgavit regina contra Jeſuitas, & Collegiorum Ultramarinorum Seminaria atq; Alumnos Anglos: quibus & denunciavit Reos læſæ majeſtatis, & variarum in ipſamet ac remp. conſpirationum authores; ideoq; illis aquâ & igni interdixit. *Sacchin. hiſt. Soc. p. 4. lib. 8. n. 125.*

Eodem die obierunt.

Apoſtolorum nomen comparatū in Luſit:

Laborum Societatis præmium non honores, ſed labores.

4. Ulyſſipone in Luſitania, anno 1579, P. Simon Rodericius, Luſitanus, unus è decem primis Patribus Societatis. E multis tentati turbatiq; animi ſalebris feliciter eluctatus, conſtanter tenuit, & impigrè decurrit viam perfectionis ſub diſciplina S. Patris Ignatii. Ab hoc idoneus judicatus Apoſtolico muneri Indiarum convertendarum, in Luſitaniam expeditus eſt cum S. Xaverio. Sed cùm ibi zelum ſuum in reformatione morum, & puerorum inſtitutione, longè lateq; incredibili cum fructu explicarent: Apoſtolorum nomen meruerunt, & communi Regis Magnatumque ſententiâ actum eſt de ipſis in Luſitania retinendis. Ægrè tandem dimiſſo Xaverio, retentus eſt Simon, Conimbricenſi Epiſcopatui à rege deſtinatus; quem ille multis rationibus & lacrymis efficaciter deprecatus eſt, prætendens, vocationis ſuæ præmia eſſe non honores, ſed labores.

Victima fidei 40.

5. Ad Palmam, unam ex inſulis Fortunatis, anno 1570, P. Ignatius Azevedius, Luſitanus, cum Sociis 39, à piratis hæreticis, odio fidei, in mare projectis & demerſis. Ignatius arctiſſimo complexu imaginem DEiparæ V. ſtringens, conculcatus, capite ſaucius, lanceis confoſſus, cùm Socios ad mortem fortiter oppetendam hortaretur, in mare deturbatus eſt. In alios ſimili crudelitate deſævitum, clamantibus ſicari-

sicariis, *Tollendos Iesuitas in Brasiliam euntes ad prava dogmata disseminanda.* Vidit in Spiritu S. Theresia gloriosorum athletarum & fortem agonem, & lauream Martyrum ipsis in cælo donatam.

6. Coculini in India Orientali, anno 1583, P. Rudolphus Aquaviva, Italus, cum 4. Sociis in odium fidei trucidatus à barbaris. Adolescens, exemplo S. Thomæ Aquinatis, procacem fœminam titione fugavit: ab eo tempore nihil prorsus rebellionis in carne expertus. Moriens pro occisoribus suis oravit; à morte visus gloriosus, in corona gemmis conspicua, indice variarum & non vulgarium virtutum, quibus claritatem generis sui eximiè ornavit. *Victima fidei; Castitas fortiter defensa.*

7. Mussiponti in Lotharingia anno 1685, cùm sæva pestis depasceretur urbem, nec minus exitium esse à fame, è nostris, non solùm in animarum, sed etiam corporum curam effusis, ceciderunt omnino decem; & inter eos hoc die Joannes Bertrandus, impiger in sancto illo opere operarius.

XVI. JULII.

1. ANno 1576 Gregorius XIII universam Societatem à publicis supplicationib9 seu Processionib9, & precibus, exemit, *Motu proprio*, & non ad Præpositi Societatis aut presbyterorum ejus, vel aliorum super hoc petitionem, seu instantiam; sed de sua mera deliberatione: districtiùs inhibendo quibusvis locorum Ordinariis, etiam Patriarchali, vel Archiepiscopali dignitate, ac etiam Cardinalatûs & Legationis Sedis Apostolicæ honore præfulgentibus, & aliis personis, quacunq; auctoritate fungentibus; ne personas Societatis ad interessendum processionibus præfatis, quavis occasione, causa, seu quovis prætextu, ingenio, vel colore, directè vel indirectè, mediatè vel immediatè cogere, molestare, perturbare vel inquietare audeant, vel præsumant, seu permittant. *Ex literis Apostolicis.* Constitutio incip. *Quæcunq; sacrarum Religionum &c.* *Exemptio Societatis à processionibus.*

2. Romæ anno 1595, Venerabilem P. Nicolaum Lancicium, juvenem adhuc Theologicis studiis in Collegio Romano vacantem, sed diro scrupulorum tormento acriter exagitatum, conspectu suo dignatus est Dominus. Oranti post sacram Eucharistiam susceptam, nulla hujusmodi imaginatione aut meditatione præmissâ, velut deducta scenâ, videndum sese obtulit augusta specie Christus JEsus, Crucem justæ magnitudinis ostentans; eidemq; altera manu innixus, Nicolaum Italicis verbis sic allocutus est: *Scrupuli isti sunt Crux tua.* Unde ille non solùm nihil horroris, sed plurimum hausit solatii in multum tempus, præsertim postquam gratiosissimus Salvator beneficium suum altero favore hoc die cumulavit. Orantem enim in vinea S. Balbinæ, clara sed interna voce admonuit: placere sibi & DEo Patri; ut dolorem de peccatis, & ardentissimum DEi amo- *P. Lancicio apparet Christus; Scrupuli sunt crux.*

Dolor de peccatis. amorem dari sibi cœlitus peteret: id signum fore, animam suam, licet scrupulorum importunitate cruciatam, in gratia DEi esse, & fuisse. Petiit ardenter, & impetravit. Cùm enim tempore vespertino motio illa animi jam evanuisset, ex subita & vivacissima peccatorum memoria repente solutus est in lacrymas, & ita singultibus concussus; ut è Sociorum præsentia se proripere cogeretur, ad indulgendum liberiùs dolori & amori. Mansitq; inde non dubius de gratia & amore erga se divino. *Balbinus in Vita lib. 1, cap. 5.*

Eodem die obierunt.

3. Mexici in America, anno 1609, P. Petrus Sancius, Hispanus. Maxicanæ Provinciæ fundamenta jecit, Collegiis aliquot, & tribus erudiendæ juventuti Seminariis, excitatis. Ut solidam in se ipso fundaret virtutem, acri corporis castigatione quotidie, crebra inedia, & perpetua à vino abstinentia se macerabat. Cum Sanctis tanta dicitur illi intercessisse familiaritas: ut occurrentes, de facie facile nosceret. *Sanctorum familiaritas.*

4. Hispali, anno 1648, P. Ferdinandus de Mendoza, Hispanus. DEiparæ V. addictissimus, à tenerrima ætate consueverat, illam recitato quotidie Rosario honorare. Fuit, cùm pensi illius oblitus, cubitum concessit: sed ubi expergefacto in mentem venit Rosarium oblivione omissum; illico è strato se proripuit, Recitanti ergo Rosarium adfuit cælesti splendore refulgens Virgo Mater, benignè hortata; ut in bene cœptis pergeret; suam illi opem, etiam in difficillimis, non defuturam; quod deinde cumulatè præstitit. *Rosarij B. V. constans recitatio.*

XVII. JULII.

1. POst celebratam in Sacro Tridentino Concilio Sessionem vigesimam tertiam 15 Julii de Sacramento Ordinis, cùm de more concipiendi essent Canones de eodem Sacramento, delectus est ad id muneris inter alios P. Jacobus Lainius, qui Pontificium Theologum ibi agebat. Collegæ cùm hominis prudentiam & scientiam, eminentem haberent perspectissimam, totum illi negotium commiserunt: quod tam prudenter & accuratè est executus: ut nihil, sicut solebat, fuerit à Patribus emendatum *Sacchin. hist. Societ. p. 2. lib. 6. n. 86.* *P. Lainez concipit Canones de Sacramento Ordinis*

2. Tibure in Italia anno 1587 insignis solemnitas celebrata est Translationis Reliquiarum sacrarum S Symphorosæ & filiorum ejus ex urbe in templum Collegii Societatis IEsu, DEo dicatum in prædictorum SS. Martyrum honorem, erectum autem à Card. Matthæo Contarello. Concesserat enim Pontifex in favorem dicti Cardinalis: ut pars notabilis ex prædictorum SS Martyrum reliquiis, quorum corpora Romæ in Ecclesia S. Angeli in Piscina, religiosè asservantur, ad novum Tiburtini Collegii templum transferretur. Auxit solemnitatem Caput S. Martyris Getulii, S. Sym- *Translatio Reliquiarum in templum Societatis.*

phoro-

phorosæ viri, ac septem Martyrum Patris; quod Tiburtinus Episcopus Andreas Crucius, ex pervetusta æde S. Petri, quæ Tibure est, ut honorificentiùs haberetur, in templum Societatis deportandum, ibiq; in perpetuum asservandum dedit. Ipsemet Præpositus Generalis Claudius Aquaviva, ab Roma Beatos Patronos comitatus, cohonestandis novi templi encæniis, ad confertum populum idoneam tempori, & loco, multo audientium plausu, orationem habuit. *Sacchin. hist. Soc. p. 5. lib. 7. n. 22.*

3. Longa quinq; mensium consultatione tandem Cardinales summum Pontificem hac die anno 1691 renunciarunt Antonium Pignatellum Neapolitanum, qui Innocentii XII nomine insigniri voluit. Cognominis Antecessoris zelum æmulatus se Ecclesiasticæ disciplinæ acerrimum Assertorem à primis diebus exhibuit. Eadem constantia ab affinium contubernio & affectu temperans, insuper pietate & benignitate in pauperes acceptissimus, quibus certum singulis hebdomadibus diem statuit, in quo omnibus querelas & preces publicè exaudiret. *Brietius.* *Innocentius XII eligitur Pontifex.*

Eodem die obierunt.

4. Lucronii in Hisp. anno 1564, P. Petrus Antonius Martinez, Hispanus, singulari erga lucrandas animas charitate, suavitate & dexteritate præstans: quibus dotibus complures obstinatos peccatores lucrifecit. De Rosario cùm ad populum diceret, ingens cereus supra DEiparæ V. imaginem ardere conspectus est. Unde ipsum concionatorem populus deinceps appellavit: *Ardentem Beatissimæ V. Cereum.* Consumptus tandem est hic cereus in obsequio pestiferorum; aut potiùs in splendoribus Sanctorum clariùs lucere cœpit; cum Sociis tribus eidem charitatis officio intentis. *Cereus ardens Concionator Marianus.*

5. Apud Ciuncios in America, anno 1629, P. Bernardus Reuss, Hispanus, à barbaris in odium fidei sagittis confixus, præter pretiosam Virginitatis aureolam, purpuratorum Christi pugilum laureâ donatus est. *Victima fidei*

6. Mechliniæ in Belgio, anno 1613, P. Andreas Bottelberch, Belga, ob singularem in prædicandis DEiparæ V. laudibus facundiam & ardorem, vulgò dictus *B. Virginis Ecclesiastes.* Æger rogatus, quid vellet? *Cœlum*, respondit, & illuc abiit. *Concionator Marianus.*

7. Compluti in Hisp. anno 1637, P. Alphonsus Esquera, Hispanus, eminenti virtute, & singularibus DEi gratiis insignis. In se ipsum severissimus, carnem quotidie bis inclementer flagris lacerabat, cibos nec sale nec aliter condiebat; vinum, non nisi extremis aliquot mensibus, jussus bibit. Cùm aliquando de Christo, à discipulis in Emmaus euntibus coacto, ut cum ipsis maneret, meditatus cogitaret; quomodo & ipse eum piè cogere posset, ad manendum secum: internum, sed clarum responsum audivit; *Fac tibi vim, & facies illam mihi.* Unde illi novum ac potens accessit calcar ad se pervincendum. Anno 1621, in festo S. Angeli Custodis, vidit Angelum suum Tutelarem ad latus sibi assistentem, specie adolescentis præstantis, armati, lanceam manu gestantis. Alphonsus cum illo per cubiculum inambulans, & familiariter collocutus, cum lacrymis petiit ab eo veniam defectuum in cultu ejus. *Mortificatio rigida, præsertim gustûs.* *Angeli Cust. familiaritas.*

Procedentem deinde ad Sacrificium Missæ, comitatus Angelus, adstitit celebranti, & post consecrationem Christum de genibus adoravit. Sumpta S. Communione videbatur sibi Alphonsus majore cum reverentia aspici ab Angelo; totoq; biduo adspectabilem habuit.

XVIII. JULII.

In Gallia turbo contra Societatem.

1. IN Gallia civilibus bellis ardente, cùm Henricus rex Fœderatis principibus reconciliatus esset anno 1585: etiam Societas, non leviter afflicta respiravit. Insimulabatur enim à malevolis, quasi Fœderatorum, qui pro re Catholica arma sumpserant, concitasset animos, & odia nutriret contra regem eiq; adhærentes. Non credebat primùm rex: at hujusmodi sermonibus ab hæreticis & larvatis Catholicis quotidie oneratus, offensionem tandem præferre visus est. Cæterùm Socii, quos conscientia recti solabatur, non solùm inter se alta pace gaudebant; sed etiam solitò fructuosiùs populo serviebant, DEo tantò magis propitio, quantò infestiores insurgebant homines. Evanuit paulò pòst hic turbo, quando rex hoc die in summa Senatûs Curia, præsente Matre, quatuor Cardinalibus, multisq; principibus & populo frequentissimo, declaravit: grata sibi esse, quæ Catholici proceres Religionis causâ egissent &c. *Saccin. hist. Soc. p. 5. lib. 5. n. 134. & seq.*

Dies Natalis Collegii Vilnensis.

2. In Litvania anno 1570 designatus & celebratus est hic dies, ut Natalis Collegii Vilnensis, primarii in ea provincia. Cùm enim Valerianus Episcopus omnia, quæ ad fundationem requirebantur, expedivisset, & à Magio, Provinciali tunc Austriæ & Poloniæ, oblatos ad sua & populi sui obsequia Socios, paterno affectu complexus esset, inter largas, amoris testes, lacrymas: ad Collegium honestissimo cum comitatu venit, ubi post decantatum in Sacello de SS. Trinitate Sacrum, salutatus est primùm à Professoribus Oratione Latina, tum Hebraica & Græca; deinde à nobilibus adolescentibus carmine festivo. Mox per diœcesim expeditis literis intimavit, constitutum esse Collegium, & scholas patere ingenuæ juventuti: diem verò decimum quintum ante Calendas Sextiles haberi Natalem Collegii, & anniversarium observari voluit. *Sacchin. hist. Soc. p. 3. lib. 6. n. 20.*

Eodem die obierunt.

Moribundus commendatus.

3. Avenione in Gallia, anno 1604, Petrus Doligier, Coadjutor, Gallus. Vesperi ad sacram Synaxim diei sequentis ut se pararet, confessionem obierat: & ea nocte placidè exspiravit, manè repertus exanimis. Quamvis verò præsentium hominum ope destitutus fuerit, divina non caruit. Alter enim è Nostris ea ipsa nocte, sen-

sit brachio tacto se excitari, audivitq; vocem: *Vigila, DEoq; commenda unum è fratribus, qui jam nunc agit animam*

4. In Prussia Brandeburgica, prope Resselium, anno 1693 P. Adalbertus Grabenius, parente Sueco I. U. D. Varsaviæ in Polonia natus. Cùm ad Capuccinorum Ordinem adolescens propenderet: à quodam è Capuccinis monitus est, ut potiùs Societati se daret. Quam Romæ ingressus, Religiosissimum nactus est Magistrum P. Ioannem Paulum Olivam, quo dirigente solida posuit religiosæ perfectionis fundamenta. Ter è Polonia in Urbem missus; cùm in itinere noctu, quidam comitum sæcularium, ad quiescentem adduxisset scortum: ille strato exiliens, gravi colapho impacto lenoni, prostibulum abegit. Extra Collegium, visitando ægros, vel alia tractando negotia, nunquam adduci potuit: ut more gentis hospitalem admitteret haustum. Ad signum campanæ, in omnibus punctualem se præbebat: quod cum quidam laudaret; P. Adalbertus joco rem diluens, *Hoc*, inquiebat, *mihi mortuo scribite elogium: quod primus fuerim in lecto, primus in refectorio, primus in recreatione.* Mira pollebat dexteritate & felicitate in dirigendis adolescentibus, quorum plurimis implevit religiosas Domos. Ad Cistercienses direxit, 53, ad. Franciscanos seu Bernardinos 30, ad Dominicanos 12, ad Basilianos 5, ad Carmelitas reformatos 28, ad Brigitanos 12, ad Societatem 117, ad Carthusianos etiam & Augustianos aliquot. Ex omnibus vix aliquem pœnituit susceptæ vitæ religiosæ. Redux Vilnâ ex Congregatione Provinciali, morte subita, sed non imparatus in itinere extinctus est. *Ex Annuis Collegij Brunsbergensis.*

XIX. JULII.

1. COllegium Vilnense in Litvania, jam solidè pleneq; constitutum, prout heri intimatum, primus Rector gubernare cœpit Stanislaus Varsevicius, vir meritis & publicâ famâ magnus. Inter hæreticos Vilnenses eminebat Andreas Volanus, è Secta Calvini, qui Palatino Vilnensi à secretis erat. Is periclitaturus Jesuitarum ingenia & scientiam, adjuncto sibi Andrea Tricesio, & aulicorum globo, de eodem Calvini grege, Lutheranis etiam quibusdam accedentibus, profectus ad Collegium, quid Patres sentirent de Eucharistiæ Sacramento, quæsivit. Qui cùm sententiam Catholicam latè dilucideq; explicassent, tamq; claris D. Augustini & Ambrosii, quorum auctoritatem admisit Volanus, testimoniis firmâssent, ut nemo nisi extremè obstinatus, dissentire posset: quamvis sentiret se victum; ut fateretur, adigi non potuit. Patres non veriti judicium publicum, paulò pôst de eadem Ven. Eucharistia, & Communione sub una specie, públicas exposuerunt Theses. Ingens confluxit, etiam hæreticorum numerus: nemo tamen istorum, quàmvis humanissimè invitarentur, toto triduo, quo disputatum est, ausus fuit in arenam descendere, & aliquid opponere. Inter Catholicos ergo res gesta; hæreticorum argumenta fideliter

P. Varsevicius primus Rector Collegij Vilnensis.

Disputatio de Ven. Eucharistia.

liter sunt proposita & promota, sed magnificè refutata. Unde quantum animorum Catholicis accessit, tantum audaciæ hæreticorum temeritati decessit. *Sacchin. hist. Soc. p. 3. lib. 6. n. 121. & seqq.*

Eodem die obierunt.

Missionarius Castrensis præstans. 2. Manilæ in Philippinis, anno 1631, P. Laurentius Massonius, Italus, magnus in Orientali India operarius per annos omnino 30. in castris Catholicis cùm Sacramenta ministrasset, victoriam pollicitus est, in acie cum Crucifixo præivit, & insigni victoria potiti nostri, Ternatem insulam receperant: ex qua P. Laurentius ingentem vim soricum sacris exorcismis ejecit. Aliàs cùm Batavus victor Catholicos persequeretur, præcedentem ante oculos suos Patrem vel videre vel assequi non potuit, DEiparâ V. ipsum tutante. Coactus triduo in vepreto latere absq; omni cibo & potu, cùm siti cruciaretur, vidit repente venam aquæ ex terra prosilientem; quæ, ubi Pater sitim restinxit, evanuit. Quamvis passim vir perfectus audiret: frequentibus tamen manabat lacrymis, quod diceret: nescire se, an satis peccata sua eluisset.

Exul pro fide. 3. Iaroslaviæ in Polonia, anno 1588, P. Ioannes Hartus, Anglus. E patria fidei causa proscriptus, post biennalem carcerem fœdissimum, & iteratum equulei tormentum; in Polonia portum, in cælo patriam invenit. *Ex Tannerc.*

Dæmon concionator. 4. Cali in America, anno 1649, P. Ioannes Ribera, Hispanus, potens sermone & opere ad conterenda peccatorum corda, Non paucis obstinatis prædixit: sine Sacramentis citò morituros: quod & factum. Dæmoni, qui palàm concionabundus, se Adamum dicebat Protoparentem, silentium imposuit. Popajanenses & Calenses tam scitè ac amanter excoluit: ut pro ipso ægro paratos se dicerent ex intimo cordis fundere sanguinem.

Victima charitatis. 5. Taurini in Sabaudia anno 1599 Christophorus Marianus, Coadjutor Temporalis, cum Socijs 9, partim Sacerdotibus, partim Coadjutoribus, in maximo Charitatis officio, contagiosa lue afflatus, religiosè decessit. Eodem die anno 1611 P. Iacobus Stizius, Vir religiosissimus, zeloq; fervens Apostolico, Constantiæ in Germania, cum Socijs decem, eidem obsequio gloriosè immortuus est.

XX. JULII.

S. Xaverius urget excommunicationem. 1. S. Indiarum Apostolus, Xaverius, post impeditam à Malacensi Præfecto profectionem suam ad Sinas, ut populis illis Evangelii lucem inferret: epistolam dedit anno 1552 ad P. Gasparem Barzæum, Goani Collegii Rectorem: ut omni diligentia curaret, ab Episcopo Goano expediri Malacam literas, quibus urbis Præfectus declararetur Excommunicatus. Vix credas, inquit, quàm fuerim exagitatus Malacæ. In Sinarum insulas, quæ Cantoni urbi adjacent, pergo, ab humano præsidio nudus, septus tamen, ut spero, divino. In spem venio, fore, ut Ethnici homines in continentem Sinarum mihi viam aperiant; quoniam quidem Christiani illud iter intercluserunt, nullo Ecclesiasticæ notæ, & cœlestis iræ me-

tu, quam tamen miseri incurrerunt. Quare curabis diligenter: ut Episcopus ad Malacensem Vicarium Excommunicationis formulam mittat, qua Præfecto Malacensi, itemq; aliis, qui tam utile rei Christianæ consilium fregerunt, publicè ac nominatim sacris interdictum esse, denuncietur. Velim autem in ea formula illud poni: me à Paulo III. Pont. Max. Legatum Apostolicum missum in Indiam cum diplomatis iis, quæ ipse agnoverit Episcopus. Id ego eò facio, ne quis posthac Christianæ religionis propagationi, & piorum hominum conatibus adversetur &c.

Epistolarum Veterum, lib. 4. ep. 13.

Eodem die obierunt.

2. Trajecti in Belgio, anno 1638, P. Ioannes Baptista Boddens, & P. Gerardus Paesman, Belgæ, odio fidei ab hæreticis interempti crudeliter. P. Ioannes, Collegij Rector, per 22 horas primùm, deinde per quatuor alias dirissimè cruciatus modis, quos calamus horret ac erubescit, deniq; securi truncatus est capite. P. Gerardus crucis ferreæ atq; acutæ, collaris cuspidati, manicarum & pedicarum aculeis, ignis lenti, salis deniq; atq; aceti vulneribus infusi, tormentis excruciatus per horas decem; solicitante frustra ad defectionem à fide ministello hæretico, gloriosè occubuit. *Victima fidei inter atrocia tormenta.*

3. Neapoli, anno 1656, P. Franciscus Corcionus, Italus, opima charitatis victima cecidit in obsequio peste tactorum. Celebrem SS. Eucharistiæ Sodalitatem, cuius Sodales Zitti, seu Silentiarij vocantur, quòd in sacro quodam silentio sua peragant, magna cura, multoq; labore & fructu pluribus annis administravit, & auxit. Intra se ipsum se abdens, totus fuit demissio, totus modestia: erga alios totus calor, totus charitas, totus cor videbatur. Cuidam è Socijs meticuloso, ne fortè afflaretur peste in sacro illo obsequio, prædixit superstitem futurum; & fuit. *Victima charitatis. Silentiariorum sodalitas.*

4. Cracoviæ in Polonia, anno 1624, Ioannes Laskowski, Polonus, Scholasticus obiit Insignis in eo eluxit, cum insigni ingenio, humilitas; quam, dum in Scholis doceret, cùm obsonatorem palàm sequeretur, & ipsis vestibus, verbis, omniq; gestu testabatur. Quotidie acriter se verberabat: & licèt nullius peccati lethalis sibi conscius videbatur, gravibus tamen conscientiæ scrupulis laniabatur ita; ut à Confessarijs internus Martyr diceretur. In eos, quos vindex Iustitia morte plectebat, singulariter propensus erat, juvando eos & precibus, & acri sui flagellatione. *Martyr internus.*

XXI. JULII.

1. ANno 1550 Julius III Pont. Max. Institutum Societatis iterum confirmavit, cum majore ipsius, & aliorum Indultorum declaratione, per Bullam, *Exposcit debitum &c*, Ex literis Apostol. *Institutum Societatis confirmatur.*

2. In Chorano, insula modica Indiæ Orientalis, à Goano territorio modicè avulsa vetera virtutis suæ miracula renovavit Spiritus Sanctus anno 1560, baptizatis hoc & altero die fere omnibus insulæ ejusdem inqui- *Multitudo baptizatorum.*

quilinis, partim ethnicis, partim atheis. Contra legem quandam à Prorege latam in favorem rei Christianæ, delictum fuit à quibusdam: ideoq; prorex cognitorem misit in insulam, qui de reis inquireret; adjunxitq; duos è Patribus nostris, ut præstò essent, si eorum operam occasio aliqua deposceret. Convenerant non pauci Insulanorum in palmetum quoddam, consilium capturi de rebus suis: quos cognitor illico à satellitibus suis comprehendi jussit, aliosq; inquiri. Videns senex quidam, præcipuæ inter suos authoritatis, zelum Lusitanorum pro re Christiana, prodiit in medium, contestans; opus non esse strepitu & vinculis, cùm & ipsi omnes Christiani essent. Annuerunt unanimi voce cæteri captivi, solutiq; vinculis totam mox insulam percurrerunt, conclamantes; Christianos se esse, talesq; omnes fieri debere. Fuit ea efficacia monentium, vel potiùs Spiritus Sancti; ut nemo fuerit, qui non acclamârit; convolâruntq; certatim ad Patres, instrui & baptizari petentes. Delatus nuncius Goam, Proregem urbemq; totam gaudio implevit incredibili. Nec defuit constantia & docilitas catechumenis. Post paucos instructionis dies tanta frequentiâ ad sacrum fontem properârunt: ut cùm paulò antè vix 30 numerarentur Christiani in insula tota, paulò pòst vix ethnici 30 invenirentur. *Bartolus hist. Asiaticæ lib. 7. n. 46.*

Puget9 apostata à Societate.

3. In Gallia Burdegalense Collegium, anno 1574, triplici turbine concussum est. Unum alterumve facile & gloriosè sustinuit, tertius Philosophiæ Professorem illi eripuit. Fuit is Joannes Pugetus, qui absoluto cursu Philosophico, existimans, se plus gloriæ aut lucri capturum, si ad Collegium Aquitanicum, quod sæcularium est, deserta Societate transiret: hoc die sacrilegus apostata erupit è Collegio non sine vulnere inflicto resistenti sibi Professori Theologiæ. Præstò fuerunt discipuli, nec alii defuerunt, qui hominem tuerentur: sed tandem non aliud lucri habuit, quàm ut è Societate ejectus, vitam miseram ageret inglorius. *Sacchin. hist. Soc. lib. 2. p. 4. n. 71.*

Eodem die obierunt.

Oratio 8 horis continuata.

4. In mari Iaponico, anno 1573, P. Consalvus Alvarez, Lusitanus, orandi & stata æris campani tempora observandi studio memorabilis. Contigit: ut in horto, die recreationis, audito signo primo ante prandium, in odeum se reciperet Consalvus conscientiam introspecturus: horæ quadrante elapso, & altero signo vel non dato, vel non audito, cùm cæteri ad triclinium convenissent, & à mensa solitæ animi relaxationi vacâssent; ille omissus seu neglectus, per ipsas octo horas in odeo genibus flexis orationi institit, donec sub tempus cœnæ ibthic reperiretur.

Pro-

Provectior ætate, missus in Iaponiam Visitator, multa tulit, fecitq;; donec in mari, hoc die, haustus naufragio, in litore inventus est mortuus, sed orantis instar genibus humi positis, manibus verò sublatis in cælum.

Orantis situm etiam mortuus tenet.

5. In Civitate regali, anno 1585, P. Iacobus à Costa, Hispanus. In pulpito scholæ, in cathedra Ecclesiæ, in rectione Provinciæ fuit vir tantus: ut inter suæ ætatis primos haberetur. Castiliæ Præses unà cum cæteris proceribus eum invisurus, dicebat: Eamus, visamus unum ex antiquis Ecclesiæ Sanctæ doctoribus. Elapsis à morte annis 30, corpus ejus repertum est incorruptum.

Doctor antiquæ Ecclesiæ.

6. Baroli in Italia, anno 1639, P. Christophorus Corquera, Italus. In Barolitano Collegio per ipsos 46 annos magno præstantissimæ virtutis nomine vixit. Insigni prophetiæ dono videbatur instructus. Inter cætera matronæ uterum ferenti dixit: Velle se proli nomen dari Ignatij: & illa masculum enixa est. Eidem iterum gravidæ, Hunc, inquit, Franciscum vocabimus: respondit prædictioni & hic partus masculus. Tertiò gravida Patrem Christophorum de nomine consuluit: & ille rem silentio dissimulanter involvit; & illa fœminam peperit.

Prophetia donum.

XXII. JULII.

1. MAgnum columen Societati, tempestate multiplici concutiendæ, admovit Providentia Divina quando anno 1567, in ipsis S. Magdalenæ feriis in tyrocinium ejus deduxit Claudium Aquavivam, filium Ducis Atriæ, jam annos 25 natum, literis egregiè excultum, & in Curia Pontificia Pii V, Cubicularii munere fungentem. Stupuit mundus, benedixit S. Pontifex Pius, incrementum amplissimum dedit DEus, ut nobilissimus tyro cresceret in millia, Societatis olim Præpositus Generalis. *Sontvellus in Bibl. Soc.*

Claudius Aquaviva ingressus tyrocinium.

2. De Auxiliis gratiæ celebrata est Quarta concertatio coram Clemente VIII. anno 1602, Propositio, ab adversariis ex Molinæ disp 9. desumpta fuit hæc: *Cùm quis edoctus fuerit, supernaturalem assensum esse ad salutem necessarium viribus naturalibus potest optare ita credere, atq; etiam conari, ex dono & auxilio supernaturali assentiri; deniq; potest petere, ut auxilium illud sibi donetur, & ad illud recipiendum satagere se disponere.* Sed respondit Gregorius de Valentia: inprimis textum non esse integrè citatum; omissa esse, ex quibus vel maximè mens Molinæ elucescere potest; expressè docentis: Omnem illum conatum merè naturalem esse, & omnino insufficientem & non idoneam dispositionem ad obtinendum lumen supernaturale gratiæ Fidei. Deinde ostendit citatis textibus ante Molinam idem docuisse S. Augustinum, atq; concessisse. quòd sine gratia supernaturali possint haberi actus naturales cognitionis, desiderii, & petitionis circa objecta supernaturalia. *Eleuther. hist. de Auxil. lib. 5. c. 7.*

Dispositio ad obtinendum lumen supernaturale gratia fidei non sufficiens.

3. In

Campian9 victima fidei. 3. In Anglia anno 1581 gloriosus Christi pugil; P. Edmundus Campianus, proditus & captus, in vincula & arcem Londinensem conjicitur. Captivis aliis, qui unà ducebantur, præibat Campianus, manibus post terga revinctis, pedibus ventri equi, quo vehebatur, adstrictis, titulo in galero à fronte, & à tergo uncialibus literis affixo: *Campianus Jesuita seditiosus*. Hic honos uni illi habitus est. *Sacchin. hist. Soc. p. 5. lib. 1. n. 227.*

Eodem die obierunt.

Victima fidei. 4. Nangasachi in Iaponia, anno 1633, Thomas Nicofori, Iapon, odio fidei interemptus. Ante & post initam Societatem multum operæ & industriæ contulit ad commoda rei Christianæ. Idcirco primum exilio mulctatus, pòst in Iaponiam redux, flammis addictus, illustri morte claram virtutibus vitam adornavit,

5. Majoricæ, anno 1587, P. Bartholomæus Cochius, Hispanus. Exempli Sanctimoniâ, & dicendi robore magnam frugem fecit. Una illius concione aliquando octo obscenæ mulierculæ conversæ sunt. Incredibili licèt siti arderet, ab hydrope accensa; nunquam tamen vel guttulam ampliùs sumpsit, etiam cùm præesset, aut ad populum diceret, quàm quantum medicus, & Valetudinarij minister jubebant. Aderat morienti Alphonsus Rodriquez, viditq; cælos apertos ad excipiendam à cælitibus P. Bartholomæi animam. *Mortificatio gustûs.*

6. Apud Malabares, in India Orientali, anno 1616, P. Emmanuel Martius, Lusitanus, Multa pro fide scripsit, ac passus est. Præter ærumnosos carceres, bis crudelissimè vapulavit; quater in exilium ejectus est, Sæpiùs à Iognis sacrificulis ad necem quæsitus; sed ab ipsis etiam ethnicis ob Sanctimoniæ opinionem defensus, Totis triginta, & amplius, annis, quibus ibi laboravit, nunquam carnibus aut piscibus usus est; cibo alio tam parcè vitam sustentans, ut perpetuò jejunare diceretur. Virgineum corpusculum suum tam inclementer habuit: ut nunquam lecto sit usus, vestes nunquam ad nocturnam quietem exuerit, etiam cùm febribus æstuaret; quotidie flagris dirè se conciderit. Christianos suos tam diligenter excoluit; ut multi Novitijs Societatis similes viderentur, *Iejunium perpetuum.*

7. Ulyssipone in Lusitania, cùm dira pestis, vulgò *Magna* dicta, anno 1569, urbem populosissimam depopularetur, ingens incessit Socios ardor prosiliendi in apertissimum discrimen ad opem miseris ferendam. Ipse Provincialis Leo Henricius chorum ducere ardebat, fecissetq; omnino, nisi graviorum Patrum precibus & authoritate inhibitus fuisset. Primus in eo Sancto opere hoc die occubuit P. Alphonsus Ægidius, vir religiosissimus: quem secuti sunt tredecim alij, non degeneres ab Apostolico instituto suo. Supra dena enim infirmorum millia curæ suæ habuerunt commissa.

XXIII. JULII.

1. Antequam Controversia de Auxiliis Gratiæ devolveretur ad ipsum Pontificem summum, Clementem VIII; ex ejusdem dispositione commissa est Cardinali Madrutio: ut si fieri posset, partes componeret, Post varias adversariorum tergiversationes, recusantium, Prædeterminationem

nem physicam subjici examini, seu concertationi publicæ, prout disertè testatus est Cardinalis Asculanus illorum Patronus; concinnarunt ipsimet ex doctrina Societatis Propositiones duas de efficacia Gratiæ, ad quas disertè responderent Theologi Societatis. Acceptas hujusmodi Propositiones Card. Madrutius hoc die misit ad Card. Bellarminum, expendendas & communicandas Societatis Theologis. Responderunt isti sine mora, dilucidè & nervosè exponendo doctrinam Societatis in ea materia. Scriptum hoc obtulit Card. Madrutius PP. Dominicanis expendendum: qui super illo Observationes 27 conflarunt, & Cardinali porrexerunt. Theologi Societatis confestim prædictas Observationes totidem Notationibus diluerunt: insuper ex ipsis octo collegerunt Propositiones, in quibus ambo ordines dissentiunt, postularuntque eas discuti disputando. Sed adversarij, ne extraherentur ad defendendas Prædeterminationes, maluerunt reverti ad privatam Molinæ causam, vires omnes in condemnationes Libri ipsius convertendo; ut non directè, sed per latera Molinæ configerent Societatem. *Eleuth. hist. de Auxil. lib. 3. cap. 12. & 13.*

Doctrina de efficacia gratiæ.

2. Devolutâ deinde Controversiâ prædicta ad ipsum Clementem Pontificem, habita est coram eodem anno 1602. hoc die Concertatio Quinta, super hac Molinæ propositione: *Ante receptionem Gratiæ, in ipsa gratiæ receptione, & postea in augmento illius, suum locum DEus arbitrio libero reliquit, ut ei propria industria & laus servaretur.* Respondit Gregorius de Valentia: eam propositionem, si accipiatur integrè, prout extat in libro Molinæ, non modò consentaneam esse doctrinæ S. Augustini, sed omnino certam esse ex fide. Ita enim loquitur Molina disp. 9. *Ante receptionem gratiæ, & in ipsa gratiæ receptione, & postea in augmento illius, suum locum DEus libero arbitrio relinquit: quatenus ita ipse auctor esset omnium bonorum, omniaque ei accepta referrentur: ut nihilominus libero arbitrio propria industria, & laus servaretur.* Quæ omnia Catholicam esse doctrinam, evicit ex Decretis Concilii Tridentini. *Eleuther. de Auxil. lib. 5. cap. 8.*

Libero arbitrio datur in receptione gratiæ locus.

Eodem die obierunt.

3. In Peruvia, anno 1596, P. Antonius Lopez, Hispanus. Doctrinâ, animarum zelo, sui demissione magnam sanctimoniæ famam sibi comparavit. Qui corpus ejus à morte curârunt, testati sunt, admirabili odore illud fragrâsse. Veneno sublatus dicitur à barbaris, quorum intemperantiam aliaq; scelera insectabatur, ut emendaret.

Victima fidei.

4. Avenione in Gallia, anno 1598, Michaël Sartre, Coadjutor, Gallus. Cùm ruri degeret, œconomiæ curandæ causâ, & à procacibus fœminis non semel tentaretur; in genua procumbebat & formulam votorum religiosorum ardenter recitabat;

Votorum formula contra tentationes.

bat; ajebatq; : id sibi semper præsentissimo remedio fuisse. Eam sibi fixerat, servabatq; legem: ut si inopinatus quispiam eventus illi tempus Meditationis vel Examinis eripuisset; nihil omnino cibi admitteret; nisi priùs orandi & se examinandi tempus accuratè explêsset.

Meditationis & Examinis cura severa.

5. Eboræ in Lusitania cùm anno 1580 dira contagio ingentem civium stragem edidisset, absumptis etiam è Nostris quatuor in pretioso charitatis obsequio: recruduit eadem anno 1585, & quinq; alios in eodem sancto opere, extinxit, si tamen extincti sunt, quos lux æterna pleno jubare excepit. Hoc die P. Antonius Sequeira donatus est immortalitate. Eodem die in eodem obsequio, anno 1599, gloriosè decesserunt Compluti in Hispania Petrus Lozanus & Didacus Garces, quos secuti sunt alij 5 Socij.

XXIV. JULII.

Litera ducis Bavariæ ad Clementem VIII pro Societate.

1. GUilielmus Bavariæ dux, anno 1601. egregiam dedit Epistolam ad Clementem VIII. pro Societate & ejus doctrina; Commotus rumore, quem latè sparserunt adversarii, de jam jam condemnando libro Molinæ à Pontifice. Exponit 1. Academias Catholicas ferè omnes, præsertim in partibus Septemtrionalibus, stare pro doctrina Societatis, diu multùm probata atque utili Ecclesiæ. 2. Quantopere Societas laborârit, & laboret pro Sede Apostolica contra hæreticos. 3. Quam lætitiam sint concepturi hæretici ex condemnatione doctrinæ Societatis, qua vel maximè sentiunt & dolent sua everti dogmata. Denique orat; ut insolentiam adversariorum, præjudicantium Apostolicæ Sedi compescat. *Ex Disquisitionibus in historiam de Auxil. Gratiæ, parte 2. cap. 12.*

2. In Japoniam anno 1579. feliciter pervenit, ac opportunè, P. Valignanus Visitator, cum Sociis duobus; tanquam gubernator divinâ submissus Providentiâ, qui in tempestate, quæ Bungensem Ecclesiam gravissimè jactabat, clavum teneret. Jam cum ipso, & aliquot indigenis mox receptis, Socii in Japonia 65 censebantur; Christiani ad centum millia, in fide fortes, quamvis innumeris periculis & persecutionibus expositi. Numerum ipsorum sub idem tempus auxerunt duo latrones, ipsis in crucibus baptizati. Adeò latronibus favet crux, eique confine est cælum, per quam & partum est; inquit Sacchinus *hist. Soc. p. 4. lib. 7. n. 344.*

Latrones duo in cruce baptizati.

3. In Belgio Antverpiæ anno 1635. Reliquiis & ope S. Ignatii repente sanata est puella, Maria Bonnieria, hydrope & compluribus aliis gravissimis morbis, per annos aliquot toleratis ad extrema deducta. Incidit tandem ejus Confessario cogitatio: ut afflictam excitaret, quatenus S. Ignatio impensius se commendaret; in quem finem ei quasdam Sancti ejusdem Reliquias tradidit. Apprehendit consilium ægra, & injectis collo Reliquiis, subla-

S. Ignatii ope infirma sanata.

ſublatis in cælum oculis, ſic oravit: Domine DEus, quatuor jam annos voluntati tuæ morem gero; te per S. Ignatii merita ſupplex oro, mihi quoque ut ſemel morem geras. Sana ægrotantem; & ſpondeo, me vitæ reliquum tuo cultui daturam. Te Sancte Pater, cujus effigies ſola dæmonem toties abegit, ſupplex oro; ut per has tuas reliquias à me hos morbos depellas. Dixerat: & in placidum 5. horarum ſomnum lapſa, quem octiduo non viderat, ubi expergefacta eſt, ſenſit ſe plenè ſanam, veſtes ipſamet induit, & per ſcalas numeroſas ſuis viribus deſcendit ad parentes: qui conſternati, putarunt, animam eſſe filiæ jam defunctæ; ſed de miraculo edocti, hilares cum filia ad Eccleſiam properarunt, DEo & Sancto debitas relaturi gratias. *Bartolus in Vita S. Ignat. lib. 4. n. 20.*

Eodem die obierunt.

3. Compluti anno 1572, P. Petrus de Saavedra, Hiſpanus. Cùm per mortem conjugis ſolutus vinculo matrimoniali, deliberaret de mutando vitæ ſtatu, ſepulchrum S. Didaci acceſſit, ſuppliciter petendo conſilium; audivitq; inprimis ſtrepitum Sacri Corporis, deinde vocem: E majore DEi gloria fore, ſi Societati nomen daret. In Societate ita vixit: ut majorem DEi gloriam ſemper præ oculis habere, ſemperq; in omnibus ſtudioſiſſimè quærere videretur. Cùm primam DEo litâſſet hoſtiam, ſpectandam ſe ei obtulit uxor defuncta, magna luce illuſtris; gratias egit, quòd promiſſi memor, primum ſacrificium pro ipſius ſalute obtuliſſet. *Vocatio ad Soc. miraculoſa.*

4. Mediolani anno 1634, P. Coſmus Alamannus, Italus. Pater ejus primus fuit, qui Societatem Mediolanum appulſam, hoſpitio excepit, eo hoſpitalitatis pretio: ut quinq; ejus filii in Societatem immigrârint. Obediendi & orandi artibus, à DEo putabatur impetrare Coſmus, quidquid peteret. Quàm enim promptè audiebat Superiores, tam promptè audiebatur à DEo. Pro teſſera ſui in DEum affectûs, identidem uſurpabat verba illa: *Laudetur DEus! Benedictus DEus!* *Fratres 5 in Societate.*

5. Novellariæ in Italia, anno 1656, Gerardus Angelinus, Coadjutor, Italus. Inter orandum cæleſtes delicias non ſemel deguſtavit. Cùm aliquando anxius de ſalute ſua toto animo æſtuaret; vocem divinitus audivit: Bono eſſet animo, utpote Electis adſcriptus: neque hæſitaret id agere, quod ſpiritualis Pater præſcriberet. Paucis ante mortem diebus idem feliciſſimum nuncium accepit ab Angelo: ut animo eſſet erecto; avidè ipſum ab Angelis expectari in cælo. *Prædeſtinatio ad gloriam.* *Pater ſpiritualis audiendus.*

XXV. JULII.

1. Pius IV, Pont. Max. aliquantum alienatus, ut dictum 11 Julij, placatum jam & benevolentiſſimum Societati ſe exhibuit anno 1564. Lainium enim Præpoſitum Generalem, jam meliùs valentem, Cardinalis Sabellus accerſivit, retulitque: deliberatum Pontifici omnino eſſe, Seminarii Romani procurationem, quam multi ambiebant, vel Societati invidebant, tradere Patribus: poſtridie ipſum Pontificem id ſignificaturum Lainio. Nec *Pius IV. afficitur Societati*

distulit; valdeque benignum ei se, rectèque de cuncto Ordine sentientem ostendit; addens; in animo sibi esse, domum Professorum, Collegium Romanum, atque Germanicum visere postero die: ut palàm omnibus faceret, cordi sibi esse eam familiam. Quod quidem ob impedimenta occurrentia non præstitit die designato, fecit tamen pridie Calendas Augusti. *Sacchin. hist. Societ. p. 2 lib. 8. n. 16.*

Persecutio in Japonia.

2. In Japonia anno 1587, dira cœpit Christianorum persecutio mota ab Imperatore Taycosama. Exhibuerat ille se nostris, cæterisque Christianis, benevolentissimum, privilegiis etiam rem Christianam firmârat; quæ ipso favente, ita jam invaluerat: ut è sola Societate in Japonia numerarentur Socii centum, & quinque supra triginta, Christianorum autem ducenta millia, & suprà. Imò Imperator ipse P. Provinciali Coellio disertè affirmavit: se quàm primùm mediam partem Japoniæ Christo subacturum. Sed momento tota serenitas in horridam versa est tempestatem. Pridie Patri Coellio familiarissimus, ipsa illa nocte ab Alcuino medico suo in rabiem actus (quòd Christianam fœminam ad illius fœda desideria flectere non potuerit) principem Christianum Justum Ucondonum, bonis omnibus exutum, proscripsit, postera autem die, S. Jacobo Apostolo sacra, Patres omnes intra dies 20 è Japonia exesse jussit. *Widenfeld in Epist. ad P. Oliva Præpos. Gen. data anno 1679.*

duæ Cathedræ collatæ Societati.

3. In Hispania anno 1667. Serenissima Mariana Austriaca, Regina & Gubernatrix Hispaniarum, in Universitate Complutensi Societati contulit, assentiente Universitate, Cathedras duas Theologicas, alteram Primariam, alteram Vespertinam. *Gomez in Elogiis Societ. part. 2. Class. 2.*

Eodem die obierunt.

Perfectio insignis.

4. Belmonti in Hispania, anno 1580, magnus DEI Servus, P. Balthasar Alvarez, Hispanus. S. Theresia non solùm inter sacrificandum cælesti splendore circumfusum vidit; sed etiam divinitus intellexit, inter eos, qui tunc vivebant, neminem illo esse perfectiorem. Singulari pollebat arte, pœnitentes suos, præsertim Societatis tyrones, ducendi ad insignem perfectionem. In domo Lauretana DEipara V. singularem erga sponsum suum S. Josephum pietatem ei commendavit. Morienti adfuêre, S. P. Ignatius & Angeli lectulo circumfusi.

S. Iosephum commendat B. V.

Victima charitatis.

5. Pragæ in Bohemia, anno 1649, P. Martinus Benedictus, Moravus. Quidquid illi dabatur in mandatis; securus erat superior, id ab eo accuratissimè perficiendum. In heroica charitatis palæstra egregiè versatus, serviendo pestiferis; cùm semel superstes evasisset: iteratò postea caput devovit, & prostratus coronatus est.

Mortificatio rigida.

6. Częstochoviæ in Polonia, anno 1657, P. Guilielmus Rose, Gallus, Ludovicæ Reginæ Poloniæ Confessarius. Suavis erga alios, durissimus erat in se ipsum. Lectulus

illi erant nudi asseres, cervical liber unus & alter, humile scamnum & sedes & mensa. Toto anno, Dominicis fere tantùm exceptis, jejunabat. Cùm catenam cuspidatam supremùm æger in lateribus gestare jam non posset, morbo & majorum imperio prohibitus: gestabat illam è collo; tanquam captivum DEiparæ mancipium, ut ajebat. In morbo quodam comparens ei S. Nicolaus Episcopus, monuit: ut suam opem imploraret. Idem Sanctus exhibuit P. Guilielmo varias schedas, singulas his vocibus inscriptas; *Polonia vestabitur at orandum*. In ultima hoc legebatur: *Polonia restituetur in integrum; at orandum*. Divinum id fuisse oraculum, docuit eventus. Obiit religiosissimus Aulicus die & hora prævisis; ante & post mortem prodigiosis quibusdam gratiis clarus.

Mancipium Marianum.

Polonia vastatio & restitutio per Orationem.

XXVI. JULII.

1. EX Lusitania Ulyssipone literas dedit S. Xaverius ad S. P. Ignatium, quibus eum certiorem reddit de eximio Regis, Episcoporum, & populi erga Societatem amore: & cùm viderentur ibi excitandæ domus pro Convictu Studiosorum, imò & pro aggregandis in Societatem tam in Lusitania, quàm in India; humillimè petit, à S. Patre informari, & prolixè præscribi modum vivendi in illis: *quandoquidem*, inquit, *clarè perspicis exiguitatem nostri talenti. Ex epist. Veterum lib. 5. ep. 3.*

Literæ S. Xaverii ad S. Ignatium.

2. In Urbe anno 1604 habita est Congregatio & disputatio 32 coram Clemente VIII. Propositum fuit: Cùm in via Molinæ liberum arbitrium & Gratia sint duæ causæ partiales &c. quænam ex istis duabus causis in nostra justificatione præponderet? Respondit P. Joannes Bapt. Bastida; Molinam disertè constanterque docere: non liberum arbitrium, sed gratiam divinam in negotio Justificationis esse causam principalem: quod latè exposuit & propugnavit. *Eleuther. in hist. de Auxil. lib. 5. cap. 41.*

Gratia causa principalis in justificatione.

3. S. Xaverius Potamiensis sanat infantem, tam gravi apostemate afflictum; ut quidquid sugeret lactis, per illud efflueret. Voto à matre ad Sanctum concepto sub noctem, sequenti die sanissimus apparuit parvulus, ne vestigio apostematis relicto. *Ex lib. miracul. Potamien. num. 43.*

S. Xaverius sanat apostema.

4. Eodem die ibidem, anno 1652, Augustinus Velloni, civis Sorianensis, votum suum reddidit S. Apostolo, liberatus ab illo quadrimestri acerrimo viscerum dolore, à medicis incurabili. *Ibid. num. 221.*

Viscerum dolores.

Eodem die obierunt.

5. Calissii in Polonia, anno 1618. P. Martinus Smigletius, Polonus. Pii sermonis in familiari congressu miscendi, & elisum restituendi, egregius artifex fuit. Contra hæreticos quà calamo, quà lingua disputatrice, potenter insurgebat, multasque collegit palmas, etiam cælo teste. Cùm enim Vilnæ cum quodam Calvini asseclа publicè disceptâsset de fide, & sine dubio victor abiisset ex arena: juvenis quidam ejusdem farinæ, aulicus regius impudenter sparsit in vulgus, ut solent hæretici; P. Martinum omnino succubuisse; nec dubitavit mendacium suum perjurio firmare, dirasque sibi imprecari,

Colloquia spiritualia.

Victoria de hæretico divinitus vindicata.

si falleret. Audivit DEus vindex, subitâque anginâ fauces impostori ita constrinxit, ut ferè animam eliderct. Adjutus tamen à circumstantibus, ut liberum à malo se vidit; eandem repetiit cantilenam, sed infeliciore eventu. Iterum enim & arctiùs constrictis faucibus & gutture, horribiliter strangulatus interiit.

6. Pragæ in Bohemia anno 1646 P. Gaspar Tausch, Prutenus, vir ab omnibus habitus pro Sancto. Spiritum ejus produnt pijssima Opuscula edita, de Fontibus Salvatoris, de Matre dolorosa, & Christi Sapientia, seu Profundissima Humilitate. Obedientiæ perfectionem testata est potio medica, quam æger hausit. Quàmvis enim naturali horrore ita aversaretur medicinam omnem; ut, cùm integris adhuc esset viribus, videretque vasculum, quo alteri ægro propinandum erat catapotium, mox omnibus viribus animoque fuerit destitutus: nihilominus ubi ipsimet infirmo oblatus fuit calix hujusmodi hauriendus: Obediendum est, inquiebat: hausitque incunctanter, sed non impetu uno, verùm sorbillando, ut repetita victoriâ sese pervinceret. *Soutvell. in bibl. Soc.*

Obedientia fortis.

7. Monasterii in Westphalia anno 1632, victoriosa charitate inter funera peste afflatorum occubuit P. Theodorus Schnabelius, Germanus: quem eodem anno, aliis diebus, comitati sunt alii quatuor in Germania.

XXVII. JULII.

S. Xaverio proficiscenti in Indiam dantur diplomata.

1. PRoficiscentem in Indiam S. Xaverium anno 1541, 7. Aprilis, Joannes Rex Lusitanus quadruplici instruxit Diplomate Pontificis, quibus Nuncius Apostolicus constituebatur, ut contra quosvis adversantes muniretur, concessa amplissima potestate ad conservandam in India & propagandam Fidem Christianam & Religionem Catholicam. Omnia scripta & subscripta erant anno præterito diebus variis, Primum hoc die. *Bartolus in Vita lib. 1. num. 13.*

decretum de Beatificatione S. Ignatii.

2. Anno 1609, Paulus V. Pont. Max. decretum edidit de Beatificatione S. P. Ignatii, cum facultate dicendi de eodem Missam & Officium. *Nadasi in Indice Memoriali.*

Eodem die obierunt.

3. Cracoviæ in Polonia, anno 1597, P. Jacobus Wujecus, Polonus. Literis Latinis, Græcis & Hebraicis egregiè excultus, datus est volente Stephano Rege, Sigismundo Batoreo Transylvaniæ Principi Instructor in literis ac pietate. Deinde gubernationi Collegiorum, domus Professæ Cracoviensis, & totius Provinciæ admotus, & satis distractus: à munere tamen concionandi, & hæreticos insectandi & dictis & Scriptis compluribus, nunquam cessavit. Biblia universa juxta vulgarem editionem, mandante Gregorio XIII, approbante Clemente VIII, in Polonicum idioma transtulit; Vir eximiis animi dotibus, singulari doctrina, suavissima humanitate, ad animarum quæstum faciendum semper attentissimus. Dextra illius manus, quâ pro fide orthodoxa scribendo laboravit, aliquot à morte annis, consumpto reliquo corpore, inventa est incorrupta.

Biblia Polonica.

Dextera incorrupta.

4. Ultrajecti in Belgio, anno 1612, P. Guilielmus Leonius, Belga. In Hollandica

Missione annos 22, pari labore, periculo & fructu laboravit, etiam turbatissimis temporibus feliciter piscari solitus. Orationis studio potissimum laboribus suis conciliabat efficaciam & proventum, visus aliquando cœlesti luce circumfusus; qua illustratus etiam intima cordium subinde cognovit & aperuit.

Labores juvat di Oratione.

5. Romæ, anno 1637, P. Joannes Gerardi, Anglus è prima nobilitate, aliàs Thomsonus dictus. Exercitus 18 annorum fructuosissimis laboribus, inter continua capitis discrimina, carceribus ærumnosissimis maceratus, equuleo aliquoties immaniter tortus, non solùm tormentis non cessit; sed spontaneas in carceribus & inter tormenta adjiciebat mortificationes, jejunia, cilicia, & quotidianas flagellationes. Usus tandem opportunitate, in libertatem se asseruit: verùm ut pateret, non mortis metu, sed labores protrahendi studio, è carcere ipsum evasisse: Londinum post paucos dies rediit, repetiitque labores suos; donec acerrima in caput ejus facta inquisitione, & pœnis rebellium propositis iis, qui eum hospitio recepissent, post quæsita aliquamdiu in sylvis latibula, coactus est cedere in Belgium; inde Romam, denique in cælum translatus.

Tormenta mortificatione voluntaria aucta.

XXVIII. JULII.

1. PIus IV anno 1564, in frequenti Cardinalium Conventu retulit de Seminario Romano, si videretur, Societatis gubernationi tradendo: cùmque omnes, nemine dissentiente, annuissent; Societati commissum est. Sed inde nova nec lenis orta est tempestas ab æmulis, scripti & sparsi libelli famosi in Societatem: ut vel munere commisso privaretur, vel saltem eo indigna videretur. Res eò evasit, ut Pontifex criminationes adversariorum committeret Congregationi Cardinalium examinandas. Instituta cognitio, nec audito, nec monito, nec sciente Præposito Generali Lainio; vel altero quopiam è Societate. Nihilominus DEO pro servis suis stante, non solùm absoluta est Societas, sed eximiis encomiis ornata à Judicibus. *Sacchin. hist. Soc. p. 2. lib. 8 à n. 20.*

Libelli famosi in Societatem.

2. Anno 1568, Abulæ in Hisp. S Theresia epistolam dedit ad Christophorum Rodriquez de Moya, cupientem Virginibus discalceatis claustrum erigere, in quo degerent filiæ ipsius, dummodò possent esse sub directione Societatis. Scribit ergo ei S. Mater: Homines Societatis JESU sunt mei Patres, quibus post DEum debet anima mea bonum omne, si quod habet. Filiabus tuis afficior ex eo, quòd intelligam eas cum Patribus istis agere solitas: nec enim quævis, licèt spirituales sint, illicò conveniunt nostro Instituto, nisi quibus illi à confessionibus sunt, quales sunt propemodum omnes Monasteriorum nostrorum alumnæ. Equidem gratias ago DEO, quòd eorum, qui me genuêre, Patrum Spiritus mea in cœnobia ab eisdem sit transfusus. Itaque Rndm9. Generalis noster, nuper hac transiens, ita præcepit

S. Theresiæ affectus erga Societatem.

cepit: ut Patres Societatis Exhortationes haberent ad nostras &c. *Gomez in Elog. part. 1. & Lancic. Tomo 2. Opusc. 17. c. 3.*

S. Philippus Nerius voluit admitti ad Societatem.

3. Anno 1636, A. R. P. N. Mutius Vitellescus scripto testatus est: se ab ipsomet S. Philippo Nerio non semel audivisse: quòd ipse ante fundatam Congregationem Oratorii, petierit à S. Ignatio admitti ad Societatem; sed hunc certas ob causas recusasse. *Lancic. Opusc. cit. num. 197.*

Eodem die obierunt.

Liberalitas in pauperes.

4. Tornaci in Belgio, anno 1556, P. Quintinus Charlartus, Belga, etiam ante initam Societatem Sanctimoniæ opinione celebris. Canonicus cùm esset Tornacensis, domum non semel rediit sine calceis, subinde sine pallio, vel tunica, quibus pauperes egentes texerat. Noctu domos pauperum verecundorum, exemplo S. Nicolai visebat, & liberali manu juvabat. Tam præclara initia maximis incrementis in Societate promovit; ut mereretur à S. P. Ignatio Romano Collegio præfici Rector. Denique heroicæ charitati in obsequio pestiferorum cum duobus Sociis immortuus, cùm esset, supra ipsius & Sociorum tumulum cælestes splendores, vidêre cives.

Victima charitatis.

Abnegatio sui singularis.

5. Villagartiæ in Hispania, anno 1580, P. Franciscus Cordubensis, filius ducis Cardonæ. Celsitudinem generis profunditate humilitatis, & abnegationis sui longè superavit, editis admirandis contemptus sui exemplis. Si à quopiam minoris se fieri adverteret; cum illo agebat frequentiùs & libentiùs. In tertiæ Probationis anno cùm è pago porcellos Villagartiam ageret, ac eorum unum fessum videret, sublatum in humeros domum portavit; ubi haram illis exstruxit, aluitque magnâ diligentiâ.

Novitius Anachoretis veteribus par.

Obedientia cæca.

6. Salmanticæ in Hisp. Joannes Ortunius, Scholasticus, Hispanus. De hoc ajebat ejus in tyrocinio Magister, Balthasar Alvarez: nunquam se in Anachoretarum veterum vitis grandiora iis legisse, quæ in Joanne isto vidisset. Inter obedientiæ cæcæ exempla, & illa edidit: quod jussus expectare, sub dio perstiterit cælo asperrimo & nive cadente, perstiturus tota nocte, nisi repertus tandem & avocatus fuisset. Jussus certæ hortuli parti tres situlas aquæ quotidie aspergere; id præstitit constanter etiam iis diebus, quibus copiosus imber cadebat.

XXIX. JULII.

Accessus in Sinas non datur.

1. LEgatus Sebastiani regis Lusitaniæ ad Imperatorem Sinarum, tres è Societate secum ducens, pro aperiendo aditu Evangelio in illud imperium, anno 1563, Amacaum feliciter appulit: quæ peninsula Provinciæ adjacet Cantoniensi, & nunc insigne emporium est Lusitanorum. Ubi Gubernatori Cantoniensi intimavit Legatus Lusitanus, petere se accessum ad regiam nomine Regis sui, & munera deferre Imperatori: suspecta res visa est Sinensibus. Missus ergo Amacaum Mandarinus, qui omnia exploraret ac referret, cùm inter alia vidisset, quàm frequentes in æde sacra cultui divino adessent Lusitani, & quàm Patrum observantes; dixisse fertur: Fieri non posse ut gens, quæ tantam DEI venerationem haberet, veritatem & æqui-

æquitatem non colere. Nihil eo anno per Legationem iſtam promotum, Sinis ſuſpicioſiſſimis omnia ſuſpecta habentibus, *Sacchin. p. 2. hiſt. Soc: lib. 7. n. 128.*

2. In Gallia anno 1589, Collegio Burdigalenſi exilium indicitur, nomine regis; quod Patres non regis partes, ſed Fœderatorum principum, quæ pars Catholica dicebatur, ſequi viderentur. Reſponſum eſt: Ex urbe egreſſuros ſe obedienter, eo lætos, quòd noxæ nullius comperti eſſent; non enim ſibi noxæ eſſe poſſe, quòd parti Catholicæ adhærerent, cum nulla regis injuria. Inter multas complorantium civium lacrymas exceſſerunt, ſolis, qui non deerant, tripudiantibus hæreticis. Sixtus V. Pontifex emigrationem laudavit; quòd Patres majorem Religionis, quàm bonorum temporalium rationem habuerint; DEus cum tentatione proventum dedit; ſiquidem & Burdigalæ honorificentiùs poſtea reſtituti ſunt Socii, & in Civitatibus aliis duabus, Auſci & Petrocorii, quæ exules receperant, erecta ſunt Collegia. *Sacchin. hiſt. Soc. p. 5. lib. 9. n. 139. &c.* *Exilium fructuoſum.*

3. Romæ anno 1644 obiit Urbanus VIII Pont. Max: erga Societatem perquam benevolus. Inter cætera animi propenſi monumenta dedit illud (cùm adhuc ſub nomine Maphæi Barberini, Legatum Pontificium ageret ad regem Galliæ Henricum IV) quòd, cùm vidiſſet adhuc ſtantem ante Palatium Senatorium infamem columnam, in dedecus Societatis ab hæreticis & de fide ſuſpectis Senatoribus erectam, tam fortiter conſtanterq; cauſam Societatis egerit; ut rex eam everti ac dirui curaverit. *Imago 1 Sæc: Soc. lib. 5. cap. 9.* *Columna infamis Societati diruitur.*

Eodem die obierunt.

4. Toleti in Hiſpania, anno 1586, P. Joannes Manuel, Hiſpanus, inſignis in pauperes & infirmos charitatis. Cùm domui Toletanæ præeſſet, atq; tres ſolùm panes domi haberet; juſſit, unum ex illis pauperi petenti dari; ſed paulò poſt, antequam ad triclinium irent domeſtici, adfuit adoleſcens ignotus cum pluribus panibus, quos offerebat, nec prodere voluit, unde vel à quo veniret. Valetudinarios & infirmos, petebat ad ſe mitti P. Joannes, aſſerens: per hoc opus charitatis, & orationes eorum, benedictionem cæleſtem deſcenſuram in domum totam. Mortui gloria dicitur cuidam divinitus manifeſtata. *Liberalitas in pauperes.* *Infirmorum cura utilis.*

5. Limæ in America Peruana, anno 1611, P. Balthaſar Pinna, Hiſpanus, innocentiâ vitæ, & prædicandi dono eximius. Vox ejus vox erat virtutis, non ſolùm ex ore ſonantis, ſed maximè in moribus relucentis. Unde paſſim alter Bernardinus, Vincentius, Ferrerius, imò Paulus dicebatur. Nec homines tantùm habebat ſui obſervantes, verùm & aviculas, quæ ſubinde ad ipſum advolitabant, & ſui ſecuræ, humeris aut manui inſidebant. Fructus, quem in animabus faciebat, permovit quendam; ut pro P. Balthaſare, deſperanter ægro, caput ſuum devoveret DEo. Auditus eſt: convaluit Pater; morbus ad illum tranſiit. *Charitas erga ægrum concionatorem.*

6. Bar-

Christi patientis imitatio.

6. Barroduci, anno 1632, P. Claudius Viola, Gallus. Certa Parisiensis Episcopatus spe posthabita, elegit abjectus esse in domo DEI. In se ipsum prope crudelis fuit. Abdens se in cubiculum, sumebat arundinem in manum, capiti impositâ coronâ spineâ: tum se chordis, mox virgis, deinde aculeis ferreis tam dirè cædebat; ut parietes sanguine largè aspergerentur; scilicet ad refundendum quodammodo Salvatori sanguinem pro se effusum. In arcano enim libello suo sæpe notaverat hæc tria: *IESVS*, *MARIA*, *Sanguis*. Peste infectis cùm serviret, ejectum à quodam ægro per vomitum, viaticum sacrum, intrepidus hausit.

XXX. JULII.

S. Ignatio proximus morti petit benedictionem & indulgentiam.

1. ROmæ S. Pater noster, advertens imminere tabernaculi sui resolutionem, P. Polancum misit ad summum Pontificem, Paulum IV: ut sibi, & cuidam Sociorum, (Olavius is erat) propediem migraturis, benedictionem, & indulgentiam impetraret. *Orland. hist. Soc. p. 1. lib. 16. n. 96.*

Infans loquitur.

2. Calari in Sardinia pridie festi S. Ignatii Infans hactenus nondum locutus, disertis verbis pronunciavit. *Crastina die S. Ignatii solemnia celebrantur.* Nadasi in Indice Memoriali, ex Escobar & Engelgrave Panthei parte 2.

Imago Crucifixi sanguine manat.

3. Manresæ, anno 1627, Imago Crucifixi lapidea, quæ antè prope viam ducentem Barcinonem, steterat, nescio quo casu dejecta, à Thoma Fadreo Canonico in suas ædes deportata, & privatim culta est. Postea altiore instinctu impulsus idem Canonicus, majoris venerationis causâ eam Effigiem transtulit in specum Manresanam, in qua S. Ignatius initio conversionis suæ ad vitam perfectiorem, per annum commoratus est, & librum Exercitiorum spiritualium scripsit. Ad lævam altaris collocavit Imaginem Canonicus, addens fore, ut summis honoribus coleretur à tota vicinia: quod facile pro vaticinio acceptum est, ob notam hominis pietatem singularem. Anno igitur prædicto, dum sacri cantus pridie S. Ignatii in Sacello resonant, & stipant proximum altare, quotquot specum ingredi poterant: ecce tibi primùm ex plaga lateris Crucifixi, deinde ex manibus, capitisque punctionibus tam recens sangvis promanat, ut vivi hominis videretur. Nihil omissum diligentiæ ad deprehendendam ostenti novi causam; sed nihil deprehendi potuit præter miraculum divinum: de quo juridica testimonia deposuere sedecim testes, ex quibus Canonici duo, Doctores medici tres, Jurisperitus unus: & rubent hodieq; vestigia sangvinis, maximè à latere ad pedes deflui. *Bartol. in Vita S. Ign. lib. 1 n. 22.*

Card. Bellarminus ad no-

4. Romæ hic dies anno 1599, felix auspicium dedit liberaliori, & magis publico cultui S. Patriarchæ Ignatii. Cardinalis enim Bellarminus, ut

ut in Sociis ardentiores erga Patrem accenderet affectus, ultro ad ipsos Exhortationem habere constituit; de qua cùm inaudiisset Card. Cæsar Baronius, interesse & ipse voluit. Ostendit luculenter Bellarminus, Ignatio nihil deesse, quominus in Album Sanctorum referatur. Finita exhortatione ad Præpositum Generalem Claudium, & Patres præsentes conversus Card. Baronius, amanter carpsit eorum nimis meticulosam & parcam erga Sanctum Patrem pietatem, quòd sepulchro nec anathemata quædam, nec Effigiem ipsius appendissent. Afferri ergo voluit Iconem, eamq; sine mora conscensis scalis parieti sepulchrali affixit, unaq; hinc inde anathemata, quæ piorum devotio antè obtulerat. Sic aucta populi pietate, & Sancto cælitus respondente piorum votis gratiarum cælestium largitione, processum postea est ad promovendam ejus Beatificationem. *Idem ibid. l. 4. n. 39.*

[Margin: stros dicit exhortationem.]

[Margin: Card. Baronius sepulchro S. Ignatij appendit Iconem & anathemata.]

Eodem die obierunt.

5. Leodii, anno 1656, P. Petrus Halloix, Belga, vir antiquæ simplicitatis, sed eruditi ingenii. Tam rigidus in se ipsum, ut freno opus haberet. Humi ferè tantùm somnum capiebat brevissimum. Dictitabat enim: Vigilare, esse quandam in carne cælestium spirituum, imò ipsius DEI, imitationem. Studia nunquam inchoabat, nisi pronunciato hymno, *Veni Creator Spiritus*: suadebatque id aliis, asseverans; Studia bonum exitum non sortiri, nisi à DEO inchoentur, & ad illum referantur.

[Margin: Somnus brevis]

6. Romæ anno 1541, Marcus Laynez, Coadjutor. Hispanus. Patris Jacobi Laynez frater germanus. Audierat is, Jacobum novum quendam Clericorum Ordinem inivisse: unde animi anxius, ne quam in hæresim se implicaret Jacobus, per tres ipsos annos Symbolum Apostolorum pro illo in sacro quotidie recitabat. Romæ Societatem ingressus, egregium agebat religiosum. Vitâ functus, statim à funere P. Laynio comparuit, jussitque parentes de sua salute securos esse; Secum enim præclarè agi.

[Margin: Charitas fraterna.]

XXXI. JULII.

1. Ater omnino & nefastus dicendus nobis esset hic dies, qui universæ Societati, acerbissimo funere, Magnum Optimumq; sustulit Parentem, anno 1556: sed quia eum intulit cœlo, æterna coronandum gloria & honore, atq; nobis luculentiùs inde prospecturum; fastus jam & festus dici & esse meretur. Obiit Pater Sanctissimus pretiosâ morte justorum, Spiritum suum & cœlo transmittens ad gloriam; & in Constitutionibus suis, præstantissimisq; virtutum exemplis relinquens filiis ad imitationem. Quanto nobis solatio pariter ac honori sit, hunc habere Patrem, disertè indicavit S. Philippus Nerius, quando visis in templo Congregationis suæ duobus è nostris, rogavit: An essent de Societate? annuentibus illis, dixit: *Estu filii Magni Patris!* Illud igitur nobis incumbit: ut non degeneremus à præcelsis

[Margin: Mors S. Ignatij]

ejus cogitationibus & gestis, *Bartol. in Vita S. Ign.*

Translatio corporis S. Ignatij. 2. Eodem die anno 1568 à S. Francisco Borgia, Præposito Generali translatum est Sacrum Corpus S. Patris in aliam veteris templi partem: quòd construendi novi templi Domus Professæ, fundamenta inciderent in Sacellum, ubi tumulatum fuit. Aderat Romæ P. Julius Mancinellus, magnus & miraculosis gratiis honoratus, DEi servus, qui omnino inscius Translationis, pridie quàm ea fieret, sub noctem audire cœpit cælestem musicam mira vocum & symphoniæ suavitate DEum laudantium; tenuitque totam noctem hic cantus, & partem diei sequentis, donec Translatio peracta esset. *Bartol. in Vita S. Ign. lib. 4. n. 39.*

Brachium ambustum sanatur. 3. Neapoli pro festivitate S. Ignatii solemnius celebranda, cujusdam ignes artificiosos præparantis, cùm brachium corripuisset fortuitò incensus pulvis pyrius, ac fœdè ambussisset: mox S. Ignatii beneficio sanitati redditum est. *Lancicius tom. 2. pag. 613.*

Ioan. Berchmans oratio. 4. Die ejusdem festivitatis cum in Urbe Domus Professæ templum, & sepulchrum S. Patris devotè visitasset Angelicus juvenis Joannes Berchmans: in reditu rogatus à Socio, quam præcipuè gratiam flagitasset à S. Patre? Oravi, inquit, in Societate mori nulla unquam regulâ violatâ *Ceparius in Vita pag. 70.*

Approbatio libelli Exercitiorum. 5. Anno 1548 adhuc superstite S. Patre, postulante S. Francisco Borgia tunc adhuc Gandiæ Duce, approbatus rite est à Paulo III. Pont. Max. Libellus Exercitiorum spiritualium à præfato S. Patre conscriptus. *Orland. hist. Soc. part. 1. lib. 8. n. 1.*

Eodem die obierunt.

Gubernandi talentum. 6. Romæ Natalis S. IGNATII Confessoris, Fundatoris Societatis JESU, sanctitate & miraculis clari, & Catholicæ Religionis ubique dilatandæ (prout habet Martyrologium Romanum) studiosissimi. Fundavit Societatem pari labore & gloriâ, allaborante Digito DEI. Unum hoc opus elogiorum omnium Ignatii grande compendium est. Miraculorum ejus innumerabilium, præsertim in juvandis parturientibus, maximum est Ipse, se ipso quotidie melior: quod rarissimum etiam in principibus Sanctorum. Studium dilatandæ Religionis prædicant Asia, magna sui parte sub jugum Christi missa, Africa domita, America exculta, Europa sanctior & doctior. Vitam laboriosissimam pro majore, & majore DEI gloria, gloriosè consummavit in domo Professa Romana, Feria 6ta. anno 1556.

Præpositura Generalis dimissa. 7. Romæ anno 1664, P. Goswinus Nickel, Decimus Præpositus Generalis Post complura Collegia, & inferioris Rheni Provinciam bis felicissimè gubernatam, datus Germaniæ Assistens, adeò virtutem suam, prudentiam & agendi dexteritatem probavit Præposito Generali Francisco Picolomineo: ut in confinio mortis cum constituendo Vica-

Vicarium Generalem, sic de ipso scripserit: *Societatem ei commendo, quem Vicarium nomino, & judico juratus aptissimum.* Summam Societatis Præfecturam ita egit; ut meritò scripserit de ipso Eminentissimus dignitate & doctrinâ Cardinalis Sfortia Pallavicinus: *Eum præclarissimum de se judicium à Societate universa, ab externis Magnatibus, & à Magnatum Maximo reportasse.* Rexit enim *subditis charus, imperantibus probatus, successibus felix.* Novennali regimine totius Societatis lassus & ætate morbisque ingravescentibus, cùm se imparem tot laboribus videret; à convocata Congregatione Generali petiit sibi dari Vicarium. Quo obtento, scilicet P. Joanne Paulo Oliva, triennio supervixit, sanctamque vitam sanctè conclusit.

8. Nangasachi in Japonia, anno 1633, Nicolaus Keyan Jucunanga, Japon, Scholasticus. *Victima fidei.* Triennio literis Latinis imbutus, egregia virtute & gloriosa morte; illas ornavit. Primus, odio fidei, celebre illud Japonicum tormentum expertus est in scrobem à pedibus suspensus, capite deorsum vergente. Sed non defuit illi solatium & auxilium, DEipara Virgine cujus cultui addictissimus erat, identidem ipsum invisente, à suspendiario illo supplicio deponente ad quiescendum aliquantisper, imò & potu frigidæ indulgenter recreante; *Deipara V. reficit sitientem.* donec quarta suspendii die invictum Spiritum traderet DEO.

9. Castilione in Italia anno 1630, P. Petrus Justinellus, Italus. Precibus sterilis matris impetratus, DEoque à teneris oblatus, ad omnem pietatem etiam primordia vitæ composuit. Adolescentulus adhuc Sodalitatem quandam aliorum adolescentum conflavit, illique certas leges præscripsit. Igniculi isti pietatis in flammam ingentem eruperunt in Societate quæ Virum Apostolicum denique ad obsequia peste infectorum abripuit, & mortali vitæ eripuit. *Victima charitatis.*

AUGUSTI I.

1. SAcrum S. Patris corpus, cùm pietati populi tantisper expositum esset, sub noctem tumulatur. Antequam sepulchro inferretur, puella strumis fœdè deformata, post inanem medicorum operam, attactu panniculi, quo usus erat Sanctus, in oculis multorum plenè sanata est. *Bartolus in Vita lib. 4. n. 38.*

2. Idem Sanctus anno 1526 hoc die Complutum venit, studiis literarum operam daturus: sed cùm tunc temporis feriæ scholarum essent, partim excolendæ virtuti propriæ, partim proximorum saluti curandæ se dedit, imò & temporali pauperum inopiæ juvandæ per stipem corrogatam; quamvis ipse non minùs egeret. Degebat in hospitio pauperum; ubi cubiculum hospiti assignatum est, in quo nemo alius subsistere poterat, ob spectrorum infestationem. Hæc cùm prima nocte in dormientem fecissent impetum. Ignatius è strato se proripuit, atq; in genua abjectus, sic infestam Orci turbam affatus est: Si vobis potestatis aliquid in me datum est, *Spectra fugata.* præstò sum, agite, quantum DEus vobis vult licere. Sin autem vobis nul-

la data nocendi facultas, quò tanta vestrûm turba? quò tanti strepitus & terriculamenta? Dixit & spectra in fugam acta, liberum ab eo tempore cubiculum reliquerunt. *Bartolus in Vita lib. 1. n. 32.*

Lapis primus jactus pro templo Romano.

3. Romæ Ludovicus Cardinalis Ludovisius anno 1626 primum jecit lapidem Templi amplissimi, pro Collegio Romano excitandi in honorem & titulum S. Ignatii, *Nadasi in Indice Memoriali.*

S. Franc. Borgia primam hostiam litat.

4. S. Franciscus Borgia primam DEO hostiam litaturus anno 1551, ut etiam hac occasione suam erga S. Ignatium testaretur observantiam, ad paternam ejus domum se contulit Lojolam; & in privato sacrario, quod ejus loci Domini ad id ornârant, hoc die primum obtulit sacrificium, sine cantu musico & alia solemnitate. Alterum verò solemni ritu absolvit Vergaræ, loco fere 6 passuum millibus distante ab Lojolæa domo, coram frequentissima multitudine in campo aperto, quòd concurrentem turbam templum, licèt amplissimum, non caperet. Post sacrificium, novus mysta concionem dixit, magno animorum motu & fusis lacrymis exceptam, quòd non ore tantùm, sed toto se concionaretur. *Orlandinus hist. Soc. p. 1. lib. 11. n. 51. &c.*

Ritus baptismi.

5. Goæ in India anno 1560, fabri murarii 150, circa novum templum laborantes, operâ Patris Diaz, qui fabricæ præerat, baptizati sunt, ex pagis autem duobus à P. Josepho Riberio septuaginta è primoribus virides manu ramos, serta autem in vertice gestantes, inter festum tympanorum fistularumq; pro more, sonum deducti sunt ad Proregem, aptandi sacro Fonti. *Sacchin. hist. Soc. p. 2. lib. 4. num. 254.*

Eodem die obierunt.

6. Romæ anno 1546, P. Petrus Faber, Allobrox, Primus S. Ignatii Socius, & Filius in Christo genitus, Missionibus, & Apostolicis laboribus per Hispaniam, Lusitaniam, Italiam, Germaniam clarissimus. Dum de vitæ statu deliberaret, Exercitiis S. Patris intentus, plures horas sub dio duxit in alta nive, perstititque totos 6 dies in perpetua inedia, absque cibo & potu; donec id vetuit Ignatius. Quâ tam heroica sui victoriâ sensit sibi divinitus abstersam omnem gulæ appetitionem, & scrupulos, quibus appetebatur. Plurimis & difficillimis exantlatis itineribus fidei & animarum causâ, accitus Romam à S. Ignatio, in ipso æstatis æstu, qui viatoribus Urbem ingredientibus fatalis esse solet, obedienter venit, & contracto morbo paulò post obiit. Post mortem personæ famâ sanctitatis conspicuæ in multa gloria apparuit, asserens, se obedientiæ studio mortem oppetiisse; multaque jucundè narravit de gaudio, quo propter id genus mortis frueretur in cælo.

Mortificatio sui.

Obedientia eximia.

7. Ibidem anno 1580, P. Everardus Mercurianus, Belga, Præpositus Generalis Quartus. Mentem S. Ignatii quo ad Institutum Societatis, tam scitè percallebat: ut

Ignatius in ipso redivivus videretur. Gubernavit Societatem sapientissimè annis septem; valebatque plurimùm maturitate dicendi, scribendi, atque idoneos superiores & Concionatores formandi. A germano suo rogatus, ut suorum tenuitatem sublevaret; respondit; sibi non plus facultatum esse, quàm cuivis minimo Coadjutori. *Gubernandi talentum.*

8. Mussiponti anno 1633, P. Joannes Collignon, Gallus, humilitatis & charitatis studio insignis. Impensè studebat latere; ideoque nunquam se supra Grammaticæ institutionem erigi passus est, licet majora posset. Raro charitatis exemplo, undecies servivit peste laborantibus; & in extremo morbo querebatur, quòd domi in lectulo ignavus, non inter pestiferorum turbam, moreretur. *Charitas erga ægros.*

9. Londini in Anglia anno 1679, odio fidei suspensus & laniatus est P. Philippus Evan. *Hazart. in Append. 2. hist. Eccles. Angl.*

10. Vilnæ in Litvania, anno 1689, Ven. P. Thomas de Rupniew Ujeyski, Polonus; ex Episcopo Chyowiensi & Czernihoviensi, Societatis JESU Religiosus: delectus à Divina Providentia, ut novam in vario statu sanctè vivendi ideam exhiberet orbi, exprimeretque in se uno dotes omnes, sive in Aulico Christiano, sive in Senatore Regni, sive in Pontificum Regumque Ministro, sive in Prælato Ecclesiastico, & consummato Religioso desideratas. Dono pacificationis discordantium eximius, Sancti Episcopi titulum & populi & principum communi suffragio obtinuerat: verùm ipse de se non aliter quàm de homuncione nihili, sentiebat semper, ac loquebatur. Societatem igitur sancto & indefesso ambitu appetiit: ut in ea tandem disceret, DEO servire. At consummatam Viri virtutem, vix anno tyrocinii elapso, solemni Votorum quatuor Professione honoravit Joannes Paulus Oliva; & paulò pòst munere Præpositi Domus Professæ Vilnensis P. Carolus de Noyelle, Præpositi Generales. Plura & eximia dat Vita ejusdem à P. Joanne Brictio conscripta. *Episcopus Religiosus.* *Humilitas honorata.*

II. AUGUSTI.

ANno 1589 P. Robertus Personius, magnum illud in tempore turbidissimo Ecclesiæ Anglicanæ columen, Vallisoletum in Hispania venit, ad condendum ibi pro Anglicana Catholica juventute Seminarium. Quæ enim in Galliis extabant Remense & Augense, nec capiebant multos, nec sufficiebant belli tempore alendis. Solicitandam igitur Catholici regis, Philippi pietatem ac liberalitatem putavit Personius: & res cessit è voto. Nam primo statim cùm rege congressu, Seminariis illis Gallicanis opportuna exoravit subsidia: deinde cùm demonstrâsset, quàm opportuna esset exuli Anglicanæ juventuti Hispania, propter sinceritatem fidei,& florentia literarum studia; confestim rex, ut Vallisoleti erigeretur tale Seminarium, annuit, atq; in id Hospitalem domum S. Cosmæ contulit. Sed Sodalitate ejus domûs difficultatem faciente, animum adjecit Personius ad commodiorem domum aliam conducendam, quæ esset Collegio vicinior. Negotium quoq; habuit cum Inquisitore, metuente; ne per eam occasionem hæretici irreperent in Hispaniam sub pallio Catholico. Valuit tamen Perso- *Seminarium Anglicum.*

nii industria ad omnia dissipanda impedimenta, ita: ut eodem anno prope viginti juvenes Angli collecti sint in domum conductam; sequenti verò ad quadraginta numerus ascenderit, rege, proceribus & civibus tam largis in piam illam causam: ut denis aureorum millibus comparari potuerit domus, ac insuper certum vectigal annuum in sustentationem Alumnorum constitui. Administratio & regimen Seminarii Societati commissum. *Sacchin. hist. Soc. lib. 9. n. 192 &c.*

Eodem die obierunt.

Victima Fidei.

2. Ikizuki in Japonia, anno 1590, P. Franciscus Carrion, Hispanus, strenuissimus in vinea Japonica operarius, Expectatam in Regno Bungensi mortem pro fide, reperit tandem Firandi: ubi post egregias de impietate reportatas victorias, permultis Christo aggregatis, infidelium odia incurrit; & veneno ab aliis propinato per triduum cruciatus, gloriosa morte extinctus est.

Deiparæ cultor eximius.

Angelus Religiosus.

3. Tornaci in Belgio, anno 1644, P. Franciscus de la Croix, Belga. DEiparæ V. addictissimus, de illa & sentiebat magnificentissimè, & scribebat suavissimè; ut testatur Hortulus ejus Marianus ferè omnium linguarum typis editus. Provinciæ Præpositus ipsam ad illius pedes deposuit, ut tanquam suam regeret ac protegeret. Noctu à primo somno expergefactus, surgebat, ac cæli Reginam carmine S. Casimiri salutabat. A Mutio Vitellesco Præposito Generali, Angeli cognomentum tulit ob morum compositionem, & relucentem in illis Angelicam quandam innocentiam.

Senum in Societate Decanus.

Senectus rigida.

4. Halæ in Germania, P. Ernestus Mairhofer, Germanus, Sacerdotum omnium in Societate universa, quà rescire licuit, antiquissimus. Vixit sæculum integrum absque biennio; in Societate annos 81, à suscepto Sacerdotio annos 68. Et tamen ætatis privilegio non ad laxandam, sed arctandam disciplinam utebatur, in Quadragesima nihil de rigore jejunii remittens, quot hebdomadis autem feriâ 4ta & Sabbatho jejunio consecratis.

III. AUGUSTI.

S. Xaverij epistola de tuendis Christianis.

1. S. Franciscus Xaverius anno 1544, Manapare in India Epistolam dedit ad P. Franciscum Mansillam, in ora Piscaria laborantem: in qua omnem paternam & maternam exprimit solicitudinem in tuendis Christianis illis ab incursione Badagarum, feræ gentis, & latrociniis assuetæ. Monet ergo; ut, quoniam rumor spargitur de illorum excursione maturè conquirantur omnis generis navigia, in quæ tempestivè se recipiant Christiani, conquiratur à Præfecto Lusitano majus munitumq; navigium, quod minora tueatur, ponantur idoneis locis speculatores non pauci, qui in horas, etiam de nocte nuncient, quid agatur. Addit deinde: sed cùm hæc instantissimè commendaverit, parum ipsis fidas, censeo. Novi ego socordiam & tenacitatem ignavissimam istorum, quos duorum fanorum sumptum (genus est monetæ exiguæ) in tam necessarios vigiles facere, pigeat

geat. Tu ipſe, per te, ac tibi fidos, vigila & cura, jam nunc deductis in mare cymbis, mulieres & parvulos imponi. Utêris etiam occaſione triſtis temporis; ut ad DEum recurrant. Magiſter orandi optimus, metus eſt. Antonium Fernandem (Præfectum Luſitanum) meo nomine adi, & adjura per quam mecum colit amicitiam, ut quantum meâ cauſâ vult, totum conferat in ſalutem miſeræ iſtius plebis. Iterum, & ſuper omnia inculco; effice, ut per noctes ſtent quidam in ſpeculis, multiſq; paſſim locis per totam oram. Sua vos DEus, qui una certa eſt, cuſtodiâ defendat. Vale. *Epiſt. Novarum lib. 2. ep. 12.*

Eodem die obierunt.

2. Granatæ in Hiſpania, anno 1600, P. Petrus de Molina, Hiſpanus. In Miſſione maritima, item in Africa miro zeli religioſi ardore verſatus, non paucos ad Chriſti fidem adduxit Mauros, Judæos, & alios. Granatam redux, ad Xenodochium illico evolavit, ubi ſauciis & gravi lue laborantibus, indefeſſè ſervientem, mors glorioſa oppreſſit. Secuti eum ſunt ſimili munere & exitu P. Marcus Antonius & P. Franciſcus de Cuellar. Omnes hi tres poſt mortem viſi ſunt in ſplendoribus Sanctorum. *Victima charitatis ſplendida*

3. Eboraci in Anglia, anno 1643, P. Brianthus Cansfeldus, Anglus. Poſt multos graveſq; pro re Catholica exantlatos labores, inter ſacrificandum deprehenſus, & ad Judicem in ſacrificali veſte raptus, opprobriis ſatiatus, conjectus eſt in carcerem, ibiq; peſſimis modis habitus eſt. Dimiſſus quidem poſtea eſt, ſed valetudine ærumnis carceris ita attritâ; ut uno ferè pòſt menſe diem poſtremum obierit. *Victima fidei.*

4. Lovanii in Belgio. anno 1621, Martinus Becchaert, Scholaſticus, Belga. Silentii per omne tempus adeò obſervans; ut nullo verbo illud violaſſe ſit auditus. De ſe nunquam bene, de aliis nunquam malè locutus. Prima ſurgentis, & ultima vigilantis occupatio erat, à DEipara V. quam tenerrimè amabat colebatq;, petere benedictionem, tanquam à Matre. Ternas & ſubinde quaternas horas in diem ducebat orando, amabili compoſitione piæ modeſtiæ. Feſto quovis die tribus ſacrificiis intererat, & à ſacra Synaxi percepta, tres horæ quadrantes in reddendis gratiis ponebat. Ajebat, quinq; ſe à DEo poſtulare. 1. Ut moreretur, antequam periculoſis cum proximo congreſſibus involveretur. 2. Ut in Societate JESU. 3. Ut ſibi bene compos. 4. Ut manè ante ſacrificia inchoata. 5. Infra octavam S. P. Ignatii. Omnia obtinuit. *Lingua cuſtodia. Mors ad votũ obtenta.*

IV. AUGUSTI.

1. CElebris eſt hic dies feſto S. Dominici, celeberrimi Ordinis Patriarchæ ac Fundatoris. Quanta inter eum & S. Patriarcham noſtrum Ignatium intercedat neceſſitudo, aperuit DEus Marinæ de Eſcobar, divinis viſionibus illuſtri; quando ei oſtendit Sanctos Dominicum & Ignatium, in gloria cæleſti, aureâ catenâ, utrumq; circumdante, colligatos. *Ludov. de Ponte in Vita Marinæ lib. 2. cap. 21.* Utinam in terris filii Ma- *SS. Dominicus & Ignatius in cælo nectuntur.*

gnorum Patriarcharum simili Charitatis catenâ, indissolubili nodo, connecterentur!

Mors Sebastiani Regis Lusitaniæ.

2. In Africa anno 1578 ingenti clade, in prælio cum Mauris, occubuit Sebastianus, rex Lusitaniæ, juvenis annorum 24, indole planè regia, breve gentis suæ solatium, æternus dolor, etiam Societati nostræ, quam & æstimabat plurimùm, & amabat tenerrimè; utpote à teneris ab ipsa educatus, & instructus literis atq; virtutibus Christiano rege dignis. Fundavit illi in Insulis Collegia duo, in Brasilia tria, in India quatuor; Lusitana, quibus non satis provisum fuit, auctis redditibus firmavit. Dicere solebat: hoc genus hominum planè sui stomachi esse; qui illi detrahebant, impudentiæ mancipia appellabat. *Gomez in elog. Soc.*

Affectus ejus erga Societatem.

Testimonium pro Missionariis Sinensibus

3. Anno 1668 solidum ac illustre testimonium dedit hoc die R. P. Dominicus Sarpetri, seu à S. Petro, Ord. Prædic. de & pro Praxi Missionariorum nostrorum Sinensium, circa Confucium, & Parentes defunctos: quod scilicet PP. Societatis rectè permittant Sinis Christianis quosdam antiquissimos ritus, quibus Sinæ principem Philosophum suum, & Progenitores suos defunctos venerantur. Deinde contra eos, qui in Europa malignè sparserunt, quòd Missionarii nostri Sinenses non prædicent Christum Crucifixum, addit: Fidem facio, quòd Patres Societatis JESU in hoc regno Sinarum, Christum Crucifixum non solùm verbo, sed etiam multorum librorum voluminibus ethnicis annunciant; & de Sacræ Passionis mysteriis suos Neophytos diligenter instruunt; & in aliquibus Residentiis sint ejusdem sacræ Passionis confraternitates erectæ &c. &c. Utrumq; punctum firmat addito juramento. *Ex Apologia edita Lovanii 1700 pro Decreto Alexandri VII. Pontificis.*

Eodem die obierunt.

Victima fidei & charitatis.

4. In Africa, anno 1578, P. Gaspar Mauritius Serpe, Lusitanus. In Africam secutus Sebastianum regem Missionarius Castrensis, prædixit, eam sibi fore fatalem. Profligato exercitu Lusitano, capti Missionarii alii, sed servati, & ære postea redempti. Gaspari parcere noluit Maurus; quòd eum saucio militi aures dantem deprehendisset. Unde eum canem Nazaræum appellans, quid isthic impietatis ageret interrogavit: & simul ipsi acinace caput bifariam fidit.

Victima fidei & charitatis.

5. Pernambuci in Brasilia, anno 1633, simili ex causa, simili exitu vitam clausit P. Antonius Bellavia, Italus. In prælio Lusitanorum contra Batavos hæreticos, licet glande saucius, operam confitenti saucio militi dabat. In hoc opere deprehensus à milite hæretico, aliquot in capite ac guttere acceptis vulneribus, occubuit. Fuit vir tanta modestiæ suavitate amabilis: ut ea, quæ in illius mente atq; carne inerat integerrima Virginitas, è vultu promicaret. Cùm parvulus terram pede crebriùs pulsaret

ret; rogatus à patre, cur id faceret, respondit: Se ad alterum illum mundum, qui infra nos esset, iturum. E scholis cùm rediret, fœminæ aliæ alias invitabant, dicentes: Eamus, videamus parvulum Angelum, filium Bellaviæ. In Brasilia multam messem Ecclesiæ horreis intulit, visus subinde inter sacrificandum à terra sublimis. *Parvulus gratiosus.*

6. Compluti in Hispania, anno 1565, Petrus Gomez, Hispanus, Coadjutor. Tanta accuratione & diligentia, sinè spiritûs tamen detrimento, rem œconomicam procurabat in prædiis; ut redux ad Collegium obvii Patres in ejus amplexum ruerent, tanquam gratissimi & amabilissimi hospitis. Quam charitatis teneritudinem videns vir quidam primæ notæ, animum ad ineundam Societatem adjecit, in qua tam bonum & jucundum est habitare fratres patresq; in unum. *Charitas Exemplaris.*

7. Vilnæ in Litvania anno 1663, P. Michaël Ginkiewicz, Samogita. Pœnitentiarium Romæ ad S. Petrum egit septennio: Collegia in Provincia sua rexit, multa cum laude prudentiæ & charitatis Nesuisiense & Vilnense, Domos quoq; Professas Varsaviensem & Vilnensem. Conciones ad populum habuit tanta zeli Apostolici contentione: ut inter dicendum venam pectoris sibi ruperit. Decessit, eâ de sua Sanctitate relicta opinione: ut Illustrissimus Episcopus Vilnensis cum Prælatis Cathedralibus Pontificali ritu funus deduxerit, atq; à Vice-Rectore extorserit: ut in defuncti cubiculo noctem transigere posset; recubueritq; ad spondam illius in terra. *Soutvellus in bibl. Soc.* *Concionator zelosus.*

V. AUGUSTI.

1. GRegorius XIII Pont. Max. facultatem alienandi bona Domorum & Collegiorum, in evidentem Societatis utilitatem, concessam anno 1576. Præposito Generali per Constit: *Apostolicæ Sedis*, extendit anno 1582: ut ea alienatio, permutatio, imò & censuum redimibilium venditio, fieri possit etiam extrajudicialiter, ac summariè, personis sive Ecclesiasticis, sive sæcularibus: per Constit: *Ex debito pastoralis officii &c.* Ex literis Apost. *Facultas alienandi bona.*

2. Ex Hispania anno 1574 solverant 7 Socii in Americam, qui scholis in Mexicano Collegio apertis, juventutem literis excolerent. Prospera primùm usi navigatione, gravi tempestate excepti sunt hoc die, ad insulam Dominicam, ita; ut omnes ad præsentem mortem se compararent. Sed id præludium tantùm erat mox secuturæ tempestatis & calamitatis, quæ ad insulam Jamaicam illos involvit. Cùm enim adversi inter se concurrerent venti, immensæq; nunc aperirentur voragines, nunc montes aquarum attollerentur; pulsabatur undiq; & lacerabatur navis, jamq; confractis malis, velisq; abreptis, à puppi tanto hiatu aperta est navis, ut marè fluminis instar sese infunderet. Nec melior aliarum ejusdem classis navium erat conditio: tres ante oculos suos pereuntes viderunt; aliæ in incertum dissipatæ. Accessit gravius malum fames, cibariis vel fluctuum vi ablatis, vel marinæ undæ salsedine corruptis; aquâ verò potabili ita pu- *Periculum in mari.*

trefacta; ut cùm ori admoveretur ad potandum, oporteret manu adducta præstruere nares; & hæc ipsa non nisi ex dimenso parcè dabatur. Desæviit tandem post biduum tempestas; eaq; fuit Divini Numinis bonitas ut ex malis omnibus eluctati Socii, salvi omnes pervenerint Mexicum. *Sacchin, hist. Soc. p. 4. lib. 2. n. 133.*

Eodem die obierunt.

Mundi contemptus.

3. Panormi anno 1651 Cæsar Cajetanus, Italus, Novitius. Imagini ejus, Romæ æri incisæ, cum legitima facultate, hæc cernitur subjecta epigraphe: *Cæsar Cajetanus abdicato Cassari principatu, & Sortini Marchionatu, suiq; contemptu clarissimus, ipso ætatis & fortunæ flore, in Societatem IEsu, cui se devoverat, per ineluctabiles obices admissus est. Suspexit in eo vivente Roma positum perfectimis tyrocinium; mortui reliquias collegit Panormus.*

Victima fidei.

4. Apud Hyroquæos in America odio fidei cæsum esse Fratrem Renatum, Novitium Gallum, incerto die scripsit hoc die P. Isaacius Jogues, tormentorum ejus Socius. Causa cædis fuit, quòd visus esset pueri cujusdam frontem cruce signare.

Theologia diu tradita.

5. Compluti in Hisp. anno 1646, P. Gasparus Hurtadus, Hispanus. Post sublimioris literaturæ Cathedras in Academia occupatas, Societatem ingressus, eximio animi candore, & religiosæ perfectionis splendore enituit; etiam in aula regia, nulla mundanæ vanitatis fuligine infectus. Theologiam Scholasticam Murciæ, Madriti & Compluti, magna eruditionis famâ, annos 30 & ampliùs docuit, eamq; Tomis 8 editis illustravit. *Soutvellus in bibl. Soc.*

6. Claudiopoli in Transylvania anno 1586 Adamus Tensier in obsequio pestiferorum fortem animam reddidit Creatori: quem ibidem partim antecesserunt, partim secuti sunt alii 19, qui vel externis, vel domesticis contagiosa lue laborantibus, strenuam impenderunt operam.

VI. AUGUSTI.

Attritio & contritio.

1. ANno 1602 habita est coram Clemente VIII Congregatio & disputatio VI de Auxiliis Gratiæ, super hac Propositione Molinæ, sumpta ex disput: 14 memb. 1, *Negari non potest, complurium esse Scholasticorum sententiam, liberum arbitrium nostrum cum solo concursu generali, elicere posse actum non solùm attritionis naturalem; id est, dolorem de peccatis ex DEI timore, cum proposito ampliùs non peccandi lethaliter: sed etiam actum Contritionis naturalem, qui idem propositum non peccandi ampliùs lethaliter, includat.* Defendit Gregorius de Valentia eam propositionem, copiosè adducendo authores, quos generatim citaverat Molina, scilicet S. Thomam, D. Bonaventuram, Scotum, Cajetanum, Sotum, Gabrielem, Ockamum, Paludanum, Richardum, Victoriam, & plures alios. Quando igitur adversarius de Lemos opposuit; *Assertionem talem Pelagianam esse:* vel ex imperitia, vel ex præcipiti zelo non advertit; quibus, & quantis Doctoribus eam calumniam importaret. *Eleuther. de Auxliis lib. 5. cap. 9.*

Eodem

Eodem die obierunt.

2. Viennæ Auſtriæ, anno 1552 P. Claudius Jajus, Allobrox, unus è decem primis Societatis Patribus, ſapientiâ, modeſtiâ, humilitate, & animarum zelo clariſſimus. Petrus Caniſius illum vocabat Germaniæ Apoſtolum, alii Angelum DEI, alii Patrem Patronumq; Catholicorum dixêre. Conſummata ejus virtus meruit oblatis Epiſcopatibus, Tergeſtino ac Viennenſi honorari, ſed quos ille humiliter fortiterq; detrectavit. Placidum illi, & promptum facundumq; ingenium, atq; ab omni faſtu abhorrens: vultus hilaris, geſtus modeſtus; quibus facilis illi ad aures animoſq; hæreticorum factus eſt aditus.

Prælaturæ contemptus.

3. Saſſari in Sardinia, anno 1608, P. Joannes Sebaſtianus à Campo, Sardus. Beatiſſimam V. incomparabili proſequebatur amore atq; cultu. Sabbatis omnibus ab occaſu ſolis ad ſubſequentis uſq; diei gallicinium, flexis genibus nudoq; capite, etiam rigente hyeme, coram ejus imagine, in Noſocomio, orando perſiſtebat. Tranſigebat jejunio dies Veneris & Sabbati per totum annum: Quadrageſimæ verò tempore nullum aliud obſonium, præter panem & aquam in prandio adhibebat. Captivus à Mauris in Africam ductus, monitus eſt à DEipara, ut cæteris captivis Chriſtianis in fide ſtabiliendis omnem operam impenderet; diciturq; Roſaria plena manu obtuliſſe, quæ P. Joannes inter Chriſtianos diſtribueret.

Sabbati Mariani cultus.

Iejunium rigidum in Quadr.

DEipara V. animarum amans.

4. Hiſpali in Hiſpania, anno 1627, Antonius de Leon, Hiſpanus, Coadjutor, fortiter defenſæ pudicitiæ ſuæ laude inſignis. Cùm procacem fœminam ſolicitantem ſe ad ſcelus, acriter repuliſſet; impatiens illa inſolitæ repulſæ, amaſium quendam ſuum induxit, ut Antonio vel mortis metu extorqueret aſſenſum. Quæſita, & reperta eſt opportunitas id patrandi. Deprehenſus in arcto Antonius, non diu deliberavit, ſed ſine mora procubuit in genua, & cervicem nudavit ad fatalem ictum. Obſtupuit tantam virtutem muliercula, procumq; monuit: ut viro Sancto negotium non faceret. Sic Antonius ſuperſtes & caſtus triumphavit.

Caſtitas fortiter defenſa.

AUGUSTI VII.

1. ROmæ anno 1606 Sacra Congregatio Indicis confixit Volumen quoddam de cenſuris Eccleſiaſticis, ſub nomine Franciſci Suarez typis editum, Venetiis, eodem anno apud Joannem Antonium &c. Scripſit quidem P. Suarez Volumen *de Cenſuris*, & aliud *de Immunitate Eccleſiaſtica*, occaſione Controverſiarum tunc ferventium inter Sedem Apoſtolicam & Remp. Venetam; quod Author Paulo V. Pont. Max. obtulit, & Pontifex per Breve ſignificavit, ſibi pergratum eſſe, extatq; hodie exemplum M. S. in Bibliotheca Barberina: Sed quiſpiam adverſæ partis, ut cauſæ ſuæ authoritatem conciliaret à tanti nominis Doctore, Venetiis imprimi curavit, Tomum Suarezii *de Cenſuris*, antea impreſſum Moguntiæ, appoſuitque, quod in rem Venetam facere poſſet; ac ſuſtulit, quod incommodare videbatur. Hujus igitur editionis Exemplaria prohibuit S. Congregatio, donec reſtituerentur folia & loca, quæ adempta erant, *Maſſejus in Vita Sua-*

Liber confixus ſub nomine Franciſci Suarez editus.

rezii, cap. 12. & *Soutvellus in Bibl. Soc.*

Carcer Omuranus.

2. In Japonia anno 1619 P. Carolus Spinola & alii pro Christo captivi, compacti sunt in novum, eumq; ærumnosissimum, carcerem Omuræ. Non ex muro, vel lignis bene inter se commissis, sed ex palis erectis, quorum alter ab altero duobus distabat digitis, confectus fuit, ut captivi æstu, frigore, ventis & imbribus continuò macerarentur. Latitudo hujus ergastuli erant palmi 16, longitudo 24: unde tantis arctabantur angustiis captivi; ut ex octo supra viginti quisq; vix duorum palmorum & trientis spatium occuparet; quanquam nec hoc concessum fuit, quando numerus captivorum auctus est ad tres supra triginta. Nec pro somno se extendere licebat; nec quisquam agere poterat quidquam, etiam in necessariis naturæ, nisi testibus omnibus. Cibus dabatur tam parcus, ut ægrè mortem, famem nullatenus arceret. In hujus ergastuli conspectum ubi 7 Augusti venerunt Christi Confessores: in carmen Davidicum eruperunt: *Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi: in domum Domini ibimus!* Addidit P. Carolus: *Hæc requies mea in sæculum sæculi: hìc habitabo, quoniam elegi eam.* Toleravit has ærumnas annis circiter quatuor, uno vel maximè illo solatio se sustentans, quòd quotidie in ipso carcere sacrificare posset; nec dissimulare potuit, quin literis ad P. Vieram datis testaretur; carcerem illum eam ob causam sibi Paradisum videri. *Ambrosius Spinola in Vita cap.* 14.

Eodem die obierunt.

Mortificatio pro obstinatis.

3. Tolosæ in Gallia, anno 1598, P. Sabastianus Molinæus, Belga, mirus tractandorum animorum artifex. Dicitur vix ullum tam pervicax fuisse ingenium; quod ille aggressus, non molliverit tandem, atq; in sua vota flexerit. Ita se coram DEo, & coram eo, cum quo tractabat, in omnes partes artesq; versabat. Potissimùm autem voci suæ dabat vocem virtutis per acrem sui castigationem pro pœnitentibus suis, aut aliis obstinatis susceptam. Pro quadam obstinatiore cervice subigenda mille acerrimos ictus sibi inflixit: & cessit illa tandem.

Procurator eximius.

4. Madriti in Hisp. anno 1662, P. Didacus de Castillo, Hispanus, Procuratorum Societatis accuratissima Idea, Procuratoris officium per ipsos 35 annos ita tractavit: ut non solùm religiosum non exuerit; sed in turba curarum œconomicarum egregiè perfecerit, præsertim orandi, & se acriter afflictandi studio, propter quod tyrannus sui dicebatur. Per annos 44, quibus in Societate vixit, nunquam lectulum vel culcitram admisit sanus; nec vino unquam usus est, nisi æger, idque medici jussu. Tam accuratè omnes officii sui partes obibat; ut nunquam vel ad obolum exerrasse sit notatus; tantaque fide cum creditoribus suis agebat: ut sine ulla chirographi obligatione promptos reperiret, qui ei mutuum darent. Silentibus tribunalibus adeò scitè se ad sanctum solitudinis silentium componebat: ut Anachoretæ nomen invenerit.

5. Bur-

5. Burdigalæ in Gallia, anno 1571, P. Carolus Sanguinot, Gallus. Cùm ei in aula Ducis Lotharingiæ florentissima fortuna arrideret, jamq; cum sponsa se digna nuptias celebraret: exemplo S. Alexii, ipsa nuptiarum nocte illam reliquit, atque in Societatem se recepit: ubi tantis initijs pares, in virtute, progressus fecit; liquidissimis cœli gaudiis in morte, quam ante annum prædixerat, perfusus. *Alexius novus*

6. Messanæ in Sicilia, anno 1551, Joannes Antonius, Novitius, Italus. Omnium virtutum, sed maximè obedientiæ studio addictus; cùm in supremo morbo rogaretur: Quid sibi à DEo impetrari à præsentium fratrum corona percuperet? Respondit: Ut ejus de me voluntas usquequaq; fiat. Quoties petebatur, quid sibi fieri vellet? Non aliud, inquiebat, quàm quod Obedientiæ placuisset. Interroganti, quid ipsi in eo articulo maximo solatio esset? Obedientia; respondit. In qua virtute vellet vel maximè profecisse? In Obedientia, dixit. Jussus explicare fratri cuidam, in quo ipsum cuperet excellere? In Obedientia, reposuit: Quando vellet vitam finire interrogatus, dixit. Cùm primùm venia data fuerit. Idem cùm quæreret Tyronum Magister, P. Cornelius Vishavæus; respondit Joannes: Cùm tu, Pater, veniam dederis. Veniam se dare, subjunxit Cornelius, pro prima vel altera hora diei: & Joannes, verus Obedientiæ filius, altera diei horâ expiravit. Ante mortem quò acriùs infestatus est à dæmone: eò gloriosiores locutus Vir obediens victorias, Videri potest Orlandinus hist. Soc: p. 1. lib. 11 n. 19. *Obedientia studiù admirandum.*

VIII. AUGUSTI.

1. ANno 1560 suscepta est à Societate Missio in Cyprum, præmisso P. Emmanuele de Monte majore Lusitano, unà cum Socio Clemente; Navim conscenderunt Venetiis sine ullo ad navigationem apparatu, DEi penu & arcâ freti: qui famulis suis ita non defuit, ut etiam abundarent, & in egentes possent esse liberales. In Cypro confusio quædam erat Religionum. Nobiles viri pleriq; ritum observabant Latinum, fœminæ Græcum, Maronitæ suum, suos quoq; Jacobitæ, Cophti, Armeni sub Episcopis suis. In eadem familia, & intra parietes eosdem, vir, uxor, liberi, alii alios profitebantur ritus, fere nullum integrè & constanter. In tanta confusione cùm adverteret P. Emmanuel, se parum promoturum; ex voluntate Archiepiscopi adjecit animum ad Clerum instituendum & reformandum. habitis in palatio illius certis diebus adhortationibus, & Catechismi explicationibus; atq; Præsulem juvandum in visitandis Ecclesiis. Pro Collegio erigendo nondum visa res matura: nec multùm profuisset, siquidem decennio pòst nobilissimum illud regnum in suam potestatem redegerunt Turcæ. *Sacchin: hist. Soc. lib. 4, n. 48. p. 2.* *Missio in Cyprum.*

2. Anno eodem tanta fuit, in India Orientali, locis Goæ vicinis, ubertas messis; ut ad eam colligendam totum mensem studia philosophica, & ex parte Humanitatis, in Collegio Goano intermitti debuerint. In *Messis copiosa.*

insula Clorano, præsentibus Prorege, Patriarcha & Præposito Provinciali, mille ducenti hoc die baptismo expiati sunt. Post dies octo, in festo Assumptionis DEiparæ V. apud Divarenses mille quingenti quinq; Ecclesiæ Christi aggregati sunt; octoginta pueri, quos parentes primùm subduxerant, ne baptizarentur, mutato postmodum consilio, oblati sunt ad baptismum. *Idem ibid. n. 255.*

Eodem die obierunt.

3. Burgis in Hispania, anno 1643, P. Sebastianus Sarmiento, Hispanus, potens ore ac opere Concionator atq; Missionarius. Illustrissimum sanguinem illustriore virtute ornavit. In dæmones, quos infestissimos patiebatur, mirum exercuit imperium. Moriens Christi ac DEiparæ V. Spectabili præsentiâ, atq; Angelorum cantu recreatus est: quorum dulcissimâ symphoniâ etiam antè, absterso gravi mœrore ex scrupulis contracto, anima ejus liquefacta fuit. Quin & aviculam ad se recreandum promptam habuit. Cùm enim aliquando incidisset in pueros ludum sibi ex avicula filo alligata facientes: cui demum & plumas evellebant, misellam enecturi; rogavit Pater, ne id agerent, sed liberam, ad laudes DEo canendas dimitterent. Paruêre parvuli: & avicula illa deinceps ad Patris conclave identidem advolans, totis diebus accinebat; veluti pro servata sibi vitâ grates rependens.

Mors jucunda

Avicula grata

4. Marchenæ in Hisp, anno 1662, P. Ximenius Bertendona, Hispanus. Charitate erga sanos & ægros, ac singulari ad inveniendas ubiq; se demittendi artes ingenio, fuit conspicuus. Inter orandum cælestes delicias delibabat, quas potissimum inveniebat ad pedes Crucifixi Salvatoris. Cùm peste afflatus decumberet, vidit eum lectulo adstantem amabili majestate, audivitq; dicentem: *Ego veni, ut vitam habeant, & abundantius habeant.* Quibus verbis vis mali compressa est, ac deinde pristina reddita valetudo.

Vita prorogata à Christo D.

5. Cracoviæ in Polonia, anno 1636, Laurentius Gorczyn, Coadjutor, Polonus. Invitatus à P. Provinciali ad sortem Sacerdotum, maluit abjectus vivere in domo DEi. Cùm aliquando post S. Synaxim se attentiùs colligeret; moneri se sensit de morte post annum oppetenda, & quotidie recitando DEiparæ V. officio pro felici morte. Paruit; & anno transacto ad extrema devenit. Suprema nocte infestum habuit dæmonem; contra quem jussus DEiparæ opem implorare, videbatur illam videre præsentem, dû auditus est, eam sic alloqui: Ubi eras, ô Domina? Hostis meus, suis me voluit laqueis implicare. At tibi acceptam reddo de hoste victoriam. Quibus dictis placidè conquievit.

DEipara moribundum tuetur.

IX. AUGUSTI.

1. ANno 1601 S. P. N. Ignatius integram ægræ matronæ contulit sanitatem in insula Majorica. Laborabat illa dirâ chiragrâ, tam & fœdo periculosoq; apostemate: ut medici inutilem suam operam videntes, eam prorsus deseruerint. Humani igitur inops remedii, intercessorem apud DEum invocat S. Ignatium, se illi ex animo committit, spondens; si per eum sanaretur; novemdiali precatione se aram ejus veneraturam. Aderat terti-

S. Ignatii ope mulier Sanata

tertiùs à promisso dies, Augusti nonus: cùm se chiragræ ulcerisq; expertem, integrè persanatâm est admirata. *Bartolus in Vita S. Ign. lib. 5. n. 24.*

2. Post beatum transitum S. Patris, cùm anno 1557 Jacobus Lainius regeret Societatem ut Vicarius, donec eligeretur Præpositus: quidam cum Bobadilla malè contenti de eo regimine turbas ciebant, recurrentes ad Cardinalem Carpensem tanquam arbitrum causæ. Cardinalis pronunciavit: ut Lainius Societatem gubernaret, adhibitis ad consilium primis Patribus, aliisq; Professis. Vocati hoc die ad consilium Patres Congregati, super eo decreto, pleriq; censuerunt, standum esse Cardinalis decreto propter bonum pacis; quamvis instituto nostro conforme non sit, ut præter Consultores ordinarios, Professi alii adhibeantur ad consilia. *Sacchin. hist. Soc. p. 2. lib. 1. n. 84.* *P. Lainez jubetur gubernare Societatē.*

Eodem die obierunt.

3. In Bohemia, anno 1629, P. Mathias Burnatius, Germanus, zelosus per Bohemiam, & admodum fructuosus Missionarius. Propter spolia animarum hæresi detracta, à rusticis hæreticis quæsitus ad necem, accepto in capite vulnere, furcâ confossus, & glande plumbea trajectus, occubuit. *Victima fidei.*

4. Antverpiæ in Belgio, anno 1613. P. Joannes David, Belga. Ante initam Societatem, Cortraci in patria sua facundum, & tam zelosum agebat Curionem: ut ab hæreticis ter ex Urbe proscriptus fuerit. Tanta illi pudicitiæ & integerrimæ & famæ cura fuit: ut nec Matris admiserit contubernium. Durus illi ac vilis lectulus; & penes hunc loculus sepulchralis ad mortis memoriam refricandam. Gandavi Sanctorum statùas ab Iconomachis hæreticis dejectas, quâ publicis, quâ privatis impensis restitui fecit: ubiq; & dicendi & scribendi labore indefessus. Libros & libellos supra viginti, ab ipso editos, recenset Soutvellus in bibliotheca Societatis. Quos contra hæreticos scripsit, acris & faceti ingenii salibus condivit: quos autem pro Catholicis; eos iconibus elegantibus illustravit. *Fœminarum fuga.* *Mortis memoria.*

X. AUGUSTI.

1. Romæ in domo Probationis, anno 1568, festum inclyti Martyris S. Laurentii, singulari pietate celebravit B. Stanislaus Kostka; utpote qui ipsi consueta Sanctorum sortitione, obtigerat in Patronum ejus mensis, quem non nesciebat sibi esse supremum & fatalem. Pridie festi convenerat Rectorem, recensendo non pauca devotionis & mortificationis exercitia, quibus sequentem diem celebraret. Concessa pauca quædam: inter cætera, ut in triclinio publicè in se flagello adverteret, & studio Humilitatis coquo in culina operam præstaret sequenti die. Ipso igitur festo post obita rite divina, omne matutinum tempus, coquo administer, exegit. Secundùm prandium interrogatus publicè à Novitiorum Magistro, *S. Laurentius cultus à B. Stanislao Kostka.*

quid inter labores matutinos animo agitasset? respondit: ex culinæ igne, quem habuerat in conspectu, venisse se in considerationem ignis, quo S. Martyr tostus fuerat. *Sacchin. hist. Soc. lib. 4. n. 89. p. 3.*

Missio in Sueciâ fructu caret. 2. In Sueciam institutæ Missioni optatus eventus non respondit anno 1580. Nihil omiserat laboris & industriæ P. Antonius Possevinus; ut rem Catholicam ibi promoveret. Sed rex seditionem populi prætendens, & jam nimiùm devinctus sectariis, nihil admittebat sanorum consiliorum. Ergo Possevinus, videns nullam superesse spem operæ cum pretio ponendæ in Suecia: modestè, atq; ita, ut relinqueret commercio patentem viam, & infixos in animo regis acres aculeos, relictis etiam scripto responsionibus ad multas ejus quæstiones, commeatum petiit, discessitq; ipso S. Laurentii festo è Suecia. *Idem p. 4. hist. Soc. lib. 8. n. 149.*

S. Xaverio vota persoluta. 3. Potami in Calabria Vincentius Marinus voti reum se stitit S. Xaverio, ob equum suum non sine prodigio sanatum. Idem ibidem egit hac die matrona nobilis Dna Isabella Galeti, recepta ope S. Apostoli Indorum valetudine jam desperata. *Ex lib. Mirac. Potam. n. 227. & 228.*

Eodem die obierunt.

Operarius mirè Fructuosus. 4. In nova Francia, anno 1661, P. Renatus Menard. Gallus. Algoquinos, Hurones, Iroquæos crudissimè barbaros, excoluit tanto fructu: ut *Fructuosi* cognomen apud Socios fuerit consecutus. Singulis noctibus tres dabat horas orationi, nuda humo contentus pro lectulo, per plures annos nullam panis micam, nullam vini guttam gustavit. Vidit lætus ardentem rogum, quem illi comburendo extruxerant barbari. *Mortificatio gulæ rigida.* Famem diuturnam, crebraq; naufragia perpessus, deniq; in arduo ad Hurones itinere, vel ærumnis confectus, vel à barbaris, ut indicia quædam prodebant, interemptus.

Mortificatio humilis. 5. Goæ in India Orientali, anno 1572, P. Melchior Nunnez, Lusitanus. In ipso limine tyrocinii Societatis insignem de se reportavit victoriam, quando Nobilissimus adolescens Vervecem humeris per urbem frequentissimam portavit. In India, Japonia, Sinis, multa & ardua Apostolico spiritu gessit, toleravitq;. In Sinarum portu intellexit, apud quendam, qui morienti S. Xaverio adfuerat, detineri lipsanothecam, quam Sanctus de collo gestaverat, multis egit, ut tam nobile pignus ab eo extorqueret. Æneum ac rude receptaculum erat, in quo continebatur perexiguum quiddam de lipsanis S. Thomæ Apostoli, Nomen S. Ignatii ex ejus Epistola resectum, & Professio ipsius manu exarata.

Victima fidei. 6. Iconiscimæ in Japonia, anno 1622, Augustinus Ota, Japon, Catechista impiger, & planè religiosus. Socius in carcere fuit P. Camilli Constantii; quo flammis consumpto, Augustinus cum pluribus aliis securi percussus, victima fidei cecidit.

XI. AUGUSTI.

Vota simplicia 1. IN Congregatione I. Generali, anno 1558 propositum fuit: quomodo occurrendum esset illi incommodo, quod ex votis simplicibus Coadjuto-

jutorum & Scholasticorum nasci posset; cùm illi post emissa talia vota, possint, licèt peccent, uxorem ducere, & matrimonium erit validum? unde quærebatur ulterius: an consultum esset, tria vota solemnia emittere aliquando hujusmodi fratres? Statutum fuit: nihil immutandum esse de Constitutionibus, vel de ratione votorum simplicium. Si quid autem incommodi inde accideret; ut pro re nata provideretur: & ita exclusum fuit, quod de Professione dicebatur, *Congreg. 1. decretum 94.* Postea anno 1584 Gregorius XIII, per Constitutionem *Ascendente Domino*, statuit: ut Votum simplex Castitatis in Societate emissum post biennium tyrocinii, esset impedimentum dirimens Matrimonium, ideoq; Matrimonium jam non tenet, nisi contractum sit post legitimam è Societate dimissionem. *Votum simplex castitatis.*

2. Potami insigni miraculo liberata est, à 5 Orci satellitibus infessa puella ab annis septem. Ducta primùm est ad S. Dominicum de Soriano, celeberrimum à multitudine & magnitudine miraculorum. Sed Sanctus hic, sicut & alii, eum honorem detulit S. Indiarum Apostolo. Cùm enim Patres Prædicatores inter exorcismos invocarent Sanctos varios, pacata fuit puella: ubi autem S. Xaverius nominatus est, tam enormiter vociferati sunt Tartarei inquilini; ut templum ruere videretur. Suaserunt ergo prudenter, ut Potamum ad S. Xaverium duceretur. Cui loco cùm appropinquasset puella, vix à multis validisq; detineri poterat, quin inde se proriperet, & in fugam daret. Inducta in templum, feliciter nec magno negotio, ope Sancti liberata est. *Ex libro Mirac. Potam: num. 55.* *S Xaverij ope puella à dæmonibus liberata.*

Eodem die obierunt.

3. In Anglia anno 1650, P. Matthæus Grimes Bazier, Gallus. Impigrum, sagax, & ad sacras operas planè factum ingenium, diu exploratorum solertiam exercuit, & elusit. Tandem tentus, ærumnis carceris consumptus est; lætus, quod in tam nobili causa captivus moreretur; sed mœstus, quod morte incruenta. *Victima fidei.*

4. Lugduni in Gallia, anno 1617, Franciscus Caguinus, Coadjutor, Gallus. Innocens illi ac tenera in Societate conscientia; sed de anteactæ vitæ peccatis solicitus, dolorem aliquem à DEo pro illis expiandis petiit: & repentinus, idemq; acerrimus, dentium dolor eum invasit. Nihil ei petenti negatum à DEo ferunt: inter quæ illud est: ut in Societate tot annos viveret, quot vixerat in sæculo. Petiit, & impetravit. *Dentium dolor pro peccatis.* *Oratio efficax.*

5. Mindanai in Philippinis insulis anno 1596, P. Joannes à Campo, Hispanus, vir eximius incredibili pietatis fervore, dexteritate, comitate, laboribus, obedientia, & victoriis de se ipso relatis. Virtutem ejus eximiam, etiam cùm adhuc in Hispania degeret, honoravit DEus multis visis cælestibus, quibus ne nimiùm fideret, cùm moneretur à P. Ludovico de Ponte, Asceta peritissimo, ideoq; visa sua tacitus ipse examinaret, sensit à DEo sibi dici: Si tibi esurienti ramus fructibus onustus offeratur, quid agis? Respondit Joannes: Fructus lego, & comedo, ramum abjicio. Atq; hoc *In visionibus quid agendum?*

ipsum ajebat Dominus, tibi agendum est cum his. E visis hisce fructus lege; disce humilitatem, patientiam, aliasq; virtutes; & reliquis de visione cogitationibus supersedeas. Vitam agebat omnium horarum ad sacras expeditiones, & nutum obedientiæ. Diebus festis duabus ante alios horis surgebat: ut excurreret extra urbem pro animabus juvandis. Tandem Philippinas impetravit, ibiq; sanctè decessit.

S. Angeli Cust. auxilium.

6. Wartenbergæ in Silesia anno 1651, P. Julius Cæsar Coturius, Belga, parvuli JESU cultui eximiè addictus. Festis ejus Natalitiis quotidie per dimidiam horam in cubiculo prostratus eum adorabat. Novædomi Rector cùm esset, in gravi penuria Collegii opem S. Angeli Cust. imploravit; & pecuniam reperit in pluteo, ubi nullam antea posuerat, vel viderat. Glacii peste infectis salvus servivit: Wratislaviæ Rector, per orationem totis noctibus protractam, de hæreticorum machinis triumphavit.

XII. AUGUSTI.

1. HEri liberata à quinq; tyrannis Stygiis puella, hodie Confessione expiata, & S. Communione refecta, Sospitatori suo S. Xaverio multas gratias egit, publicè contestata: quòd ante liberationem tribus noctibus ei apparuisset Sanctus, superpelliceo & stolâ vestitus, dicens: Ego Franciscus vocor: Potamum perge, me ibidem veneratura; & gratiam impetrabis integræ sanitatis. *Ex lib. heri cit.*

Epistola pro doctrina Molinæ.

2. In Hispania anno 1600 insignem Epistolam in favorem P. Molinæ & Libri ejus dedit A. R. P. Aquilinus Antolinez Augustinianus, qui postquam primarius in Academia Salmanticensi fuisset Theologiæ Professor, ad Compostellanum Archiepiscopatum evectus est. Scripsit autem Romam ad R. Patrem Gregorium Nugnez Coronellum, familiæ Augustinianæ Lusitanicæ Procuratorem Generalem, & Congregationum de Auxiliis Secretarium. Orsus est epistolam sic: Gratia Christi &c. Intelligo, de novo tractari in urbe, ut ad castigationem & censuram revocetur *Concordia* P. Doctoris Molinæ: pro quo doleo, ejus doctrinam, jam in tranquillitate positam, novis quassari procellis. Hoc ausim Vestræ Paternitati fidenter testari: ejus opiniones in hac Academia, & in hac nostri Ordinis provincia, tanto cum plausu admissas: ut vix sit, qui alias vel legat, vel defendat. De me id affirmare valeam: postquam liber Molinæ publicum aspexit, mihi & in lecturis, & in oppositionibus, & in quacunq; literaria exercitatione, plurimo adjumento fuisse; æquumq; est, ut viri omnes docti libro tam utili faveant &c. *Disquisitiones in Congr. de Auxil. p. 2. c. 7.*

Eodem die obierunt.

3. Insulis in Belgio, anno 1659, P. Florentius Montmorency, Belga, primariis omni-

omnibus in Societate muneribus, exceptâ supremâ Præfecturâ, laudabiliter gestis clarus. Cùm Romæ ipsum ad Societatem admisisset P. Claudius Aquaviva, scripsit de eo ad P. Manaræum videri sibi Florentium idoneum, in quem aliquando universæ Societatis gubernatio posset incumbere. Tantus cùm esset, libens tamen aliorum sententias inter regendum auscultabat, & probè expendebat, dicens: *Homo unus homo nullus*. Quæ hodie expediri poterant, in crastinum minimè differebat: & ne quidquam per inconsiderantiam excideret; schedulam rerum gerendarum pulpito affixam habebat præ oculis. Erga senes, ægros, hospites, & afflictos tenerrima charitate afficiebatur, eosq; liberaliter juvabat. Crucifixum è collo pendulum, identidem è sinu extractum suavissimè deosculabatur, dicens: *In manibus tuis descripsisti me: lege scripturam tuam, & salva me.*

Cõsultores adhibendi.

Negotia impigrè tractanda

4. Paderbornæ in Germania, anno 1629, Joannes Bitter, Magister, Germanus, laudatus ab insigni studio humilitatis, obedientiæ, & misericordiæ; quibus alternis diebus ad portam Collegii ordinariam distribuebat stipem. Cùm paulò post ejus mortem (quam gravi catarrho repente oppressus, flexis genibus oppetiisse, repertus est) alii quoq; duo Fratres Petrus Hauzer, & Petrus Rhor obiissent: anima Petri Hauzer, in templo comparens fratri Sacristæ, significavit: Joannem Bitter altero Sacro, Petrum Rhor celeriùs, è Purgatorii flammis ereptos esse. Ipsa quoq;, quæ comparuerat, anima, atro vestitu in splendidum repente mutato, visa est ferri in cælum.

Purgatorium breve.

5. Varsaviæ in Polonia anno 1646, P. Joannes Gruzewski, Litvanus. Vir fuit magnæ perfectionis, magna in subditos caritate, zelo erga proximos, candore in agendo, severitate in se ipsum, & assidua cum DEo animi conjunctione: de qua etiam Tomos tres conscripsit. Collegio & Academiæ Vilnensi bis Rector, Domibus Professis Vilnensi & Varsaviensi Præpositus, ac demum toti Provinciæ Litvaniæ præfuit Provincialis, omni ex parte laudatus. Quidam è Patribus familiarior P. Joanni, cùm curiosè illum diu observâsset, scripto testatus est: se nihil deprehendere potuisse, quod venialis noxæ speciem haberet. Interulâ lineâ communi videbatur uti: sed collari tantùm & manicis assutum erat aliquid telæ tenuioris, cætera cilicium erant. *Soutvellus in bibl. Soc.*

XIII. AUGUSTI.

1. LAinius, Præpositus Generalis è Gallia, ubi rem Catholicam egregiè promoverat, anno 1562 revocatus à Pontifice Tridentum ad Concilium, quaquà ibat tanta procerum, Præsulum, populiq; humanitate excipiebatur ubiq;: ut, ne moras nimias pateretur, iter studiosissimè accelerandum fuerit. Tridentum tandem, diu expectatus, & nuncio etiam obviàm misso festinare jussus, insigni omnium gratulatione ingressus est hoc die. Ad publicum conventum vocato, Rituum Magister, in Generalium subselliis proximum assignavit locum sedendi, post Canonicorum Regularium Generalem, tanquam Præposito Generali Ordinis approbati Clericorum Regularium. Reluctantem, & ad infimum inter Generales locum sese recipientem, monuerunt Legati, Præsides Concilii: non ipsius, sed suum

P. Lainius ultimum locum eligit in Tridentino Concilio.

um esse deligere, & designare cuiq; locum suum. Sed ægrè id ferentibus antiquiorum Ordinum Generalibus, ne quid turbarum oriretur, Lainius perstitit in deprecando, ne locum assignatum occupare cogeretur, utpote Generalis Ordinis junioris. Legati deniq; rem ita temperarunt: ut Lainius loco extraordinario in subselliis Episcoporum sederet, sententiam autem post alios Religiosorum Ordinum Generales diceret. Quod temperamentum visus est universus Venerabilium Patrum Senatus probare: nec Lainio licuit non acquiescere. *Sacchin. hist. Soc. p. 2. lib. 6. n. 75.*

P. Valignanus Visitator in Japonia.

2. In Japonia anno 1590; P. Valignanus Visitator, post mortem Viceprovincialis Coëllii, admonitus de ejusdem minùs conveniente agendi modo, neglectu consiliorum, & in sensu suo quadam pertinacia; indixit in hunc diem extraordinarium conventum Professorum omnium & superiorum Societatis, existentium in Japonia. In eo & præterita quædam disposita retractavit; & de præsentibus futurisq; sententiâ cujusq; patrum patientissimè auditâ, concordi cunctorum suffragio statuit. *Sacchin. p. 5. hist. Soc. lib. 10. n. 191.*

Infirma sanitati restituta.

3. In Calabria Deliam Comitem post partum dolores acerbissimi ad extrema deduxerant: voto ad S. Xaverium Potamiensem facto, mox, integræ sanitati restituta, votum hoc die exsolvit. *Ex lib. Mirac. Potam. num. 232.*

Eodem die obierunt.

Modestia singularis.

4. Romæ anno 1621, Ioannes Carolus Berchmans, Scholasticus, Belga, admirabili innocentiâ, & morum compositione ad omnes Regularum apices clarus. B. Aloysium tam scitè feliciterq; imitabatur: ut alter vel redivivus Aloysius videretur. De illo Philosophiam Romæ defendente, dicebatur: Angelum, si humana carne amictus, id munus obiret, non majore modestiâ id facturum. *Etiã in disputando.* Moriens Crucifixum, Regularum libellum & B. V. Coronam arctè complexus, dicebat: *Hæc tria mihi carissima; cum his libenter moriar.* Altera nocte, postquam decesserat Ioannes, vidit quidam in Collegio Romano, vir spectatæ fidei & religionis, DEiparam V. sellæ insidentem, deferri in Sociorum cœtum, succollantibus bajulis B. Aloysio, & Ioanne Berchmans. Quod forte symbolum fuit, pij sermonis de eadem Virgine, ab illis inferri soliti, in consuetis Sociorum colloquijs.

Deiparæ gestatores. Sermo de B. V.

Victima charitatis.

5. Antverpiæ in Belgio, anno 1619, P. Adrianus Crucius, Belga. In regendo, docendo, ægros tractando eximius, pestiferorum obsequijs immortuus est. Quotidie in se flagello sæviens, identidem se compellabat: *Adriane, Sanguinem pro Sanguine.* Quotannis certum palato gratorum fructuum genus deligebat; quod indicta sibi ab ijs abstinentiâ in annum, DEiparæ V. offerebat.

Gulæ mortificatio.

Puerorũ institutio sedula.

6. Parmæ in Italia, anno 1657, P. Franciscus Raulinus, Italus, moribus planè Angelicis amabilis, & omnibus amatus. Quàmvis Theologicam Cathedram compluribus annis cum laude & labore teneret: puerorum institutioni impensè se tradebat,

tum

tum Catechesim per Urbem explicando, tum Sodalitates gubernando, quarum tres instituit. Unam è pueris infimæ sortis, alteram è filijs mercatorum: utramq; mirâ constantia in fide & pietate instruebat fructu magno. Tertiam è selectissimis Scholasticorum conflaverat, cujus scopus erat, ad perfectionem erudiri Meditatione, & Virtutum solidarum exercitio: unde ex illa multi ad religiosa castra transibant. Visus est post mortem, à persona fide digna, Animam illius cælum petentem obvius Christus D. amabilissimo amplexu stringere, atq; S. Ignatio auditus est dicere: *Accede Ignati, perfruere tuis meisq; laboribus*; scilicet in excolenda anima illa positis. *Christi complacentia in anima zelosa.*

AUGUSTI XIV.

1. ANno 1605 Clemens VIII interveniente Ducissa Sforciana, concessit, ut Imago B. Stanislai Kostka publicæ venerationi posset exponi. Quam gratiam ab ipso Christo D. impetratam primùm esse à Ven: P. Nicolao Lancicio, traditur in ejus Vita. Ardebat ille, & incitari se mirum in modum sentiebat, ut Beati prædicti Imaginem publico cultui exponi curaret. Per ardentem ergo orationem recurrit ad ipsum Christum, humili supplicatione eam gratiam petendo. Ingeminanti preces videndum se Patri Nicolao præbuit Salvator hilari vultu, & protensa manu dextera candidum folium dimisit, in quo nitidissimo charactere scriptum erat: *Fiet tibi, sicut vis*; abscessitq; relicta in animo Patris ingenti certitudine felicis eventûs. Retulit visum Simoni Jenerio: & post aliquot hebdomadas secutum est Pontificis indultum. *Balbinus in Vita P. Lanc. lib. 2. c. 7.* *Indultū Pontificis Imaginē B. Stan. Kostka exponendi.*

2. Viennæ Austriæ anno 1583 per exorcismos nostrorum legio dæmonum expulsa est è puella hæretica, Anna nomine. Hanc avia venefica desponderat dæmoni, veneratq; misera in manus integræ legionis procorum, seu porcorum Infernalium. Cùm pater puellæ apud ministros suos nihil opis reperiret, ad Catholicos Sacerdotes confugit: sed exorcismi instituti nihil profecerunt. Imperator solicitatus à parente, puellam committit curæ Episcopi; hic eam ablegat ad P. Rectorem Collegii nostri, cum literis Imperatoris. Nostri ergo susceptâ miseræ curâ, primùm extorserunt per Exorcismos, ut impuri hospites se proderent; deinde post multos labores, ut per turmas excederent, inter plaustra conviciorum, quæ jactabant in Jesuitas. Querebantur subinde, nullum esse in mundo sibi infestius hominum genus; nullum sibi fore gratius spectaculum, quàm si viderent Jesuitas omnes ex uno patibulo suspensos. Tandem pridie festi Assumptionis DEiparæ V, inter horrendos clamores & ejulatus dux ipse legionis excessit, puellâ humi afflictâ, & pro mortua per horas 4 relictâ. *Legio dæmonum à puella expulsa.*

Postridie à peccatis expiata, ab ipso Episcopo Viennensi, qui in æde nostra universo populo rem enarravit, pasta est epulo divino. *Gomez in elog. Soc. p. 3. Classe 5. & Sacchin. in hist. Soc. p. 5. lib. 3. n, 78.* qui addit: Aviam quoq; hæreticam & veneficam, singulari DEi miseratione respectam, instantibus Patribus conversam, dæmonibus & hæreticis nuncium remisisse, deniq; incendium, quo viva est exusta, patienter tolerasse.

Eodem die obierunt.

3. Romæ anno 1591 P. Hieronimus Platus, Italus, eximia virtute usq; ad Sanctimoniæ famam, conspicuus. Ipsius partus est, celebre illud, *de Bono Status Religiosi* volumen; quod innumeros ad castra religiosa, & accuratiorem Christi imitationem impulit. Præclarum aliud moliebatur opus de studio Paupertatis: sed quia lucubrationes in chartas solùm dissipatas conjecerat; Coadjutor cubiculo ejus componendo intentus, chartas illas velut inutiles, omnes in ignem injecit, Patre Hieronymo tranquilla mente illas DEo offerente in holocaustum.

Scriptorum moderatus amor.

4. Neapoli anno 1618, P. Julius Mancinellus, Italus, Spiritu & laboribus Apostolicis clarus. Mira egit in Europa & Africa pro salute animarum, miris à DEo gratiis in eum finem instructus. Sub auroram quotidie ad sacrum Pœnitentiæ tribunal se conferebat, nec inde recedebat, ante serum vesperum, nisi cum faciendum esset Sacrum, dicendum pro Concione, atq; ad mensam eundum: ibidem solitus suas preces interpolatim absolvere, & conciones elucubrare. Constantinopoli, Algerii, & aliis locis barbaris totas noctes insumebat Confessionibus audiendis in carceribus & aliis sordidis locis. Ut verò omnibus nationibus idoneum se præberet; præter Latinam & Italicam, linguas condidicit Hispanicam, Gallicam, Belgicam, Slavicam, Valachicam; cui solertiæ DEus prodigiosam addidit gratiam, intelligendi quovis alio idiomate loquentes, ita: ut ab illis vicissim intelligeretur, licet extra confessionem se nullo verbo intelligerent. Imò & surdi & muti audiebant & loquebantur inter confitendum ipsi. Labores ejus Apostolicos multis prodigiis, & cælestibus solatiis promovebat, & recreabat DEus; visiq; sunt Angeli, cælestes ipsi texentes coronas.

In Confessionalis assiduitas.

Linguarum studium pro animarũ salute.

Surdi & muti diserti inter confitendum.

5. Cracoviæ in Polonia anno 1625 P. Georgius Tyszkiewicz, patre Palatino Brestensi ortus. Cùm Romæ literis sese excoleret, in gravem delapsus morbum, vovit: eam se familiam Sacram ingressurum, si convaluisset, cujus hominem, primùm domo prodiens offendisset. Convaluit, inciditq; in A.R.P.N. Mutium Vitellescum. Ergo voti reus ad tyrocinium Societatis se recepit, ubi ita profecit: ut in eximium JESU Socium creverit, & post lauream Theologicam, variaq; Collegia laudabiliter gubernata, Provinciæ Polonæ præpositus obierit. *Soutvellus in bibl. Soc.*

XV. AUGUSTI.

1. PArisiis anno 1534 primi Societatis Patres, votis emissis in perpetuum se oblaturi DEo, delegerunt diem Assumptæ in cælum DEiparæ V. sacrum ea spe: quòd & gratiora Divinæ Majestati essent futura illa Vota per manus Matris oblata; & ipsa servulos suos singulari maternoq; favo-

Vota primorũ Societatis Patrum.

favore esset dignatura. Locum actui illi consentaneum designarunt Templum ejusdem Virginis in monte Martyrum situm, spatio dimidiæ leucæ distans ab urbe. Ibi Petro Fabro, qui solus erat Sacerdos, celebrante, prima sua nuncuparunt vota, de servanda perpetua Castitate & Paupertate, de transmissione in Terram S. & deferenda Pontifici maximo opera sua in animarum salutem. Post expleta pietatis officia, diei residuum duxerunt ad fontem, ex collis ejusdem radice profluum, & amœnum, atq; S. Dionysii Areop. olim sangvine consecratum: mensa data pauper & frugalis, sed piis sermonibus sapida. In perpetuam hujus rei memoriam, in superiore parte dicti Templi affixa deinde est ænea lamina cum hac Inscriptione.

Siste Spectator, atq; in hoc Martyrum sepulchro probati Ordinis cunas lege. Societas JESU, quæ S. Ignatium Loyolam Patrem agnoscit, Lutetiam Matrem, anno salutis M.D.XXXIV, Augusti die XV, hic nata est: cùm Ignatius & Socii, votis sub sacram Synaxim religiosè conceptis, se DEo in perpetuum consecrarunt ad Majorem DEI Gloriam.

Bartolus in Vita S. Ign. lib. 2. n. 6. ubi addit: Ludovicum XIII Galliarum Regem id ipsum sibi & regno suo eximio honori duxisse; prout testatus est in literis ad Gregorium XV datis, pro Canonizatione S. Ignatii. *Regno*, inquit, *meo hoc decus obtigit: ut tantus DEi servus in almam hanc meam veniret Lutetiam, ad comparandas sibi scientias, lectisq; in ea Sociis, in æde Sacra ad montem Martyrum, Societatem suam inchoaret.*

2. Auspicatissimus fuit hic dies etiam Japoniæ: siquidem ipso lucente, in eam primùm invectus est Magnus Indiarum Apostolus S. Xaverius, anno 1549, frustra frementibus, & tempestates, aliaq; impedimenta moventibus tenebrarum principibus. *Bartol. in Vita lib. 2 in fine.* *S. Xaverius venit in Iaponiam.*

3. B. Aloysius Gonzaga, cùm die Assumptionis DEiparæ V. Madriti post Communionem, ardentiùs eidem commendaret suam de vitæ statu deligendo deliberationem, disertam audivit vocem: *Societatem JESU ingredere.* Paruit fideliter & fortiter, superatis maximis impedimentis. *Nadasi in Anno dier. Mem.* *B. Aloysius monetur de ingrediendâ Societate.*

Eodem die obierunt.

4. Romæ anno 1568, B Stanislaus Kostka, Polonus, ipso Assumptionis DEiparæ V. die, ut optaverat, & per S. Laurentium Martyrem petierat, terras reliquit, & Societati triumphanti aggregatus est. Quem vitæ statum amplexurus esset, prodidit SS. JESU nomen gravidæ Matris pectori charactere purpureo inscriptum. Admiranda sunt, quæ egit tulitq;: ut in Societatem recipi impetraret, adolescens te-

Societatem petunt Sancti, ut fiant Sanctiores

nerrimus & nobilissimus. Extra illam innocens & Sanctus, intra illam Angelus, & eminentis Sanctitatis idea absoluta. Quo in respectu esset apud Angelos & Angelorum Reginam, docuit epulum divinum ei ab illis ministratum; & Infans JEsus ab ista oblatus. Febris, qua obiit, magis charitatis, quàm infirmitatis ardor erat; qui etiam aliàs ita exarserat: ut refrigerando cordi, frigidâ imbutos panniculos oporteret adhibere. Primus è Societate, Beatorum obtinuit honores, quos vix aliquis Sanctorum Confessorum, ætatis tam teneræ, adeptus est. Festum ejus, tanquam unius è principalibus Regni Poloniæ Patronis, prima Dominicâ post S. Martinum, celebrari con essit Clemens X.

Primus in Societate Beatus.

5. Compluti in Hisp anno 1602, P. Ignatius Mendoza, Hispanus. Illo in Societatem assumpto, dixit Rex Hisp. Philippus III: *Ignatium partem optimam elegisse.* Fuit unus è primæ classis principibus, Juris utriusq; peritissimus, ac Regum Philippi II & Philippi III Legatione apud Regem Galliarum & Venetos, egregiè functus. Patres in tanta reverentia habuit, ut diceret: se coram illis loqui, imò ne hiscere quidem audere. Culinæ officia, & quidquid ad sui contemptum faciebat, magno cum gustu obibat. Ipsis primis tyrocinii mensibus visa est ejus virtus cœlo matura; dicebatq; moriens: Se quidem de cælo optimè sperare ob ea, quæ pro Christo dimisisset; cæterùm in hac vita jam se satis præmii obtinuisse, quod licuerit in Societate bimestri tempore vivere.

Mundi contemptus.

Sacerdotũ reverentia.

Vita in Societate æstimabilis

6. Vallisoleti in Hisp. anno 1647 P. Didacus de Baëza, Hispanus. Post confecta docendo, Philosophiæ ac Theologiæ spatia, applicatus Cathedræ Ecclesiasticæ, inter primos habitus est Hispaniæ Concionatores; nec illam deseruit usq; ad postremos vitæ annos. Ne verò cum sono vocis evanesceret prædicatio: Tomis undecim in Veteris & Novi Testamenti Historiam editis, extendit illam in sæcula. *Soutvell. in bibl. Soc.*

Concionandi modus etiam post fata.

XVI. AUGUSTI.

Facultas dicendi Missam & officium de B. Stan. Kostka

1 ANno 1670 Clemens X indulsit: ut in Polonia, Litvania, & alibi à Patribus Societatis JESU, ubivis terrarum existentibus, & ab externis Sacerdotibus in templis nostris Missa dici possit,& officium recitari, 13 Novemb. in honorem B. Stanislai Kostka. *Bullar. Constit. 12 Clementis X* Deinde anno 1671, declaravit indultum illud: nimirum recitari posse officium, & Missam dici in honorem prædicti B. Confessoris, in quibusvis Ecclesiis (etiam non Societatis) in Regno Poloniæ & M. D. Litvaniæ; extra verò hoc regnum & Ducatum solùm in templis Societatis. *Bullar. Constit. 45. Clem. X*

Mors Card. Bellarmini.

2. Card. Bellarminus cum bona venia Pontificis Gregorii XV, recepit se in Domum Probationis Romanam: ut ibi se disponeret accuratiùs ad bonam mortem, ubi spiritum hauserat sanctæ vitæ. Gravis enim annis, & viribus studiorum aliorumq; negotiorum contentione attritis, efflictim petiit per Card. Dandinum, & Præpositum Societatis Mutium

Vitei-

Vitellescum, liberari ab aula, & sacrarum Congregationum negotiis, ut DEo uni sibiq; vacare posset. Impetratâ eâ gratiâ, nihil alterius negotii deinceps attigit, nisi in promovendo negotio Canonizationis S. Philippi Nerii: quod cum insigni zelo egisset; domum redux, duplici tertiana statim correptus est, ac post dies non multos extinctus. *Petras. in vita pag. 528.*

Eodem die obierunt.

3. Hucti in Hisp. anno 1622, P. Franciscus de Otazo, Hispanus. Innocentissimæ quamvis esset vitæ de salute tamen sua anxius, DEiparæ V. opem imploravit. Adfuit illa spectabilis, cum splendida Sanctorum corona, Librum magnum & splendidum manu gestans; quem voluit à Francisco inspici & legi, dicens: Eum esse *Librum Vitæ*. Inspexit ille, & initio unius paginæ legit nomen suum, Francisci de Otazo, aureo charactere exaratum. Aliorum quoq; prædestinatorum complurium nomina ostendit Virgo, dicens: *Fili, hos quoq; tuâ opera ad Beatorum felicitatem perducturus est DEus.* Sic recreatus, abijt in Insulas Philippinas: ubi multo labore quàm plurimos convertit ad fidem & frugem. *Liber Vitæ inspectus.* *Zelus animarum.*

4. Nangasachi in Iaponia, anno 1633, P. Emmanuel Borges, Lusitanus, cum duobus Socijs Novitijs Iaponibus. Post multos labores, & exilium toleratum, cùm redijssent in Iaponiam ad fidem propagandam, tenti sunt, & capite in scrobem depresso suspensi, gloriosum agonem confecerunt. *Victima fidei.*

5. Pontanæ in Hibernia, anno 1643, P. Ioannes Bathæus, Hibernus, cum fratre suo germano, Sacerdote sæculari, ab hæreticis militibus comprehensus, in forū raptatus, stipiti alligatus, & plumbeis globis trajectus. *Victima fidei.*

6. Gonsani in Sicilia anno 1624 P. Carolus Romanus, Italus, Virginitatis flore, & innocentiâ ab omni lethifera labe immuni, insignis. Mundo igitur ejus cordi non semel divinitus datum est, secreta cordium penetrare. Domum Lauretanam cùm inviseret, DEiparam V. cum parvulo IESU & S. Iosepho spectabilem habuit per quietem. Pro adolescente quopiam impuris assueto actibus, quem ad mortem disposuerat, cùm Sacrum celebraturus exiret ad altāre, vidit ejus animam igne inundante involutam, & dicentem audivit: Damnatam se ad æterna incendia: quod obscœnæ cogitationis delectationem admisisset post absolutionem Sacramentalem.

AUGUSTI XVII.

1. ANno 1559 Paulus IV Pont. Max. moritur. Alternis movebatur in Societatem affectibus, jam propensis in eam, jam adversantibus. Cùm quædam in Instituto Societatis reperisset, non ad mentem suam concepta, aliam inducere formam desideravit: sed tandem cæteris neglectis constituit, nec ullis rationibus averti potuit: ut Generalatus esset tantùm triennalis, & Chorus publicus induceretur in Societatem, prout de facto Romæ inductus fuit. Post mortem Pauli, rogati Jurisperiti celebriores, atq; inter hos Card. à Puteo, an Societas adhuc obligaretur ad chorum? Respon- *Mors Pauli 4.* *Inducit chorū in Societatem.*

derunt unanimes: cùm Chorum non imperârit Pontifex per rite editam Constitutionem; dispositionem ipsius solùm habuisse vim simplicis mandati, non autem perpetuæ legis; ac proinde jam non obligare: sed posse Societatem vivere secundùm Constitutiones legitimas præcedentium Pontificum, & frui immunitate sua. Sic conticuit sine mora chorus, facta per Præpositum Generalem Lainium solemni protestatione; quòd Societas ad illum jam non teneretur. *Sacchin. hist. Soc. p. 2. lib. 3. n. 29.*

Post mortem ejus conticuit chorus.

2. In Germania anno 1564 Otho Cardinalis Augustanus Dilinganam Academiam, à se erectam, Societati tradidit, jure perpetuo regendam. Ad confertam nobilitatem, & Academicam juventutem gravem præmisit orationem, exponendo facti sui rationes: mox Secretarius tabulas rite confectas recitat, quibus cum laude Instituti Societatis, translatum in eam Academiæ jus explicabatur. Tum Cardinalis assurgens, solemnem S. Spiritûs hymnum exorditur: deinde Orator è Societate suggestum conscendit, & opportuna tempori dixit; deniq; primus è Societate Rector Academiæ creatus est, & insignibus ornatus Henricus Dionysius. *Idem ibid. lib. 8. n. 107.*

Dilingana Academia traditur Societati.

Eodem die obierunt.

3. Romæ anno 1556, P. Martinus Olavius, Hispanus. Parisiis & in Aula Caroli V. eximius, Philosophicâ & Theologicâ laureâ clarus ad Societatẽ, à qua abhorrebat, impulsus est diserto Christi mandato. Cùm enim inter sacrificandum, consilium & opem, quoad vitæ statum eligendum, exposceret ab eo, quem manibus tenebat: *Hic ego te volo:* ajebat ille. *In hac tibi Societate & vivendum & moriendum est. Durum est tibi contra stimulum calcitrare.* Ad quæ humiliter Martinus: *O Domine, servus tuus sum ego: servus tuus, & filius ancillæ tuæ, Societatis IESV.* In Romano Collegio primus docendæ Theologiæ à S. Ignatio admotus, Collegioq; præfectus est. Socios omnes ut Angelos venerabatur, auditus identidem ingeminare: *O piam sociorum familiam! Me miserum, qui eam nimis diu ignorans fugi; sæpe etiam de eadem detraxi!* Moribundus S. Pater Ignatius petiit, à Pontifice benedictionem postulari pro suo & alterius cujusdam è Societate agone. Is alius, fuit Olavius, qui decimo septimo die secutus est S. Patrem defunctum.

Vocatio ad Societatem imperativa.

Societatis æstimatio.

4. Cæsaraugustæ in Hispania anno 1594, P. Antonius Ibannez, Hispanus. Cùm Provincias Præpositus Provincialis, aut Visitator gubernaret: multâ prudentiâ tam spiritum, quàm literas juvit. Ad Sacrosancta Instituti jura servanda totis viribus incubuit, nullo humano respectu absterritus. Mira è cœlo luce perfundebatur ad spiritus discernendos, & animas ad perfectionis excelsa ducendas. Primum Virginitatis florem ad mortem usq; servavit incorruptum.

Instituti Soc. observantia.

5. Novellariæ in Italia anno 1583 Lælius Nichesolius, Italus, Novitius. Volebat non aliter tractari, quàm putridum cadaver. Voluntate propriâ dicebat, nec Onus esse gravius, nec feram immaniorem: ideoq; totus in superiorum voluntate conquiescebat. Post decimum tyrocinii mensem animam agenti adstitêre per spatium duarum

duarum horarum & ampliùs, Angeli, DEipara V. & Christus solis instar radians, tam ipsi Lælio, quàm alteri ex adstantibus spectabiles: cæteri quoq; lectulo circumfusi, insolita quadam dulcedine se superfundi sentiebant.

XVIII. AUGUSTI.

1. ANno 1581 P. Antonius Possevinus, cum charactere Legati Pontificij, expeditus à Gregorio XIII, ad Stephanum Poloniæ regem, & Joannem Basilii M. Ducem Moschoviæ, pro re Catholica promovenda hoc die Staritiam, ubi tunc Dux degebat, attigit cum 4 Sociis. Deducti ad hospitium pro regionum usu magnificum, convivio publico, Ducis nomine excepti sunt. Assidebat Possevino prænobilis adolescens, missus à principe tanquam ejusdem Vicarius; is ubi ferculum quodpiam inferebatur, assurgens & caput aperiens, cæteris convivis idem facientibus, dicebat: Antoni, hoc tibi pisce (vel alio, quod erat, ferculo) gratiam exhibet suam Joannes Basilii, semperq; totum Titulorum ejus acervum percurrebat. Postquam autem ultimum illatum est ferculum, hilariter pronunciavit: *Chleb da sol*; id est, *Panis & sal*: quam habent Moschi superstitiosam mensarum clausulam, rati, valere ad pestem omnem avertendam, eò; quòd olim Monachus quidam Sergius, quem pro Sancto venerantur, prandente apud ipsum Demetrio M. Duce, eorum prolatione verborum, dæmonem ab cella fugârit. Biduo pòst majore, quàm vellent, pompâ ad conspectum Magni Domini oculorum (ita gens loquitur) admissi sunt. *Sacchin. hist. Soc, p. 5. lib. 1. n. 122.*

P. Possevinus Legatus in Poloniam & Moschoviam.

2. In Italia anno 1566 in Monte Politiano, patriâ Card. Bellarmini, memorabilis contigit obitus civis Politiani, qui ante annos aliquot confictis calumniis & in ementita Societatis veste patratis flagitiis, ita deformaverat Socios ibi degentes: ut maluerint ultro excedere, quàm civibus suspecti, fructuosè ibi vivere. Triennio post abitum Patrum, calumniator ille post graves, quibus afflictus, ac ad incitas fere redactus est, calamitates, ad mortis fauces pervenit: sed per complures dies cum illa miserrimè luctatus, absorberi non potuit. Rediit ergo, DEi benignitate, ad saniorem mentem intelligensq; supplicium hoc sibi immissum propter falsissimas Patrum criminationes, complures præcipuorum civium advocari curavit, & coram iis disertè detectâ malitiâ suâ, atq; illorum innocentiâ, exspiravit. Indoluerunt boni cives facilitati suæ ad credendum, multisq; conatibus repetierunt Patres, sed non citò impetrârunt. *Sacchin. p. 2. hist. Soc. lib. 7. n. 25.*

Calumnia detecta.

Eodem die obierunt.

Dominus famulo subjectus

3. Hispali anno 1575, P. Consalvus Esquiel, Hispanus. Societatem unà cum famulo ingressus est, sed quem mox sibi præpositum vidit. In tyrocinio enim famulus jussus est Coquum agere, Consalvo ipsius & culinæ obsequiis applicato. Cùm inter labores animum non posset satis colligere, & ad divina elevare, propter obstrepentes vicinas gallinas: à P. Rectore jussus est illas adire, & aperto capite rogare, ut DEI amore conticescerent. Fecit id obedienter ac humiliter Consalvus: & gallinæ in momento conticuere, stupente Consalvo, & præsentibus Sociis.

Obedientia prodigiosa.

4. Aureliaci in Gallia, anno 162 , P. Ioannes Franciscus Martincurtius, Gallus. Sæviente in Gallia peste integro triennio, cùm Socij impigri accurissent ad miseros juvandos, omnino quadraginta ex illis eadem lue extincti sunt; quorum primus fuit P. Ioannes; opimum certè mortis spolium, quia magnæ animæ fuit. Viginti quinq; carbonibus pestiferis ictus, mortem oppetijt in obsequio, quod ardentissimis ad P. Provincialem datis literis expetierat, velut in expiationem peccatorum suorum, sed magis in pabulum incendij, quo eum charitas torrebat.

Victima charitatis 40.

5. Calissii in Polonia, anno 1639, Ladislaus Czaplinski, Polonus. Eximia religione ferebatur in Ven: Eucharistiam, crudo autem rigore in corpus suum. Inter alias pias industrias utebatur istâ ad facile eliciendos pios in DEum affectus. Alphabeti literas pronunciabat, & singulis Psalmum ab eadem litera incipientem, vel versum aliquem Psalmi subjungebat. Quæ devotio illi magno adjumento fuit in morbo supremo. Auditus est persæpe ingeminare: *O si me omnesq; corporis & animi mei vires distillare possem vel in unam guttulam gustûs & beneplaciti Majestatis Divinæ!*

Alphabetica dispositio ad versum.

XIX. AUGUSTI.

Facultas gradus conferendi

1. ANno 1561 Pius IV confirmavit & extendit facultatem à Julio III concessam, conferendi in Collegiis Societatis Scholaribus suis idoneis gradus in Artibus & Theologia: utq; etiam in illis Collegiis, quæ sunt membra Universitatum, conferri possent: insuper iterum exemit Societatis Collegia & Domos à qualibet decimarum & impositionum solutione. *Bullar. Soc. Constitut. Exponi nobis nuper &c.*

Exemptio à decimis.

2. Anno 1602 habita est Congregatio & disputatio VII de Auxil. Grat. coram Clemente VIII. Examinata hæc Propositio Molinæ ex disp. 14. memb. 3. *Homo solis viribus naturalibus, & concursu generali DEI, elicere potest actum absolutum, merè naturalem, dilectionis DEI super omnia, qui ad justificationem nequaquam sufficiat; & propositum absolutum servandi in genere præcepta omnia; præsertim quando occasiones omnes & difficultates absunt; quod ad attritionem & contritionem quo ad substantiam actus sit sufficiens.* Respondit Gregorius de Valentia: Molinam secutum esse S. Thomam, & alios plerosq; Doctores Scholasticos antè citatos: deinde non docuisse, naturalem illam dilectionem esse efficacem; quæ scilicet faciat

Dilectio naturalis inefficax.

re ipsâ observare omnia mandata etiam naturalia; sed inefficacem, & vi cujus, data occasione peccandi, non sequatur observantia mandatorum, nisi voluntas aliunde juvetur: ut patet ex ipso citatæ disputationis Molinianæ contextu. *Eleuther. hist. de Auxil. lib. 5. c. 10.*

Eodem die obierunt.

3. Macai, in Insula Sinis vicina, anno 1583, P. Melchior Carnerus, Episcopus Nicænus. P. Barreto Æthiopiæ Patriarchæ datus comes, cùm in Æthiopiam penetrare non posset; in Insula Macaensi & locis vicinis Apostolatum suum exercuit. Contra Nestorianum Episcopum Armenum egregiè rem gessit, licet magno capitis sui periculo; sagittâ appetitus, quæ pileo perforato capiti non nocuit. Episcopus consecratus, non solùm de Societatis consilijs audiendis votum vovit; verùm etiam de redeundo ad Societatis plenam obedientiam, ubi & quando id per summum Pontificem liceret.

4. Bivonæ in Italia, anno 1614, P. Barnabas la Vecchia, Italus. Suavissimus in alios, rigidissimus in se ipsum; cibus illi nullo sale conditus, nulli arborum fructus per annos plures gustati, flagella multo sanguine cruentata, thorax cilicinus semper gestatus, brevis humi somnus. Non unam de impudicis fœminis retulit victoriam. A morte cujus diem prædixerat, Procuratori solicito de quodam chirographo, apparuit, locumq; ubi depositum erat, monstravit. Amicum verò religiosum in Spiritu languentem, ad fervorem insignem excitavit illis verbis: *Vtinam saperent, & intelligerent, ac novissima providerent!* *Gula mortificatio.* *Novissimorum recordatio.*

5. Hispali in Hispania, anno 1584, Rodericus de Flores, Coadjutor, Hispanus. Orationem in multam, subinde in totam noctem extendebat, visus non semel in mentis excessu, & à terra sublimis; qui situs & excessus aliquando illi contigit feria V. hebdomadæ majoris, ab occasu solis, ad ortum alterius diei, ita; ut nullus illum movere posset, vel brachia ante pectus in modum crucis composita flectere. De divinis digna Theologo loquebatur. Licet autem incredibili orandi studio teneretur: nunquam tamen orationis gratiâ aliquid decerpebat de tempore laborandi, aut alia munia exercendi. *Oratio prolixa & extatica.* *Oratio non subtrahat tempus labori.*

XX. AUGUSTI.

1. EManavit anno 1602 Decretum Clementis VIII, quo sub diro anathemate prohibuit sententiam: quòd absenti Sacerdoti fieri possit per literas confessio peccatorum, & ab eodem absente dari absolutio. Multum ex hac Pontificia censura voluptatis cepit P. Franciscus Suarez, Theologicis lectionibus Conimbricæ in Lusitania tunc intentus, quòd oraculo Vicarii Christi id probaretur, quod ipse Compluti & Salmanticæ docuetat; scilicet irritum esse inter absentes Pœnitentiæ Sacramentum. Cùm igitur ipsiul Tomus quartus (qui est de Pœnitentiæ Virtute & Sacramento) in tertiam partem D. Thomæ plane tunc sudaret sub prælo, voluit doctrinam suam eo Decreto roborare. Addidit autem disp. 21, sect. 4. Non *Pœnitentiæ Sacramentum inter absentes irritum.*

ideo

ideo tamen videri sibi à Pontifice interdictum; quominus præsens Sacerdos moriturum quempiam, sensibus jam destitutum, sed qui idoneis signis antea Confessarium petiisset, vel alia Christianæ pœnitentiæ argumenta dedisset, absolvere possit. Delata ea interpretatione ad Clementem, indignatus non leviter est; se vivo Decreti sui interpretem inventum esse: jussitq; è Tomo Suarii eam interpretationem expungi. Non potuit non graviter tangi Author eâ censurâ, fecit tamen obedienter Pontificis voluntatem: quamvis non nesciret, interpretationem suam conformem esse & S. Leonis Papæ doctrinæ, in ep. 95 ad Theodorum, & Conciliis, Arausicano I, Carthaginensi III & IV, & communi sensui Theologorum. Firmavit Suarii sententiam Paulus V. Successor Clementis, quando in Rituali suo edito voluit, sic procedi cum talibus moribundis. *Massejus in Vita Suar. pag. 96. & antecedentibus.*

Litera Episcopi Viln. ad Card. Hosium & Patres Brunsbergenses

2. In Litvania Illustrissimus Episcopus Vilnensis, Valerianus, anno 1568 literas officiosissimas, & pastorali curâ plenas dedit ad Cardinalem Hosium Episcopum Varmiensem, petendo: ut quod sibi dederat consilium, de advocandis, & collocandis in Diœcesi sua Patribus S. J. ad reprimendas & extirpandas hæreses, exequi non gravaretur, missis è diœcesi sua uno & altero è Patribus, cum quibus agi possit de fundando Collegio. Similes dedit ad Patres Collegii Brunsbergensis, curru etiam adjuncto, qui sine mora adveheret unum & alterum. Sed quàmvis hic & nunc ardentibus optimi Præsulis desideriis satisfieri non potuerit; satisfactum tamen paulò pòst. *Sacchin. hist. Soc. p. 3. lib. 4. n. 180.*

Eodem die obierunt.

Ex Christo crucifixo notitia DEI.

3. In Hispania anno 1600 P. Thomas de Soto, Hispanus, DEiparæ V. & Christi Salvatoris conspectu frequenter recreatus. Vidit hunc sub specie jam gratiosissimi Parvuli, jam Viri spinis coronati, aut Crucifixi. Aliquando cùm ardentiùs peteret perfectiorem DEi notitiam; ostensus est illi Christus Crucifixus.

Ad somnū dispositio singularis.

4. Oeniponti in Tiroli, anno 1650, P. Wolfgangus Graveneus, Germanus: Cùm provinciam regeret, orando potissimùm sibi comparabat vigorem & robur ad agendum non minùs fortiter quàm suaviter. Ad somnum se componens, quodam Extremæ Unctionis imitamento singulos sensus suos expiabat, se signans & dicens ad singulos: Per istam S. Crucem, & suam piissimam misericordiam, indulgeat mihi Dominus, quidquid memoria, intellectu, voluntate, visu, auditu &c. deliqui. Supremo vitæ biennio Iobo erat similis tum ob varietatem & gravitatem morborum, tum ob invictam semperq; tranquillam patientiam.

Nobilitas humilis.

5. Leodij in Germania, anno 1617, Guilielmus Brunus, Coadjutor, Anglus. Per annos 14 & amplius duas quotidie horas dabat ollis in culina purgandis, & si quid his domi abjectius erat: quàmvis illustrissima domo natus esset. Terram in sporta humeris porta-

portare, hortulum colere, ſimulq; Thomam Kempenſem lectitare, vel orationem laboribus miſcere perpetuum illi fuit. Deſudanti cùm incidiſſet cogitatio de præmio ſeu mercede cæleſti; repoſuit: *De cælo fiet, quod DEo videbitur: ego verò quæro DEo placere, ac facere, quod ejus voluntati placeat.* Obijt cum B. V. officio in manu, Corona in collo, IESU in ore.

Placendi Deo ſtudium.

XXI. AUGUSTI.

Naufragium in portu.

1. ANno 1573 luculentum ſubſidium rei Chriſtianæ expeditum fuit in Japoniam. Cùm Chriſtianis numeroſiſſimis per tota regna ſparſis, vix octo adeſſent Sacerdotes, qui & illos excolerent, & ethnicis convertendis darent operam: Conſaluus Alvarez Viſitator, cum 4 Sociis Macao ſolvit in Japoniam: ſed ut ſunt judicia DEI abyſſus multa, in conſpectu portûs luctuoſiſſimo naufragio interierunt omnes, cum ſeptingentis aliis, qui eadem navi vehebantur. Calamitatem auxit ingens mercium jactura, quæ ad ſexcentorum millium aureorum dicuntur aſcendiſſe. *Sacchin. hiſt. Soc. p. 4 lib. 1. n. 145.*

Navigatio P. Spinolæ infelix.

2. Vix majore uſus felicitate P. Carolus Spinola in ſua Japonica navigatione. Inprimis enim cùm tendendum eſſet in Indiam Orientalem, tempeſtate abreptus eſt in Braſiliam; è Braſilia repetito curſu delatus eſt in inſulam quandam Boriquena & Portonico dictam, longè extra viam Indicam ſitam; inde navigatione repetita, incidit in claſſem Anglicanam, à qua hoc die captus ductus eſt in Angliam; ubi præſidio illi fuit, quod nec Hiſpanus, nec Luſitanus, ſed Italus eſſet. Dimiſſus ergo, rediit Ulyſſiponem in Luſitaniam iterum ſoluturus in Japoniam. *Ambroſ. Spinola in Vita cap. 5. & ſeqq.*

P. Poſſevinus Legatus Pontificius in Moſchovia.

3. In Moſchovia anno 1581 P. Antonius Poſſevinus, Legatus Pontificius, in conſpectum Magni ducis admiſſus eſt. Aſſurrexit confeſtim Senator primarius, & more genti uſitato, Maxime princeps, inquit, Antonius Poſſevinus & comites ejus, humum tibi fronte feriunt. Tum continuò dux, ut valeat Gregorius Papa, interrogat: & Pater; Ita DEus Serenitatem tuam ſervet incolumem. Dein juſſus mandata exequi, ut magnificentiorem & ipſe Pontificis appellationem faceret, *Sanctiſſimus*, inquit, *Dominus noſter, Papa Gregorius XIII, Univerſalis Eccleſiæ Paſtor, Chriſti in terris Vicarius, S. Petri Succeſſor, multarum regionum terrarumq; Dominus, Servus Servorum DEi, amantiſſimè Serenitatem tuam ſalutat, eiq; benedictionem precatur.* Surrexit Dux ad Pontificis nomen, ſtetitq; tam diu, dum gratias egit. Tum aſſidens, tu verò Antoni, inquit, rectène equitaſti? Rectè, inquit ille, DEi gratiâ; quodq; in Serenitatis tuæ obſequium

cedat. Inde Ducis ac ejus filii dexteram osculatus, tradere jubetur Secretario literas, & munera allata. Quo loco modestia gentis se prodidit. Inter cætera dona ferebatur picta DEiparæ effigies, raræ artis opus; ea tamen tradita non est, quòd rescîsset Possevinus, gratam non fore; quòd in sinu Virginis resideret parvulus JESUS nudus, quem Baptista puer adorabat, similiter nudus. Faciunt hæc Itali in artis ostentationem, sed prudentiùs dedignantur Moschi. Inde progressi sunt ad convivium, sermones familiariter misti de Superiorum Ducum Moschoviæ legationibus ad Pontifices &c. Sed deniq; Legationis eventus non respondit spei, & promissis. *Sacchin. hist. Soc. p. 5. lib. 1. n. 125.*

Eodem die obierunt.

Fuga Prælaturæ obstinata.

4. Romæ anno 1660, P. Joannes de Lugo, S. R. E. Cardinalis, Hispanus, unus è principibus Theologiæ, docuit illam primùm Vallisoleti annis 5, deinde Romæ annis 20, tanto ingenij splendore ac laude: ut scripta ejus amanuenses plures, ac postea typographos locupletarint. Nec minor religiosa virtute, quàm doctrinâ fuit. Utriusq; excellentiâ motus Urbanus VIII Pont: Max. in purpuratum Ecclesiæ Senatum eum adlegit, tam solidè reluctantem; ut humilis ejus constantia Pontifici jam subirato, obstinatio videretur. Unde adjecit: Parendum esse præcepto. *Id enim omnino per præceptum formale & formalissimum obedientiæ mandamus* Jam Cardinalis, cavebat intentè, ne quid admitteret, quod Religiosum Cardinalem non optimè deceret. Societas illi perpetuò & sincerissima cum reverentia, amata; voluitq; semper sibi adesse Fratrem Coadjutorem, non ut famulum, sed ut Socium & vitæ testem. Nunquam in ullam gubernationis partem, quo ad Societatem se intromisit Cardinalis, neq; authoritate sua usus est, ad quidquam ulli à superioribus impetrandum. Memoria illius Societati est in benedictione.

Societatis amor & reverentia.

Litaniarum utilitas.

5. Senis in Italia, anno 1571, P. Hieronymus Rubiola, Hispanus. In rei familiaris angustiis, cùm Senense Collegium gubernaret, rogatus; quid ageret ad illud juvandum? Respondit: se Litanias cum suis multiplicare, & DEi opem experiri. Cùm nec panis domi superesset; adiit hominem Societati non satis æquum, & interposito divini amoris nomine, petiit ab eo sibi dari in tantæ inopiæ levamentum aureos quinquaginta. Miranti illi, & interroganti; an nesciret, quàm alieno à Societate esset animo? reposuit humiliter: se quidem id probè scire; sperare tamen; ipsum DEi causâ vel illis benefacturum, quos amicorum loco non habuisset hactenus. Quæ tam ingenua fiducia ita homini arrisit: ut & petitam summam liberaliter promeret, ac largiretur; & deinceps P. Hieronymum fidenter petere juberet, quod necessitas postularet.

Mendicandi ars nova.

Cilicium utiliter gestatum.

6. Mussiponti anno 1616, P. Guilielmus Murdochus, Scotus. Ministrum cùm ageret Collegij Parisiensis, à petulantioribus Academicis in secreta domo circumventus, jussus est illico terga nudare ad flagra. Libenter se id facturum Christi causâ dicens P. Guilielmus, fecit imperata. Et ecce cilicinum in illo thoracem sub indusio conspicati lorarij, furore in reverentiam verso, ad pedes illius accidêre, veniam petentes. Multa inScotia egit tulitq; pro re Catholica.

XXII.

XXII. AUGUSTI.

1. CUm classis Lusitana anno 1555 à Mozambico, Africæ portu, solvisset in Indiam, navis quædam, quæ tres è nostris vehebat & cæterorum capita ad 240, per tenebras noctis hodiernæ incidit in syrtes ita, ut malè quassata cursum repetere non posset. Ægrè eluctata, appulsa est ad sterilem quandam & desertam insulam. Ibi navarchus relicta navi, cum præcipuis 30 viris conscenso lembo, propè furtim evasit, Goam versùs navigaturus, atq; inde reversurus cum navigiis ad deportandos Socios relictos. Ex his quidam magis industrii, desperantes de reditu navarchi, ex residuis navigii tabulis ratem sibi confecerunt, quam *Misericordiam DEI* appellârunt, eâq; conscensâ, quadraginta quinq; capita ventis ac mari, sed potissimùm Misericordiæ DEi, sese commiserunt. Invitarunt in Societatem itineris & Patres nostros: sed illi extrema quæq; pati maluerunt, ut relictæ turbæ solatio & præsidio essent, quàm contra charitatis & vocationis suæ leges, exitio se eripere in tanto proximorum discrimine. Nonus jam effluxerat mensis, annona defecerat, non pauci inediâ extincti erant; nec ulla subsidia apparebant vel à Goam dilapsis, vel ab aliis, qui rate Misericordiæ Divinæ profecti sunt. Ergo iterum nonnulli ex fragmentis tabularum, quæ fluctus ad insulam compulerant, ratem novam moliuntur, non quidem spe Indiam attingendi, sed studio explorandi, an non inciderent in feraciorem aliquam insulam. In hanc ratem viri triginta & unus se receperunt, urgentes; ut etiam Patres nostri solatio & subsidio ipsis futuri, sese adjungerent. Præstito assensu ab iis, qui remanebant, abiêre: sed cum alterum jam mensem per Oceanum errâssent, & commeatus, qui exiguus erat, defecisset, nihil aliud quàm mortem in horas expectabant: cùm ecce pulcherrima apparet insula palmis vestita. Ad quam contendentes, propter altitudinem litorum excensionem facere nequiverunt; proinde ratem onere levaturi in vicinam sterilem insulam partem hominum cùm Patribus nostris exposuerunt: reliqui redeuntes ad priorem insulam ita palmarum fructibus sese repleverunt, prout fieri solet post diuturnam famem; ut cùm rediissent ad alteram insulam, omnesque in ea relictos, vidissent unà cum Patribus extinctos fame, etiam ipsi omnes, præter duos, oppletione stomachi sint extincti. Qui primi naufragorum conscenderant lembum, feliciter Goam pervenerunt, sed assumptis aliis navigiis cum commeatu ad deportandam relictam turbam, jam fame sublatam invenerunt. Alii qui in rate Misericordiæ Divinæ navigârunt,

Navigatio infelix.

gârunt, Cocinum tandem appulsi sunt, sed cadaveribus quàm hominibus similiores. *Orlandinus p. 1. hist. Soc. lib. 15. n. 124.*

Eodem die obierunt.

Victima fidei. 2. In Amboino, Indiæ Orientalis regione, anno 1549. P. Nunnius Riberius. Lusitanus. Fidei prædicationem intrepidè multo cum fructu promovebat, etiam inter extrema pericula, jam incendij, jam naufragij. Deniq; à Saracenis propinato veneno contabuit, etiam extremo vitæ die concionatus ad populum; & cùm ire non posset, in linteo delatus ad infirmos.

Infirmorum cura accurata habenda. 3. Tornaci in Belgio, anno 1556, P. Bernardus Olivarius, Belga, Vocationis suæ in Societatem unicè amans. Cùm enim Ministrum ageret Collegij Romani, & S. P. Ignatius ægro cuidam certum pharmacum dari jussisset: Bernardus id valetudinarij ministro commisit; hic per inconsiderantiam neglexit. At Ignatius more suo noctu ægrum invisens, & medicinam illi non prorrectam intelligens; Bernardum tanquam inobedientiæ reum, ipsa nocte domo excesse jussit. Exivit; sed intra extimas fores perstitit perseveranter, donec à S. Patre, constantiam laudante iterum admitteretur. *Vocationis tenacitas.* Postea tam insigni exemplo vixit, ut brevi Rector Collegij Romani fuerit designatus.

4. Bracciani in Italia, anno 1626, Alexander Ursinus, S. R. E. Cardinalis & dux *Societatis amor ingeniosus.* Bracciani. Societatem unicè adamavit, & ardenter expetijt; sed cùm illam relicta purpurâ & ducatu, ingredi prohiberetur: invenit temperamentum, quo ardentibus votis suis satisfaceret. Dedit ad Mutium Vitellescum, Præpositum tunc Generalem, literas, quibus se penitus, quoad dignitas Cardinalitii Ordinis patiebatur, Societati dicavit; receptusq; sub eadem moderatione, vota Societati consueta emisit, & vixit deinceps religiosissimè; ut unus è nobis, adscriptus Provinciæ Romanæ. Semper honesti & probitatis studiosissimus, ab eo tempore longè ampliores sanctitatis radios spargere cœpit, proximis juvandis intentissimus, atq; in condonandis injuriis planè *Bellarmini imitatio.* admirabilis. Cor suum sepeliri voluit in templo Domus Professorum Romæ prope sepulchrum Cardinalis Bellarmini, quem sibi, tanquam absolutam sanctitatis effigiem, imitandum proposuerat. *Ex Tannero*

Vita austera 5. Tricierapoli apud Madurenses, in India Orientali, anno 1656 P. Emmanuel Martius, Lusitanus. Ne cederet quoad vitæ austeritatem sacrificulis Madurensium, per annos 31, omni carne & pisce abstinuit; prandium ei dabat milium tostum, cœnam placentula ex milio; prout de die vestitus incedebat, ita noctu somnum capiebat; quater pro fide prædicata in carceres conjectus, bis atrociter vapulavit, quater inter publica ludibria civitatibus ejectus, ipsam quoq; mortem, post labores fructuosissimos, inter ærumnas opperiit quàmvis inter Socios. In tota enim Resideutia loci illius tantæ fuerunt Sanctæ Paupertatis divitiæ: ut cervical inveniri non potuerit, *Paupertas rigida.* quod moribundo subjiceretur. *Sotvellus in bibl. Soc.*

XXIII. AUGUSTI.

An chorus inducendus in Societatem. 1. IN Congregatione I. Generali anno 1558, post felicem Lainii electionem in Præpositum Generalem, jussu Pontificis Pauli IV deliberari cœptum: an conveniat Societatem suscipere Chorum, & Generalem habere

bere non perpetuum, ſed triennalem tantùm? Mirati Patres, quòd Pontifex rem probatam, & confirmatam à Prædeceſſoribus ſuis Paulo & Julio, iterum in dubium & deliberationem vocet, præſertim cùm ipſe ante electionem intimârit, ſe propendere potius in Generalem perpetuum: fecerunt tamen obedienter imperata. Re diligenter DEo commendata, poſt inſtitutam hodie & poſtridie deliberationem, nemine diſcrepante viſum eſt omnibus, nihil eſſe innovandum. Ut mentem Congregationis Pontifici declararent, miſſi Lainius ipſe & Salmeron: qui illum graviter offenſum repererunt, & acri oratione excepti ſunt, præſertim quod Chorum nollent: ſed mox prudente Lainii reſponſione placatus eſt: nondum tamen à ſententiâ amotus. *Sacchin. hiſt. Soc. p. 2. lib. 2. n. 55. &c.*

Eodem die obierunt.

2. In Hollandia, anno 1651. P. Jacobus Sluyskens, Belga, Miſſionarius intrepidus, & indefeſſus. Fidei ipſius vigorem & virtutem mirati ſunt ipſi hæretici, quando fulmine incenſa turris Amorfortienſis, ipſi civitati exitialis fuiſſet, niſi P. Iacobus interveniſſet: qui modicâ Aquâ benedictâ incendio inſperſâ ita illud oppreſſit; ut ne fumo poſt ſe relicto, fuerit abſorptum. *Aqua benedicta contra incendium.*

3. Muſſiponti in Gallia, anno 1622, Joannes Domyne, Gallus. Mores omnes, ac linguam potiſſimùm ad amuſſim Legum noſtrarum compoſuerat; cùm immatura morte raptus eſt, non ſinè communi opinione virtutis ordinariam ſupergreſſæ: Auxit hanc quidam è Scholaſticis noſtris Theologis propediem à Societate ſeparandus. Arcano enim inſtinctu impulſus, ad mortui Joannis cadaver acceſſit, illudq; complexus, profundo animi ſenſu in hæc erupit verba: *O bone adoleſcens, trahe me poſt te.* Eodem enim die fatali morbo correptus, paucis pòſt diebus piè admodum ac religioſè in Societate deceſſit. *Dimittendus à Societate.*

4. Vilnæ in Litvania anno 1631, P. Conſtantinus Syrwid, Litvanus. Vitam egit quàm innocentem, perpetua Virginitate floridam, & ſtudio perfectionis religioſæ eximiam: tam laborioſam. Inter labores Scholaſticos, explanandæ Sacræ Scripturæ addictos, diebus feſtis manè ad populum in templo Collegii dicebat Litvanicè, mox in templo Cathedrali Polonicè coram Canonicorum Capitulo; deniq; poſt meridiem in Eccleſia Domus Profeſſæ Lectionem ad confertum auditorem de S. Scriptura habebat. Monitus, ne nimio zelo & labore valetudinem iret perditum, egregiè reſpondit: *Quorſum mihi valetudo, niſi ut laborem?* Soutvell. in bibl. Soc. *Operarius laborioſus.*

XXIV. AUGUSTI.

P. Petrus Faber anno 1544 pervenit Ulyſſiponem in Luſitania; cumq; ibi Regem non reperiſſet; Eboram ubi aula erat, ſe contulit, paucisque diebus ita ſe regi probavit, ut apud ſe hominem detinere decreverit. Excurrit Pater ſubinde Conimbricam: ubi Joannem Nunnium, virum eâ prudentiâ & probitate præditum, ut paſſim *Sanctus Abbas* diceretur, in *Ioannes Nunnius adlegitur Societati.*

Societatem adlegit, quàmvis antè alienum ab ea. Conatus fuerat P. Melchior Nunnez, frater germanus, illi Societatem persuadere, sed effecit nihil. Faber primo congressu hominem expugnavit, sed jam antè per visionem subactum, & monitum; ut Conimbricam se conferret, à Fabro, qui in visione illi monstrabatur, edocendus, quid sequendum foret. In Societate eam vitam egit, ut post non multos annos Æthiopiæ Patriarcha sit creatus. *Orlandin. hist. Soc. p. 1. lib. 4. n. 138.*

Carigij appetunt baptismū.

2. In Brasilia suscepta est anno 1554 expeditio ad Carigios à tribus Sociis Petro Correa, Joanne Sosa, & Fabiano. Sunt Carigii interioris Americæ populi, docile ac mite genus hominum; qui cùm audissent de Christianæ Religionis legibus, illius desiderio ita exarserunt, ut ad P. Nobregam Brasiliæ Provincialem missis nunciis, petierint erudiri & baptizari. Sed cùm piis ipsorum votis hic & nunc satisfieri non posset, dilationis impatientes, non dubitarunt ducenti, & ampliùs eorum, periculoso itineri, à sexcentis passuum millibus, se committere, ut sacro fonte expiari possent. Verùm à Tupinaquinis barbaris intercepti trucidatiq; compendio iter ad cœlum absolverunt. Correa nihilominus cum Sosa, relicto Fabiano ad curam infirmi cujusdam Hispani, prosecuti sunt iter suum: verùm & illi eodem fato sunt involuti, mactati à Carigiis, concitatis à quodam Europæo, quod ei pellicem abstraxisset Correa. Facinoris immanitatem exaggerat: quòd paulò antè eundem Europæum jamjam mactandum & devorandum à Brasilis, liberârit Correa è faucibus ipsorum. Sed plus potuit in homine amor pellicis, quàm obligatio gratitudinis. *Orlandinus hist. Soc. p. 1. lib. 14. num. 121.*

Eodem die obierunt.

Crucifixi Imago illustrat.

3. In Missione Peruana, anno 1609. P. Ioannes Perez, Hispanus. Ea sedulitate & charitate in nosocomio DEo pauperibusq; serviebat; ut profusis è latere simulacri sui radijs, Christus illum largè illustrârit.

Venator barbarorum.

4. In Brasilia apud Carrigios, anno 1554. Petrus Correa, Coadjutor, Lusitanus. Ante initam Societatem ductor militum, feros & antropophagos Brasilos singulari industria venabatur, capiebat, & in servitutem vendebat. Societatem ingressus, idem præstitit, sed meliore & altiore fine; ut scilicet illos Christo manciparet. Homines e populis barbaris destinatos, ipsis annuentibus, clam dextrè baptizabat, aquâ è strophiolo expressâ. Cum Ioanne Sosa ad Carrigios missus, ibi rem Christianam multo labore ac ingenio promovit insigniter donec post abstractam cuidam è conversis pellicem, à barbaris ab ipso concitatis, sagittarum imbre obrutus uterq;, interijt.

5. Ulyssipone in Lusitania anno 1614 Bartolomæus Alvarus, Coadjutor, Lusitanus. Diligentissimum egit Sacristam, tam in conquirendo, quàm decenter asservando apparatu sacro. Ægris præterea mira charitate servivit totis 40 annis. Cùm

externus quispiam nauseante stomacho sacrum Viaticum ejecisset, Frater Bartholomæus tam obsequentem habuit stomachum suum: ut divinum illud epulum cum circumfusis sordibus intrepidus hauserit. In Japoniam deniq; destinatum cùm Japoniæ Episcopus Sebastianus Morales, sacris eum Ordinibus initiare contenderet: perstitit ille immobilis in gradu suo; securior in humili.

S. Viaticum ejectum sumitur

Humilitas.

XXV. AUGUSTI.

1. IN prima Congregatione Generali inter cætera propositum fuit, de Forma Votorum simplicium, quæ post Professionem solemnem, juxta Constitutiones emittenda sunt; an executioni mandanda esset, & Vota hujusmodi emittenda? Placuit Congregationi Formula, & executio indicta est in festum S. Bartholomæi, quod in urbe celebratur 25 Aug. qua die à prandio omnes Professi vota illa emiserunt coram Præposito Generali, in ipso loco Congregationis. *Decret. 102. ejusdem Congr.*

Vota simplicia post Professionē emittuntur.

2. Anno 1617. Paulus V Pont. Max: cùm informante Octavio Episcopo Forosemproniensi, intellexisset; quantùm P. Franciscus Suarez laborârit in Lusitania pro Sede Apostolica, in gravi dissidio Status Politici ab Ecclesiastico, scripto etiam erudito Libro de immunitate Ecclesiastica; hanc ad eum Pontifex non vulgaris existimationis & benevolentiæ dedit Epistolam. Significavit nobis Venerabilis Frater noster Octavius, Episcopus Forosemproniensis, & in istis regnis Collector: quæ tu de controversia inter eum & Magistratus sæculares (pacis adversario instigante) nuper exortâ, responderis; & scripta etiam misit, quæ ut tuæ multæ doctrinæ & pietati consentanea sunt, ita fuerunt nobis maxime grata. Quamobrem operam tuam, ut debemus, laudamus; teq; in Domino hortamur ut DEI honori, atq; Ecclesiæ suæ (in qua tantùm divinâ gratiâ emines) libertati inservire pergas. Novimus enim, quantum tua authoritas ad extirpanda zizania valeat. Quod etsi futurum non dubitamus: tamen nostram Apostolicam benedictionem impertiendi, & paternam in te charitatem commemorandi occasionem nacti, officio nostro deesse non potuimus. Retribuat tibi Dominus laborum tuorum mercedem &c. *Maffejus in Vita cap. 22.*

Pauli V epistola ad P. Franciscum Suarez.

3. P. Joannes Bapt. Alexandrius militiam & castra fuerat secutus adolescens. Inde conversus ad privatum de morte fratris dolorem ulciscendum armis, inimicum diu investigatum tandem assecutus, & jam sublato gladio mactaturus, supplicem accidere sibi ad genua cernit, vitamq; interposito JESU nomine deprecari. Repressit se, ac deprecatione tanta victus,

Inimicis venia data lucrosa.

ctus, veniam inimico lubens & vitam concessit. Statim DEo facinus egregium remunerante, profanam abjicere militiam, & sanctiora Societatis arma induere decrevit. In sacrum igitur adscriptus agmen Anno 1560. duos & 20 annos natus, post varia munia rectè prudenterq; gesta, & quinquennium in Perusino Collegio regendo collocatum, totum se contulit ad excolendos Collegii Romani studiosos adolescentes. Amplius quingenti eo magistro vitam religiosam, Societatem etiam complures, amplexi sunt: iiq; omnes tam bene lecti, ut à DEo vocatos nemo non cognosceret; ac P. Alexandrium peculiari luce collustratum esse divinitus ad eam rem, fama prædicaret. Si quis externus operam Sacerdotis expeteret intempesta nocte, nunquam non præstò erat: cumq; aliquando à Ganeone per ludibrium evocatus, ac per totam civitatem frustra circumductus fuisset,

Illusor punitus

non inultam profanus ludio procacitatem tulit ante ipsas Collegio fores in rixa nocturna confossus, & sacerdotem, à quo expiaretur, frustra inclamans, *Juvencius fol. 786.*

Eodem die obierunt.

Oratio efficax

4. Laureti in Italia, anno 559, P. Cornelius Vishavæus, Belga, vir magnæ obedientiæ, orationis & mortificationis. P. Petrum Fabrum ut Lovanij retineret, febrim illi dicitur à Christo impetrâsse: pro eodem sanando jussus orare fecit; & Faber convaluit. In Belgio & Sicilia dictus est DEiparæ Paranymphus; quòd mirâ verborum efficaciâ plurimas Christo sponsas in cœnobia adduceret, Domino subinde cooperante etiam prodigiosa virtute.

Paranymphus Deiparæ.

5. Romæ anno 1590. P. Jacobus Miro, Hispanus, orandi assiduitate, & mortificationis asperitate memorabilis. Ad orationem se componens, abdebat se in angulum, vel abjiciebat sub mensam, tanquam non inveniens, ubi compareret coram tanta DEi Majestate. Præter cilicinum thoracem perpetuum, ferrea catenâ tam arctè lumbos adstringebat: ut non sine periculo eximi potuerit. Ipsi P. Everardus Mercurianus, Præpositus Generalis, commisit curam, conficiendi ex Constitutionibus S. Patris Summarium, & Regulas concinnandi.

Oratio humilis.

Summarium Constitutionum.

6. Omuræ in Japonia, anno 1-24, P. Michaël Carvalius, Lusitanus fidei causâ post tredecim mensium carcerem, combustus. Ad mortem ductus, palum, cui alligandus erat, ipse portabat & cum Socijs Psalmos hilariter decantabat.

Victima fidei

7 Moguntiæ in Germania, anno 1595. P. Petrus Brilmacher, Germanus. Vir fuit magni animi, linguarum peritus, felicis eloquentiæ in conversione multorum; quàm charus orthodoxis, etiam principibus, tam invisus heterodoxis; quos cùm acriùs insectaretur, propinato ab illis veneno, quod nullis pharmacis domari potuit, sublatus est.

Victima fidei

8. Pechini apud Sinas anno 1666 P. Joannes Adamus Schall, Germanus Coloniensis, Insigni Matheseos, præsertim Astronomiæ, scientiâ, magnum in illo imperio comparavit sibi nomen, ita: ut Imperator ei commendârit Calendarij Sinici, cujus

Mathematic. insignis.

cujus ibi maxima æstimatio & usus est, emendationem. Ob eam feliciter confectam, titulo *Magistri arcanorum cælestium*, diplomate edito honoravit P. Adamum, supremum Tribunalis Mathematici Mandarinum seu Præfectum constituit; suum deniq; voluit esse Admonitorem, siquid circa regni administrationem occurreret suggerendum. Quo omni favore non ad privata sua commoda utebatur ille, sed ad Fidei propagationem, & fidelium defensionem: tantoq; studio cum Sociis rem promovit Christianam, ut annorum 14 spatio, ad centum millia & ampliùs, Ecclesiæ accesserint. Verùm defuncto Imperatore, & imperii curâ ad 4 Gubernatores delata, alia successit rerum facies. Quod enim diu presserunt odium, mox effuderunt in P. Adamum & Socios 5 Pechinenses, confictis criminibus & catenis novem singulos onerantes. Quamvis verò post sex mensium carcerem ærumnosissimum, pugnante pro innocentia cœlo, fuerint absoluti & liberati: P. Joannes Adamus septuagenario major, ærumnis illis ad paralysim antè contractam accedentibus, confectus occubuit. *Soutvell. in bibl. Soc.*

Fidei felix propagatio.

AUGUSTI XXVI.

1 P. Jacobus Lainez Præpositus Generalis Societatis, è Gallia redux anno 1562, jussus est à Præsidibus Concilij Tridentini, hac die sententiam dicere de Sacrificio Missæ, de quo diu multumq; disputatum fuerat. Verùm cùm eo die alii quidam verba fecissent, quò commodiùs, perq; otium audiretur Lainiùs, in diem posterum dictione dilata, totum matutini conventûs tempus illi uni attributum fuit. Nemo enim erat, quem non audiendi hominis mira cupido teneret; tum ob memoriam eorum; quæ egerat in eodem Concilio Pauli Juliiq; Pontificum temporibus; tum ob secundissimam famam recenter gestorum in Gallia. *Saechin. hist. Soc. p. 2. lib. 6. n. 80.*

P. Lainez jubetur sententiā dicere de Sacrificio Missæ in in Conc. Trid.

2. Anno 1618 perhonorificas literas dedit S. Franciscus Salesius ad P. Leonardum Lessium, quæ pro clypeo esse possunt doctrinæ ipsius contra æmulos. Attulit mihi, inquit, Paternitatis Vestræ literas dilectissimus nobis Magister Gabriel: quæ ut perhonorificæ, ita & jucundissimæ mihi fuerunt. Amabam jam pridem, imò etiam venerabar te nomenq; tuum, mi Pater; non solùm quia soleo, quidquid ex vestra illa Societate procedit, magni facere; sed etiam quia sigillatim de vestra Reverentia multa audivi præclara primùm, deinde vidi, inspexi, & suspexi. Vidi namq; antè aliquot annos Opus illud utilissimum de Justitia & Jure, in quo etiam breviter & luculenter difficultates illius partis Theologicæ, præ cæteris Auctoribus, quos viderim, egregiè solvis. Vidi postea Consilium, quod à magni consilii Angelo per te mortalibus datum est, de vera Religione eligenda: ac demum obiter vidi in Bibliothca Collegii Lugdunensis Tractatum

Epistola S. Fran. Salesij ad P. Leonardum Lessium.

de Prædestinatione. Et quamvis non nisi sparsim, ut fit, oculos in eum conjicere contigerit; cognovi tamen, Paternitatem Vestram sententiam illam: *Antiquitate, suavitate, ac scripturarum nativa auctoritate nobilissimam, de Prædestinatione ad gloriam post prævisa opera, amplecti ac tueri:* quod sanè mihi gratissimum fuit, qui nimirum eam semper, ut DEi misericordiæ ac gratiæ magis consentaneam, veriorem ac amabiliorem existimavi: quod etiam in Libello de Amore DEi indicavi. &c. *Eleuther. in hist. de Auxil. lib. 1. cap. 6.*

Eodem die obierunt.

3. Brunæ in Moravia, anno 1649, P. Martinus Stredonius, Silesius, celebris vitâ Sancta, & oraculo, quo prædixit Leopoldo I Imperatori glorioso, feliciter gerenda. Septennis, antequam primò Divinæ mensæ accumberet, tridui jejunio, ac propè inediâ, se præparavit. In Societate, dum Græcii studeret, Societatis Angelus dicebatur. Quidquid ageret, ita castigatè, ac religiosè agebat: ut Nissæ vocaretur *Ille Pater, ex cujus ore Angeli loquuntur.* Bruna contra Suecos feliciter propugnata & conservata, etiam Ferdinandi III Imperatoris sententiâ, Patris Martini precibus est imputata. Extremo vitæ quinquennio, singulis propè noctibus è lectulo se proripiebat, & ad DEiparæ V. iconem supplex provolvebatur; occupabatq; se tunc ejusmodi actibus, quales optabat in agone supremo. Visus subinde est inter orandum prope templum, in aëre sublimis, animo illuc trahente pondus corporis, ubi ipse DEo fruebatur.

Modestia Angelica.

Oratio fortissimum præsidiū.

4. Bivonæ in Italia anno 1611 P. Franciscus Miroldus, Italus. Tyrones ac veteranos ea suavitate rexit, ut matris loco sit habitus. Stipem studiosè humiliterque corrogabat, qua pauperes virgines in matrimonio collocarentur; & pro nosocomio jam collapso restituendo. Sodalitatem quoq; instituit pro animabus fidelium Defunctorum juvandis. Optavit eâ horâ mori, quæ Christo suprema fuit: & verò feriâ 6tâ sub idem tempus expiravit.

5. Barcinone in Hisp. anno 1589, Jacobus Mauritius, cum Sociis 5, in obsequio pestilente contagione laborantium, cecidit victima charitatis: quem eodem die, sed anno 1626, Heilgenstadii in Germania secutus est P. Joannes Kempis, unus è 5 Sociis, qui eo anno simili funere elati sunt.

XXVII. AUGUSTI.

P. Lainius in Concilio Trid. perorat.

1. P. Jacobus Lainius Præpositus Gen: sententiam dicturus in Concilio Trid. tanta sui æstimatione impleverat Patres & Principum Oratores: ut rarissimâ frequentiâ confluxerint; nullus è Cardinalibus Legatis, nullus ex Oratoribus, nullus omnino ex Episcopis aliisq; Præsulibus sit desideratus. Exorsus est ex assignato sibi loco dicere de SS. Missæ Sacrificio: sed cùm paulò remotior ab Legatis esset, ut clariùs audiretur, ad se accersitum, apud se locant. At sic ab inferioribus Episcopis ægrè audiebatur;

batur; qui cùm & ipsi sitientes haberent aures, suis relictis sedibus, propiùs accedere cœperunt. Legati ergo suggestum afferri, ac inter se & Episcopos collocari, atq; inde Lainium fari jubent. Dixit continuis horis duabus cum dimidia eo successu, ut divino Spiritu copiosiùs irroratum esse manifestè pateret, gravissimus ille Senatus, ex flore generis humani collectus, propè attonitus hæreret, omnesq; profiterentur: eum expectationem suam longè superâsse. Simili frequentiâ & approbatione etiam deinceps sæpius in augusto illo Senatu peroravit, eximiumq; Societati nomen comparavit. *Sacchin. hist. Soc. p. 2. lib. 6. n. 81.*

2. Anno 1590, Sixtus V Pontifex diem suum obiit, Societati valde opportunè. Ita enim exarserat in tollendum ei Nomen *Societatis JESU*, & mutanda quædam iu Instituto; ut nulla informatione, nulla Cardinalium interventione averti posset. Ut tamen hominum sermones declinaret: non per se, sed per ipsum Præpositum Generalem à se concepta exequi volebat. Mandat ergo Claudio Aquavivæ, ut literis ad Provincias datis, juberet omnes ab ea Societatis denominatione abstinere. Parendum fuit: sed priusquam eæ literæ expedirentur, formam illarum attulit Claudius (cui omnes morulæ in pretio erant) ad Sixtum, rogans: an ex mente suæ Sanctitatis conceptæ essent? Laudavit Pontifex obedientiam Claudii, probatasq; literas reposuit in scriniolo suo, oblitus, DEo ita disponente, urgere earum expeditionem ad provincias. Interim in Societate fervebant preces ad DEum: ne pateretur Nomen famulo suo Ignatio traditum ad insigniendam, quam ex ejus voluntate condebat, Religionem, abrogari. Audita videtur oratio: nam Sixtus intra paucos dies sublatus est; qui verò ei successit Gregorius XIV, insigni diplomate & Institutum totum & Nomen primigenium *Societatis JEsu* confirmavit, perpetuoque retinendum statuit. *Sacchin. hist. Soc. p. 5. lib. 10. n. 43. & seqq.* *Mors Sixti V.*

Eodem die obierunt.

3. Ferrariæ in Italia; anno 1575, P. Fulvius Androtius, Italus, viri severioris ac eminentis virtutis. Cùm apud Ferrariensem Ducem gratia polleret; utebatur illâ non ad commoda Collegii, cui præerat, sed ad animi illius profectum. Conscientias, quas regebat, non blandè palpabat, sed medica manu severius tractabat: Unde dicebant quidam: Si Pater Fulvius indulgentiùs agere seu nosset, seu vellet: aureum ipsius Collegium evasurum. Sed ille animas, non aurum volebat. *Erga pœnitentes rigor.*

4. In Philippinis Insulis, anno 1603, P. Melchior Hurtadus, Hispanus: quem Zebuanus Episcopus laudavit, ut virum doctrinâ & Apostolica virtute admirandum, atq; ærumnarum sitientissimum. Invenit harum sat largam copiam, tum apud pictos, ut vocantur, Indos, quos decennnio excoluit; tum apud Mindanaos, apud quos per *Ærumnarum sitis.*

annum gravi servitute pressus est, animo semper & ubiq; eminente.

Operarius strenuus.

5. Gerundæ in Hispania anno 1605 Joannes Naves Coadjutor, Hispanus, vir ad stuporem accuratus in omnibus negotiis & officiis, quæ hominum ejus gradûs propria sunt. Sive ad fabricam, sive ad currus agendos, sive ad hortum, sacristiam, valetudinarium aut culinam applicaretur: ubiq; cum quodam splendore virtutis operabatur. Cùm duos Sociorum contagiosa lues corripuisset: ipse utriq; diu noctuque aderat omni genere obsequiorum; factumq; ut tandem ulcera eadem, quæ alter in collo, alter in tibia ferebat, ipse utraq; in iisdem partibus contraheret. Videns autem Patres de se admodum solicitos, supplex procidit coram Reliquiis Sancti Patris nostri; viditq; multam ex illis lucem erumpentem, sibiq; circumfusam: qua ulcera sunt abstersa & sanitas reddita. Sed placuit DEo, operario strenuo non differre diu mercedem: post 15 dies redierunt ulcera, eumq; cœlo asseruerunt.

Vlcera sanantur ope S. Ignatij.

XXVIII. AUGUSTI.

Controversia de auxilijs gratiæ divinæ finitur.

1. Illuxit tandem dies, quo velut terminali lapide, finis impositus est acerrimæ liti, inter duas Religiosas familias ferventi, de Auxilijs Gratiæ Divinæ. Annis fere 10, ab Novembri anni 1597 ad 18 Augusti anni 1607 summo studio partium disceptatum fuit: donec post obitum Clementis VIII Paulus V Pont. Max. habita in monte Quirinali Congregatione Cardinalium consultavit de lite terminanda: non tamen definivit; quid in principali controversia, de doctrina Molinæ aut Prædeterminatione physica, sentiendum esset; sed finita Congregatione, Præfectis utriusq; Ordinis, scilicet Magistro Generali PP. Prædicatorum, & Præposito Generali Societatis JESU, dedit exemplar Epistolæ Encyclicæ, quam quisq; illorum expediret ad Provinciales sui Ordinis, & eiusdem observantiam omnibus strictè injungeret. Tenor hujus Epistolæ patebit ex ea, quam 5 Septemb. P. Claudius misit ad Provinciales Societatis, & recitabitur hic eo die. Summa est: Sanctitatem suam opportuno tempore declaraturam, quid sentiendum: interim licere partibus insistere doctrinæ suæ, sine qualificatione vel censura partis oppositæ. Hac ratione finis impositus est controversiæ diuturnæ: nec ampliùs aliquid proditum est, quid in Congregatione illa Cardinalium sit actum. *Eleuther. hist: de Auxil. lib. 6. cap. 28.*

S. Xaverij ope filiolus sanatus

2. In Calabria juramento testata est Anna Comitissa Æquacensis: se à S. Xaverio Potamiensi sanum recepisse deploratum filiolum, novem mensium; postquam illi voto promisit, se vestes parvulo curaturam illis similes, quibus Sanctus in terris quondam induebatur. *Ex lib. mirac. Potam. n. 234.*

Eodem die obierunt.

3. In Peruvia anno 1597, P. Michaël de Urrea, Hispanus, paupertatis & abnegatio-

gationis sui studiosus inprimis. Rectoris Collegii munus cum lacrymis deprecatus, angulum pro cubiculo habuit, in quo ob loci humilitatem stare non poterat. Ad prædicandum Ciuncis Evangelium primus è Societate missus, multa & acri mortificatione, se ad arduam illam Missionem paravit. Quod idolum gentis illius coli vetuisset, illudq; ex ara sua dejecisset, ligneis acinacibus interfectus est. Sed sicarii comessantes à leonibus & tigridibus discerpti sunt; qui fugâ evaserunt, pestilente lepra brevi consumpti sunt.

Cubiculum pauper.

Victima fidei.

4. Ximabaræ in Japonia, anno 1633, P. Jacobus Antonius Giannius, Italus. Post labores viginti quatuor annorum inter multas ærumnas exantlatos, ab apparitoribus tentus, suspendio in foveam triduum fidei causâ, tolerato, felici agone cursum consummavit.

Victima fidei.

5. Smolensci, anno 1635, P. Laurentius Bartilius, Polonus, vir exquisitæ pietatis, præsertim in Virginem DEiparam, cujus vitam in singulos hebdomadæ dies distribuerat, & pro Meditationis suavissimo argumento assumebat. Etiam cùm Provinciam regeret, nullum componendi cubiculi administrum patiebatur, dicens: *Humilia officia nunquam esse deponenda.* Si consuleretur ab aliquo, DEum consulebat, antequam responderet. Gubernabat miti ingenio, sed forti contra respectus humanos. Inter orandum spirabat quid divinum; & subinde à terra in äëra sublatus, conspectus est. Variis varia prædixit ex vero. Post mortem cùm Coadjutorum quispiam, in mortuali crypta, ei capillos aliquot decerpsisset venerationis causâ; noctu illi comparens redarguit, jussitq; reponere, quod accepisset. Negligentem nocte altera gravius arguit, addens: *Nescis, mi Frater, quantis ego mortificationibus à Domino obtinuerim: ut nulla mei particula in veneratione esset* Recepit Frater, se imperata facturum: sed jam non reperit capillos ablatos. Ex ejus vita.

Devotio erga B.V.

Respondendi methodus.

Humilis post mortem.

XXIX. AUGUSTI.

1. S. P. Ignatius anno 1541, cùm pro incolumitate P. Ioannis Codurij, unius è primis decem Patribus, rem divinam facturus tenderet ad ædem S. Petri in Ianiculo; medio in ponte, qui Sixti dicitur, intentis in cælum oculis, velut à stupore defixus, repente constitit Tum ad comitem suum, Referamus, inquit, nos domum, Condurius noster decessit. Creditum; Ignatio visam, ut antea Hosij, sic nunc Codurij animam, euntem in cælum. Ex horarum enim computatione cognitum, ipso illo temporis momento exspirâsse Codurium. Insinuavit id occultè ipse S. Pater, quando ad P. Petrum Fabrum scripsit: Codurij animam à pio viro in oratione conspectam, in cælum deportari inter choros Angelorum. *Orlandinus, hist. Soc. p. 1. lib. 3. num. 20.*

S. Ignatio creditur vidisse animã P. Codurij deferri in cœlum.

2. Anno 1571 S. Franciscus Borgia, Præpositus Generalis, Cardinali Alexandrino additus à Pio V. comes legationis in Hispaniam ad Philippum II, Barcinonem pervenit: ubi incredibili civium benevolentia & plau-

S. Franciscus Borgia comes legationis in Hispaniam.

ſu exceptus eſt, tanquam Prorex olim ejus Principatus laudatiſſimus. Reddidit ipſe urbi non minorem gratiam, quando acerrimam litem inter Collegia Canonicorum Catalauniæ, & regios Procuratores ferventem, unius diei ſpatio feliciſſimè compoſuit. Hic obvium habuit Ferdinandum Borgiam, unum è liberis ſuis, quem Philippus rex, ad gratificandum parenti, de induſtria legerat ad ſalutandum deducendumq; Legatum. Valentiam verſùs progreſſus cum Legato, in nobili Hieronymianorum cœnobio reperit Carolum ducem Gandiæ cum fratre Alphonſo, filios ſuos, & Marchionem Lombayæ Franciſcum, nepotem ſuum, cum magno propinquorum & aſſeclarum nobilium comitatu, habuitq; omnes genibus ſuis affuſos ad venerationem inter uberrimas lacrymas. Verùm modeſtiſſimus DEi famulus celerrimè ſeſe eripuit, & juſſis illis Legato adeſſe, in collegium ſe recepit ad dulciores fratrum filiorumq; in Chriſto amplexus. *Sacchin. hiſt. Soc. lib. 7. p. 3. n. 126. & ſeqq.*

Eodem die obierunt.

Jejunium Exercitia alit.

3. Romæ anno 1541, P. Joannes Codurius. Allobrox, Nonus in prima decade Sociorum S. Ignatii. Pariſiis, dum primis Exercitiis excoleretur, triduum ſine cibo & potu tranſegit, magno piorum affectuum æſtu exardeſcens; nec defecit poſtea à concepto ardore, ſed eum magnis auxit incrementis. S. Ignatius vidit morientis animam lucidam inter choros Angelicos ferri ad cælum.

Victima fidei.

4. Ximabaræ in Japonia, anno 1633, Joannes Guindora, ſeu Kidera, Japon, longis carceris incommodis, fidei odio, maceratus, tandem in foveam prono capite ſuſpenſus, quarto die bonum certamen glorioſo agone coronavit.

Teſtamenti pia correctio.

5. In Monte Regali, anno 1637, P. Chriſtophorus Ferrerius, Italus, amore Vocationis ſuæ, & inimicorum clarus. Jam in Societatem viventi miſit Pater ſenio gravis, Teſtamentum à ſe confectum, ut P. Chriſtophorus illud arbitrio ſuo accommodaret. Inter alia hæc ſcripſerat: Si verò P. Chriſtophorus Ferrerius, unicus meus filius, per morbum aut alia de cauſa in religione non perſiſteret, ſed ad ſæculum reverteretur; eo caſu reſcindo, quidquid conſtitui, & illum omnium omnino bonorum meorum hæredem conſtituo. Hæc lecta, in hunc modum vertit P. Chriſtophorus: Si verò P. Chriſtophorus Ferrerius, unicus meus filius, per morbum, vel alia quacunque de cauſa, uſq; adeò eſſet demens, adeò ingratus DEo, & adeò impius, ut religionem deſereret, reverteretur q; ad ſæculum, eo caſu pronuncio illum indignum, qui mihi ſuccedat, & ſit hæres meus &c. Sicario, qui fratrem ejus interemerat, non ſolùm ignovit facilè, ſed in quotidiano ſacrificio ſemper pro illo oravit, & multum ei dolorem de patrato facinore impetravit.

Vocationis amor.

Amor inimici.

XXX. AUGUSTI.

Facultas Gregor XIV de ſuſcipiendis Novitiis.

1. Anno 1591 Gregorius XIV Pon. Max. Conſtitutionem Sixti V. *Cùm de omnibus*, abrogavit, ſecundùm quam debebant Novitij non aliter

suscipi, quàm in Congregatione Generali, vel Provinciali; quod non nisi cum summa difficultate fieri poterat: concessitq; facultatem Novitios juxta Constitutiones Societatis admittendi, & cum illegitimis dispensandi. *Liter. Apost. Constit: Greg. Exponi nobis &c.*

2. Clemens verò VIII anno 1602, extendit facultatem erigendi externorum Congregationes, Primariæq; Romanæ aggregandi, ac Indulgentias eis communicandi, Præposito Generali aliàs concessas, etiam ad Residentias Societatis. *Ex Lit: Apost: Bullar. Soc.*

Facultas erigendi Congregationes.

3. Anno 1558 Congregatio Generalis I Decreto 100, confecit Instrumentum publicum de auctoritate Præpositi Generalis in Contractibus, decrevitq; ac declaravit: quod Præpositus Generalis possit per se, absq; Congregatione vel Collegialibus capitulariter convocatis, celebrare quosvis contractus (dum modo non agatur de dissolutione aut alienatione Collegij vel Domus jam erectæ) & acceptare donationes, & applicare ad hanc vel illam partem seu domum, prout senserit ad majorem DEi gloriam fore: posse quoq; eandem potestatem communicare Provincialibus & Superioribus locorum, prout ipsi in domino visum fuerit. *Congr. 1. decr. 100.*

Tractatus celebrare potest Præp. Gen. facultatemq; concedere Provinciali.

4. Anno 1656 Carolus Maranta Episcopus Iuvenacij in regno Neapolitano, publico chirographo testatus est: Isabellam, uxorem œconomi sui, pestilentibus ardentem carbonibus, illico restitutam esse sanitati; postquam decem sacra ad aram, & in honorem S. Xaverij à se celebranda, pro infirma, vovit. *Ex libello* Mirac. *in regno Neapol. Mirac. 3.*

S. Xaverij ope peste infecta sanitati reddita.

Eodem die obierunt.

5. Treviris in Germania, anno 1587, P. Petrus Clutius, Belga. De statu vitæ deliberans, cum animo fluctuaret inter Societatem, & alium religiosum Ordinem, multisq; cum lacrymis lumen à DEo peteret; manifesta DEi voce, dixit se hæc verba accepisse: *Petre, Petre, beatus ille, quem vocavi ad Societatem nominis mei!*

Vocatio ad Societate quanti facienda.

6. Pragæ in Bohemia, anno 1660, P. Adamus Krawarski, Silesius, multis adversitatibus in Virum Apostolicum formatus supra triginta hæreticorum millia per Bohemiam ad Catholicæ Ecclesiæ ovile reduxit; Concionator & Operarius, inter varia vitæ discrimina indefessus. In concionibus plerumq; servabat hanc methodum. Flexis in pulpito, vel altiore subsellio genibus, DEum ac Cælites religiosè testabatur; se ea dicturum, quæ saluti audientium necessaria forent; seq; Divino tribunali pro eis respondere paratum, se plecti æternum velle, si sciens falleret. Tum Divinas literas, & Latinos Græcosq; Patres palàm promebat ad firmandos Catholicæ fidei articulos. Qua industria populum mirificè permovebat, & postea tanquam potestatem habens, flammas in corda vibrabat. Societate ab hæreticis ex Urbe Pragensi ejectâ, carbonarii veste cum curru rediit P. Adamus, & Catholicis clam spiritualia ministrabat. Ab hæreticis pessimè acceptus non semel, pro verberibus & vulneribus gratias

Zelus & felicitas in convertendis hæreticis

Concionandi methodus utilis.

Carbonarius Apostolicus.

Sacrificium divinum. tias reddebat, etiam divino ſacrificio pro illis celebrato. Ut ſe ad ſacrificium præpararet; quantum fieri poterat, duobus intererat, ac poſt celebrationē, per duo alia gratias reddebat. Ad tam fructuoſos labores & inſignem ſanctimoniam ſe diſpoſuit non una inſigni ſui victoriâ. Primùm enim ad ſortem Coadjutorum redactus, tanquam ad alia inutilis, culinæ obſequiis & curandis per hyemem fornacibus addictus eſt. *In humilibus officijs mira exercitatio.* Deinde inter Scholaſticos relatus, cùm alii Philoſophiæ diſcendæ applicarentur, ipſe per quadriennium parvulos elementa docere juſſus eſt, licèt ætate maturior. Ad Philoſophiam tandem expeditus, per errorem Caſibus diſcendis eſt applicatus. Rurſum Philoſophiæ reſtitutus, cùm illa finitâ Examinatorum non dubia judicia haberet pro Theologia ſpeculativa, iterum per errorem Morali eſt addictus: & quamvis inter tot viciſſitudines gravem in affectu luctam ſentiret, Spartano tamen ſilentio, & Chriſtianiſſima patientia toleravit omnia, ſorte ſua contentus; nec ullo ſigno prodidit unquam Theologiæ Speculativæ deſiderium, aut improbavit diſpoſitionem de ſe factam. *Ex Tannero.*

XXXI. AUGUSTI.

Specimen inſigne charitatis & humilitatis

1. INſigne charitatis & humilitatis ſpecimen dederunt anno 1559 Socij Collegij Goani in India. Conſalvus Silveria Rector, vir eximiæ ſanctitatis, convocatis hoc die ſub veſperam Collegialibus, deſignavit ex illis duodecim, partim Novitios, partim Scholaſticos, quibus addidit Patres aliquot, monuitq; ut expiarent confeſſione animum, & in diem ſequentem accingerent ſe ad opus magni momenti. Cùm illuxiſſet, rei ignaros, ſed ad omnia ingentibus animis paratos deduxit ad Noſocomium, in quo curari ſolebant, qui ex Luſitana navigatione ægroti appulerunt. Ibi peracto Sacrificio divino, & Socijs SS. Euchariſtiâ curatis, deduxit omnes in vilem domunculam, ubi diverſaturi erant, docuitq; ex ordine, quid eſſent acturi, cæterisq; præfecit P. Franciſcum Capralem. Non diu expectanda fuit materia exercendæ pietatis. Altero ab eorum adventu die quatuor ab Luſitania naves portum intrarunt, in quibus ægroti omnino ducenti. Illico pars Sociorum accurrit cum bellarijs ad reficiendos, & feretris ad deportandos infirmiores ad Noſocomium; pars omnia decentiſſimè inſtruebat; ut omnem haberent commoditatem. Triginta & ampliùs dies tenuit ſanctum hoc obſequium, ad ſtuporem omnium accuratum. Tum demum, cum magna ex parte recreati eſſent ægroti, ad Collegium revocati ſunt, eoq; excepti omnium gaudio & charitate: ut præmij in cælis repoſiti ſpecimen id videretur. *Sacchin. hiſt. Soc. p. 2 lib. 3. n. 139.*

Buſtamantius à periculo præſervatus.

2. In Luſitania anno 1553 manifeſto miraculo ſervatus eſt P. Buſtamantius, cum S. Borgia Ulyſſiponem tendens. Præibat Borgia orationi intentus, ſequebatur Buſtamantius Marianam è globulis corollam decurrens:

tens: qui dum perangusto tramite, loco ſanè lubrico & ſcopuloſo ſecurus obequitat; mula, cui inſidebat repente prolapſa, præceps devolvebatur per altas rupes in flumen ſubjectum, traxitq; ſecum ſeſſoren Bustamantium, alta voce SS. JESU & MARIÆ nomina inclamantem. Excitus clamore Borgia, ubi Socii periculum & imminentem interitum vidit, nec aliter juvare poſſet, converſa ad DEum mente, JEſus, inquiebat, tibi præstò ſit; & tu Pater miſericordiarum hominem protege. Vix hæc Borgia, cùm repente mula conſtitit, & quidem loco tam arduo, ut omnibus stupori eſſet: Bustamantius funibus è voragine extractus eſt illæſus. Sic ſalvi viatores religioſiſſimi, pridie Calend. Septembris Ulyſſiponem attigerunt. *Orlandin. hiſt. Soc. part. 1. lib. 13 n. 45.*

Eodem die obierunt.

3. Casleti anno 1629, P. Florentius Tennier, Belga, Septimus cùm eſſet inter fratres continua ſerie natos, quaſi agnato gaudebat privilegio divino, iſthic uſitato, curandi affectos ſtrumis, ſeu morbo regio, curabatq; multos. Iſraelita ſine dolo vocabatur; ſui contemptu & DEiparæ V. cultu potiſſimùm clarus. *Strumas curandi privilegium.*

4. Limæ in Peruvia, anno 1613, Joannes Gonzalez Coadjutor, Hiſpanus. Etiam ante Societatem, cùm pecoris curam gereret, orandi ſtudio mirificè tenebatur, non ſine lacrymis, in campis, eò ſe convertere ſolitus, ubi templum eſſet. In Societate per ipſos 20 annos culinæ officia exercuit, exquiſitè mundus, lætus, & jaculatorias preces in cælum vibrans. Marchio Peruviæ cùm illam culinæ elegantiam adverteret; vehementer admiratus dixit: Si liber eſſet à vinculo Matrimonii, ſe Societatem electurum, quæ tales habeat, faciatq;. Rogatus frater Joannes de optimo perfectionis compendio, reſpondit: Obedientiam eſſe. *Culina munditia. Obedientia perfectionis compendium.*

5. Tarraconæ in Hiſpania anno 1604, P. Petrus Villar, Hiſpanus. Miro ad affligendum corpus utebatur ingenio. Cùm Valentiæ præeſſet, noctu ſæpe ad tabernaculum Euchariſticum adibat: ibi ſupplex precabatur, ſuſpirabat, animam omnem effundebat, adjectâ dirâ ſui flagellatione. Per iter Coadjutori Socio mulam ſuam dabat, ipſe illum ſequebatur pedes. Eminentem viri virtutem prodigioſis gratiis honoravit DEus, quando illi cordium ſecreta pandebat, morboſq; ad ejus preces fugabat. Inter alios P. Fr. Petrus Paulus de Villar Auguſtinianus, in India gravi morbo preſſus, cùm P. Petri patrui ſui meminiſſet; illico P. Petrum coram ſe præſentem ſibi viſus eſt videre, manifeſtamq; ejus opem eſt expertus in reſtitutione ſanitatis. *Secreta cordium patent.*

I. SEPTEMBRIS.

1. INeunte Septembri anno 1550 in Japonia urbem Cangoxuriam reliquit S. Xaverius: quòd is ager malignè reſponderet ſementi Evangelicæ. Firandum ergo tendebat, ſed in itinere, ducente DEo divertit ad munitiſſimam quandam arcem è ſolidiſſimo ſaxo efformatam, quæ erat Echandoni toparchæ, clientis regis Saxumæ. Jam prævenerat fama Xaverii, *S. Xaverius in quadam arce multos convertit.*

nec deerant, qui ultro invitarent S. Viatorem. Ingressus arcem, mox magna cum fiducia & ardore Evangelium prædicavit, audiente totà familiâ & militibus præsidiariis. Prima concione lucratus est animas 17, quas sacro fonte tinxit; mox alii super alios accesserunt, ac inter ipsos Præfectus domûs toparchæ, & ipsa deniq; uxor cum filio natu maximo: Enchandonum ipsum, corde Christianum, à baptismo arcebat metus Regis, Christianis infensi. Xaverius sui loco cæteris præfecit Præfectum illum, virum ætate ac prudentia grandem: ipse Firandum tetendit. *Bartolus in Vita lib. 3. n. 20.*

Mercatura quæstuosa.

2. Idem Sanctus cùm anno 1551 accepisset, navem quandam Mercatorum Lusitanorum in Japoniam esse recenter appulsam, literas ad illos, licèt ignotos, dedit hoc die, in quibus inter alia: Quæso, inquit, boni consulatis, suggerere me vobis, ut aliquantum temporis occupationi vestri negotii suffuremini, quod recognitioni conscientiæ impendatis. Mihi credite, ista demum est mercatura longè omnium quæstuosissima, ex qua lucrum provenit, haud paulò & uberius & certius, quàm ex commutatione mercium Europæarum cum velleribus aut pannis sericis Sinensium &c. *Ex Epist. novarum lib. 5. ep. 10.*

P. Stradæ fructus concion.

3. Cæsaraugustæ in Hispania anno 1554, ineunte Septembri commodiorem nacti sunt habitationem Socii, ultro domum suam offerente Protonotario Regni Arragonensis. Mirum est, quantis in ea urbe agitata sit & antè & pòst procellis Societas. Plurimum ad ejus cognitionem & existimationem contulit Strada Provincialis, qui ubi in præcipuis templis suâ illâ Evangelicâ tubâ insonuit, & in aula Proregis coram præcipuis è nobilitate prolixè disputâsset de Instituto Societatis, ita omnium animos commovit; ut dicerent, etiam proprio & liberorum victui detrahendum esse, ut Patres ibi habeant Collegium. *Orlandinus hist. Soc. p. 1. lib. 14. num. 73.*

Nostri in Moldaviam penetrarunt.

4. In Moldaviam quoq; initio Septembris anno 1588 penetrârunt nostri, invitante principe Petro; postquam inde ejecerat Calvinistas, Lutheranos & Arianos, ipse Ruthenorum secutus ritum. Operarii tres ex Polonia adducti. *Sacchin. p. 5. lib. 8. n. 70.*

Eodem die obierunt.

5. Pechini in Sinis, anno 1654, P. Nicolaus Longobardus, Siculus, Ecclesiæ Sinensis magnum columen. Quinquaginta propè & octo annos in ea vinea excolenda posuit, nullum laborem, nullum periculum animarum causâ recusans. In mensa nullo

nullo unquam condimento, ad somnum nulla culcitra utebatur; jejunium Ecclesiasticum nec in ætate 90 annos supergressa, relaxabat. Sinica eloquentiâ valebat usq; ad Mandarinorum stuporem. Æstimavit Præpositus Generalis, Mutius Vitellescus, fructuosissimos viri Apostolici labores, & à gradu Coadjutorum spiritualium ad gradum 4 vota professorum ascendere jussit. Æstimavit & Imperator Sinensis, qui trecentos circiter aureos pro funere splendidè deducendo (ad nascentis illius Ecclesiæ majorem commendationem admissos) suppeditavit.

Mortificatio assidua.

6. Valentiæ in Hispania, anno 1596, P. Martinus Alberrus, Hispanus. Per annos plures magnam noctis partem in pia cum DEo pervigilatione ponebat, precandi nunquam satur. DEipara V. maltoties se ipsi spectandam præbuit, & quodam Sabbato domûs purgamenta colligenti dixit: *Fili mi, valde, valde mihi in hoc places.* Jussus ab eo pictor imaginem DEiparæ, quæ sibi apparuerat pingere, pinxit, pictam ostendit, cui Alberrus, immane quantum à veritate aberrasti: nisi pura manu Virgo purissima depingi, ut par erat, nec voluit, nec potuit: elue animi sordes, tum operi manus rursus admove. Paruit, animum abluit; opus ita emendavit, ut divina pictum manu videretur. Exstat hæc imago in Valentina domo Professorum, ejusq; plurima per Christianum orbem exempla dissipata sunt. Iterum ei DEipara se videndam, obtulit. &, post triginta, inquit, mercedem laborum à filio meo consequeris. Cum hoc suum gaudium amico narraret; is mensesne 30 sint, an hebdomadæ, an dies, interrogat, & Alberrus resciam modo: simulq; ad precationem & Virginem reversus; paulò post renuntiat, 30 dies esse, quibus elapsis obiit. *Iuventius fol. 794.*

Humilia obsequia placent B V.

Imago Deiparæ à peccatore male pingitur.

Deipara diem mortis revelat.

7. Nanceji in Lotharingia anno 1644, P. Erardus Mainburg, Gallus, Mortua pia Conjuge, filium Societati jam antè datum, secutus est, Coadjutor temporalis futurus: nisi Præpositi Generalis voluntate, evoluto primo tyrocinii anno, jussus fuisset initiari sacris, propter eximia in Societatem collata beneficia. Sed trigesima post primum sacrificium DEo oblatum die, ad præmia amplissimæ liberalitatis evocatus est. Fundationi Collegii Nancejani alterum tantum adjecit: Sannicolaitanum, quantum est, à fundamentis excitavit. Inventi tamen sunt aliqui è Societate, ut sunt varia hominum ingenia, quibus minùs probabantur ejus beneficia: ille tamen cum pia conjuge, tantum abest, ut ea re commoverentur; ut dicerent potiùs: se omne, quod faciunt, facere ad Majorem DEI gloriam; nec cessaturos se Societatem amore complecti, licèt omnes Socii sputis facies sibi conspuerent. Hoc nimirum erat, amare & operari purè propter DEum.

II. SEPTEMBRIS.

1. Coram Clemente VIII habita est Congregatio & Disputatio IX de Auxil: & examinata Molinæ doctrina ex disp. 19. memb. 1 & 2. *An dum rationis judicium non absorbetur, maneat in libero arbitrio cum solo concursu generali DEi, libertas ad non consentiendum, in quocunq; temporis momento, cuicunq; gravi tentationi, & ad superandam quamcunq; magnam difficultatem, quam pro servanda, solùm in eo instanti, lege naturali necesse sit vincere &c.*? Pro parte affirmante adducit Molina quosdam Doctores,

Libertas ad non consentiendum.

ctores, quibus ipse accedere videtur. P. Valentia in ea disputatione contulit doctrinam Molinæ cum doctrina S. Augustini, & ostendit illam cum ista optimè cohærere. *Eleutber. hist. Auxil. lib. 5. c. 11.*

Nostri coguntur Rigâ excedere.

2. In Polonia, sublato per mortem valde importunam, Stephano Battoreo rege gloriosissimo, anno 1587, Rigæ in Livonia collapsa confestim est res Catholica. Hæreticorum antistites à metu regis liberati, quod dudum moliebantur, efficiunt, persuadendo turbæ, ut Jesuitas urbe expellant. Vice-Rectorem hoc die accesserunt quidam Senatorum, Tribunus pleb. & Lutheri ministri, expositoq; populi decreto, jusserunt sibi tradi claves templi S. Jacobi, nullos jam ritus papisticos in urbe exercere, & mandatis populi sine mora parere. Receperunt ergo se Socij in arcem vicinam, facta protestatione de illata injuria; atq; inde excursiones faciebant ad juvandos Catholicos circumjacentes. In hac calamitate admiranda stetit duarum Virginum Sanctimonialium constantia, fere centenariarum; quæ cùm solæ in cœnobio S. Magdalenæ non paucis annis perstitissent, & nunc ex mœrore, ob subtractum sibi solatium Patrum, decumberent: adduci nullis modis ab hæreticis potuerunt, ut Religionem vel cœnobium desererent. Non deerant tamen illis Patres, ex arce suppeditando & corporis & animæ, per ocultas industrias subsidia. *Sacchin. hist. Soc. p. 5. lib. 7. n. 40.*

P. Franciscus Borgia Beatus nuncupatur

3. Anno 1625 Urbanus VIII Decretum edidit: quòd servus DEi Franciscus Borgia, Dux Gandiæ, & deinde Religiosus Professus, ac tertius Societatis Præpositus Generalis, Beatus nuncupari, & in die obitûs Missa celebrari, & Officium recitari possit de Communi Confessorum non Pontificum, in Ecclesijs & Domibus Regularibus ejusdem Societatis. *Bullar. tom. 4. Constit. 48. Vrbani VIII.*

Eodem die obierunt.

Animam Fr. Coadjut. excepit Christus.

3. Conimbricæ in Lusitania, anno 1588, Dominicus Joannes, Coadjutor, Lusitanus. Tolerantissimus erat laborum in Societate, quod diceret; in sæculo se plus & gravius laborasse, minore, sine comparatione, fructu. Anima ejus conspecta post mortem est cuidam Sacerdoti, multa sanctimoniæ opinione conspicuo; quam Christus excepit pretiosis virtutum plurium, sed trium potissimùm ornamentis conspicuam: cui etiam Sacerdoti Joannes Societatem commendavit.

Victima charitatis.

4. Barcinonæ in Hispania, anno 1585, Martinus Apparitius, Coadjutor, Hispanus, DEiparæ V. cultor eximius; quæ spectandam se dedit morienti in heroico pestiferorum obsequio.

5. Cusci in America anno 1624 Petrus Martinus Coadjutor, Lusitanus. Rem agrariam in prædiis scitè diligenterq; tractabat, pietatis exercitiis non minùs intentus. Cùm extra domum ageret, ter minimùm, à procacibus fœminis pudicitia illius tenta-

tentata est, sed semper victrix; cùm sciret, nos etsi extra domum religiosam simus, non tamen esse extra conspectum DEI. Etiam in itineribus media nocte surgebat ad preces, præclaris à DEo luminibus illustrari solitus. Noctu oranti adfuit aliquando jam antè defunctus P. Joannes Sebastianus, monuitq; : ut propinquæ morti se præpararet. Ruri æger factus, doluit, se non in Sociorum complexu mori: sed morbus inducias illi dedit tantisper, ut domum rediret: quò cùm venisset, dixit: se venisse, ut domi moreretur, mortuusq; est, ut vixerat religiosissimè. Non parum enim præsidii est in agone, à præsentia & oratione Servorum DEI.

III. SEPTEMBRIS.

1. ANno 1539 Paulus III Pont. Max, porrectam sibi Tibure à S. Ignatio Instituti Societatis formulam ubi legit, & expendit: *Digitus DEi*, inquit, *est hic*. Adjecit, sperare se, hanc Societatem afflictæ Ecclesiæ fore præsidio & ornamento. *Nadasi in Indice Memor. Bartol in Vita S. Ign. pag.* 182. Regimen hujus ordinis Ignatius ex tribus statibus bonis (quod Philosophus optabat) temperavit, Monarchico in Generali, Aristocratico in Assistentibus, Timocratico in Procuratoribus tertio quoq; anno mittendis Romam; quibus omnibus præualeat legitimè congregata Societas; politices genere à viris maximis nondum satis laudato, probatoq;. *Brietius*

Institutum Societatis digitus DEI.

Societas ex tribus Statibus.

2. Finita Congregatione II Generali anno 1565, in qua in Præpositum Generalem electus est P. Franciscus Borgia, postquam idem consuetas preces & adhortationem præmisisset, provolutus ad pedes omnium, non minore humilitate quàm charitate eosdem est amplexus & osculatus. *Nadasi cit:* Adhortationem hoc clausit memorabili epilogo. De me, inquiebat, hoc tantùm adjiciam: Oro, quæsoq; vos Patres, concedite, ut mecum saltem id fiat, quod facere solent cum jumentis suis, qui ea onerant. Nam hi non solùm onus imponunt, sed etiam sedulò curant, ut suum perficiant iter. Quodsi fortè claudicent, sublevant; si lentiùs incedant, exstimulant; si cadant, erigunt; deniq; si nimiùm fatigentur, exonerant. Vestrum ego jumentum sum apud vos, & ego semper vobiscum. Erigite ergo jumentum vestrum vestris precibus &c. *Sacchin. hist. Soc. p. 3. lib. 1. n. 50.*

P. Franc. Borgia electus Præpositus Gen.

3. In Indiam anno 1564 hoc die ad portum Goanum applicuerunt, cum Prorege Noronia Socij 6; ex speciali gratia Pontificis ferentes secum Jubilæum, quod lucraretur, quisquis vel uni ethnico baptismum persuasisset. Magna per hanc industriam facta est ad Ecclesiam accessio, quando sæculares ipsi varijs artibus, atq; inter alias debitorum condonatione, inducebant ethnicos ad fontem sacrum suscipiendum. Goæ renatorum hoc anno summa fuit bis mille, septingenti, sexaginta: non minor alibi numerus

Jubilæum persuadentibus baptismum.

merus. *Sacchin hist Soc. lib. 8. p. 2. n. 173.*

5. Romæ Card. Toletus datis ad Pontificem literis (quas videre licet apud Juvencium fol 351.) anno 1594, conatus est purpuram deponere, responsum accepit: imperamus tibi tota auctoritate nostra, ne deinceps cogites de Cardinalatu abdicando. Hæc verba non sunt nostra, sed ejus qui ea nobis inspirat Dei. Juvencius f. 331. Quamobrem Toletus diutius pugnare nequaquam ausus, datum sibi locum inter Purpuratos Patres retinuit, identidem dictitans, malle se in umbra Collegij delitescere, quàm in sacri senatus luce conspici.

Eodem die obierunt.

Prælatura hor ror.

6. Cranganoræ in India Orientali, anno 1659, P. Franciscus Garzia, Archiepiscopus Malabaricæ. Postquam in Societate, insigni virtutis, ingenii, ac doctrinæ soliditate Philosophicas ac Theologicas doctrinas tradiderat, & Collegia Rector, Provinciam Præpositus cum laude gubernârat; Archiepiscopali dignitati jussus est humeros submittere; quo nuncio consternatus, deliquio elanguit. Attulit ad id muneris dotes præclarissimas; inter cæteras peritiam linguarum, præter Lusitanam & Latinam, Hebreæ, Græcæ, Chaldaicæ, Syriacæ, Tamulensis, Canarinæ, Industanæ. Societatem semper Matris nomine honorabat; & ex ea assumptos ad purpuram vel infulam, depictos semper ante oculos habere voluit. Ecclesiæ sibi commissæ eam curam habuit; ut non solùm fide Catholica esset exculta, verùm & moribus & ritibus illâ dignis. Pauperum verè pater, etiam testamento ita illis providit; ut ex instituto Monte pietatis semper haberent, quo sublevarentur. Elatus est communi comploratione, & non solùm Ecclesiastico, verùm & militari apparatu, tanquam Cocini gubernator pius & fortis, contra Batavorum insultus.

Archiepiscopo Malabarum.

Societas Mater.

Victima fidei heroica.

7. Nangasachi in Japonia, anno 1632, P. Antonius Iscida Pintus, Japon. Non minus exemplo, quàm verbo valebat ad patriæ suæ salutem, quam inter assidua capitis discrimina promovebat fructu maximo. Comprehensus, sine mora fassus est se Christianum & Sacerdotem; & sæpiùs solicitatus ad defectionem, provocavit tormenta ad experimentum fortitudinis Christianæ. Aquis sulphureis variè cruciatus, suspendebatur ita, ut juncturæ membrorum omnes solverentur, scapulis aqua bulliente perfusis. Tenuit ea, & alia varia excogitata carnificina totos 30 dies; demum lento igne combustus.

8. Mediolani anno 1601 Petrus Stopellus Coadjutor, Italus, ab admirabili animi tranquillitate, sui victoria, orandi studio, & laborandi assiduitate laudatus. Cùm aliquando ægrotaret, de vicina morte solicitus, spectabilem se illi dedit DEipara V. monuitq;, mortem adhuc longiùs abesse, oportere ipsum adhuc non parum laboris in DEi famulatu subire. Superstes igitur toto decennio, talem se præstitit in omni genere laborum, qualem desideravit cælestis Patrona; quæ in supremo quoq; morbo vita est Petro adesse.

IV. SEPTEMBRIS.

1. S. Pater in Palæstina visitaturus loca Sacra, anno 1523, feliciter Hierosolymam pervenit. Quantis effusæ pietatis gaudijs delibutus beatas oras salutârit, quàm dulcibus osculis libârit terram Christi vestigijs & sanguine sacratam, conjicere pronum est ex ardentissimis desiderijs illius videndæ. Et venerat illuc mansurus. Quàmvis enim Manresæ per illustrationes divinas intellexisset, se parari in multorum salutem, nec soli sibi sed cum delecta sociorum manu, eam & gloriam divinam esse promovendam: ignorabat tamen, ubi, & quando id futurum esset, quin imò existimabat, Palæstinam sibi campum laboris, & certaminum theatrum esse destinatam. Verùm alia DEo mens erat; & Franciscani Patres non patiebantur pium peregrinum ibi moras trahere, nedum figere domicilium. Ergo navi conscensa, amores quidem suos in Palæstina reliquit, sed spem aliquando cum Socijs revertendi abstulit secum. *Bartol. in Vita, lib. 1. n. 24.* *S. Ignatius in Palæstina.*

2. In Indiam anno 1548 feliciter cum Socijs quibusdam appulit P. Gaspar Barzæus, natione Belga, atq; inde vulgò vocatus Gaspar Belga, vir Apostolicus, & Xaverianorum decorum sanctus strenuusq; æmulus. Invenit Xaverium in procinctu ad iter Commorinense: sed is dulcissimorum fratrum amplexibus & familiaritati dies aliquot dandos putavit. Cùm igitur inter sese summa animi voluptate, quæ Societas ad DEi gloriam in Europa Indiaq; gereret, contulissent, actis bonorum omnium Authori gratijs, visū est Xaverio: ut P. Gaspar Natali die Virginis DEiparæ in æde nostra Goana concionem haberet. Confluxit ingens hominum copia: sed cùm Gaspar plus Spiritus, quàm vocis haberet, expectationi hominum minimè satis fecit. Quamobrem Xaverius ei author fuit: ut nocturnis horis in eodem templo, quanta posset contentione, vocem exerceret, donec satis virilis & templo sufficere videretur. Fecit obedienter mandata Gaspar, & paucorum dierum labore plenæ vocis usum adeptus, in stupendum evasit Ecclesiasten. *Orlandin. hist. Soc. p. 1. lib. 8. n. 117.* *P. Barzæus vocem exercet.*

3. In Europa Paulus V. Pont Max. anno 1606 Societatis Institutum, & privilegia, quæ partim à Superioribus quibusdam Pontificibus aliquid incommodi passa erant, & ab inquietis & malevolis nonnullis male intelligebantur, iterum confirmavit, constit: *Quantum Religio Societatis IESV &c.* & Constitutiones Gregorij XIII & XIV innovavit, & ampliavit. *Bullar Soc.* *Institutum Societatis confirmatur.*

Eodem die obierunt.

4. In Africa anno 1627, P. Antonius Macciadus, Lusitanus. Multa pro religio-
ne

ne tulit egitq; in regno Angolæ fructu insigni sed non minore vitæ discrimine. Cruentam mortem divinitus evasit, quando infesti Christianis barbari, sagittis illum, manu non errante missis, petivere, sed DEo ipsum ulterioribus laboribus servante, non nocuerunt. Heroum tamen morte occubuit, apud populos, qui Nigri dicuntur, serviendo contagiosa lue tactis.

Victima charitatis.

5. Catanæ in Sicilia, anno 1637, P. Vincentius Raimundus, Italus, Modestia exquisita Virginem animum in eo habitare testabatur. Ante initam Societatem, severa lege caverat domi suæ, ne ullus pauperum sine stipe dimitteretur: quotidie verò primum, quem obvium habebat, pauperem, mensæ suæ adhibebat, & cum eo è lance & poculo eodem edebat, bibebatq;. Tertia quavis feriâ in honorem Reginæ Angelorum stellis duodecim coronatæ, duodecim pauperes liberali stipe donabat. Ecclesiasticos honores insigni virtute ornabat; ut de eo ad infulam promovendo jam ageretur. At ille in Societatem se abdidit, multaq; se humilitate involvit: corpus verò varia mortificatione ita maceravit, ut non solùm ædificationi, sed etiam commiserationi esset.

Pauperum amor.

Prælaturæ fuga.

V. SEPTEMBRIS.

Controversia de auxilijs gratiæ finita.

1. Cùm placuisset Paulo V. anno 1607 tandem terminum ponere disceptationibus de Auxilijs Gratiæ, ac Libro Molinæ, habita secreta consultatione cum Cardinalibus, ad utrumq; Generalem, tam PP. Prædicatorum, quâm Societatis, misit exemplar Epistolæ Encyclicæ, quam quisq; illorum ad totius Ordinis sui Provinciales expediret. P. Claudius ergo Præpositus Generalis S. I. anno prædicto, hoc die, efformatam secundùm Exemplar Pontificium misit epistolam ad Provincias in hæc verba. *In negotio de Auxilijs facta est potestas à summo Pontifice, cùm disputantibus, tum Consultoribus, redeundi in patrias aut domos suas. Additumq; fore, ut sua Sanctitas declarationem, & determinationem, quæ expectabatur, opportunè promulgaret. Verùm ab eodem SS. Domino seriò admodum vetitum est, in quæstione hac pertractanda: ne quis partem suæ oppositam, aut qualificaret, aut censurâ quapiam notaret. Adhæc tam nostris, quàm Dominicanis Patribus injunctum: ut severa castigatione plecteretur, quicunq; adversùs hanc legem deliquisset, quam vult modis omnibus servari. Quin optat etiam, ut verbis asperioribus, amaritiem animi significantibus, invicem abstineant. Quare Vestra Paternitas curabit hæc observari, moneatq; nos sigillatim de ijs, quæ in hoc genere contigerint: quò juxta votum SS. Domini suam Beatitudinem certiorem de omnibus facere possimus. Romæ 5. Sept. 1607* Sic terminata est famosissima controversia, in cujus exitum orbis universus, orthodoxus & heterodoxus, toto decennio intentissimus fuit. Inconcussa mansit Societati sua doctrina, & Liber Molinæ de Concordia liberi arbi-

trii

trii cum Gratia divina, servatus est undiq; indemnis. *Eleuther. hist. de Auxil. lib. 6. cap. 28.*

2. In Gallia anno 1567 Turnonense Collegium pene excidium passum est ab hæreticis. Circumsedebant armatis copiis civitatem, civibus quidem immunitatem promittentes, at Jesuitis omnibus cladem extremam. Rector igitur P. Claudius Matthæus, sub noctem convocatos Socios admonet periculi, jubetq; ad omnem eventum paratos esse, & supremam hanc noctem sibi reputare, non omnino infelicem, cùm detur occasio opportuna, Christo Salvatori pro morte mortem cruentam reddendi. Conclamârunt omnes se ad omnia per DEI gratiam paratos esse. Sed contenta fuit generosa hac resolutione Divina Bonitas: hæretici ea nocte nihil egerunt; & Provincialis literæ allatæ sunt; ut omnes Billomum se reciperent; quod factum feliciter, illucescente die. *Sacchin. hist. Soc. p. 3. lib. 3. n. 156.*

Turnonense Collegium in periculo excidij.

Eodem die obierunt.

3. In Sinis anno 1631 P. Andreas Rudomina, Litvanus, Sinas ferventer expetiit, postquam per quietem vidit, Nostrorum sub tribus orbis partibus sudantium vultus ab Angelis abstergi, & sudaria illo sudore madentia DEo offerri, quibus ipse suavissimè delectatus pro singulis coronas rependebat. Se verò advertit P. Andreas ab Angelo suo Tutelari Christo sisti, ut operarium pro Vinea illa. Annuit Christus, innuitque mortem ipsi in Oriente oppetendam esse. Impetrata igitur Missione Sinensi, sine mora illuc advolavit: Sed non diu operari licuit, ad mercedem capiendam evocato. Adfuit morienti S. P. Ignatius, quem filiali amore atq; obsequio impensè colebat. Unde adstantem sibi Patrem quendam monuit: Mi Pater, excipe, quæso, honorificè nostrum Patrem, S. Ignatium, qui me accepturus secum venit. Vide, quàm pulchra est facie, quàm pulchrum comitatum secum ducit? Vide, ut me vocat. Fama est, cadavere illius in templo exposito, suavissimum odorem latè omnia implevisse.

Operariorum Apostolicorum sudorem Angeli Deo offerunt.

S. Ignatius ad moribundum in cælum deducendum venit.

4. Granatæ in Hispania anno 1648, P. Alphonsus de Medrano, Hispanus. Innocentem & laboriosam vitam tum in India Occidentali, tum in Hispania actam priusquam concluderet; triennio antè, in gravi morbo, vidit in cælo aperto Christum D. S. P. Ignatium, & alios è Societate; conversusq; ad Christum, confidenter quæsivit: Domine, jamne tempus est, ut eam tecum? Non nunc, reposuit Christus, verùm post annos aliquot. Tum supplicans humiliter Domino pro se & Sociis Collegii Granatensis, audivit: Omnes illos esse prædestinatos ad gloriam. Quo nuncio lætus, & idem iterum audire gestiens Alphonsus, repetiit. Omnesne Domine? Fili, respondit Christus, omnes, qui hodie sunt in hoc Collegio, salvabuntur.

Socij Collegij Granatensis omnes prædestinati.

5. Gandavi in Belgio anno 1621 Magister Carolus de Paro, Belga, teneræ fortisque pietatis juvenis. Pertinax illi certamen fuit cum somno, qui oranti obrepebat; & tamen flexis genibus persistebat. Non priùs ad lectiones ibat, quàm SS. Sacramentum adorásset. Indias desiderabat, sed ad cælum abreptus est. Æger cum Cruci-

Crucifixi amor.

fixo tam ardentes miscebat sermones: ut is illi ab oculis tolli debuerit, ne nimia contentione vires præcipitaret. Sæpe in hæc verba erumpebat: O bone JESU! quàm sancta, quam bona Mater Societas JESU! Disquirentibus Medicis, an aliquid adhuc superesset remedii? Carolus magno læti animi sensu, desperatum est, ajebat, Domini Doctores: ad cælum imus, ad cælum! Et paulò post, ut spes est, ivit.

VI. SEPTEMBRIS.

Fabula de P. Salmerone.

1. ANno 1561, P. Alphonsus Salmeron, à Lainio Præposito Generali, jussu Pontificis in Galliam proficiscente, Vicarius Generalis designatus, Neapoli Romam iter agebat: cùm ecce à malevolis, vel hæreticis, fabula cuditur, & in vulgus spargitur: Salmeronem, cujus eloquentiâ & doctrinâ tunc vel maximè sustentabatur Neapoli religio Catholica, in vincula & carcerem abreptum disparuisse; mox additum, jam exustum esse tanquam hæreticum; alii testabantur, Genevam profugisse cum ingenti pecunia; nec deerant confictæ Cardinalium literæ, quibus idem significabatur. Eò deniq; res evasit: ut etiam Religiosi, & nobis amicissimi jam dubitarent, nequid veri haberet fabula; pueri quoq; in plateis occinebant: Salmeron hæreticus factus est. Et erat res scandali non levis. Facile enim vulgus ratiocinari potuit: si Salmeron, vir tam doctus & religiosus, tandem aliam amplexus est religionem; videtur Catholica tam pura & firma non esse, prout jactatur. Multi ergo judicabant, necesse esse, ut Salmeron Neapolim reviseret, & fabulam dilueret: sed cùm id sine notabili Societatis, quam administrabat, incommodo fieri non posset; summus Pontifex Cardinalibus certis negotium dedit: ut suo nomine ad Pro-regem Neapolitanum, aliosq; viros primarios literas darent, atq; urbem de Salmerone edocerent. Sic evanuit monstrosum figmentum. *Sacchin. hist. Soc. p. 2. lib. 5. 156.*

Eodem die obierunt.

Concio & cantus in flammis

2. Nangasachi in Japonia, anno 1627, P. Thomas Trugi, Japon. Post præclaros sudores per annorum 34 spatium patriæ suæ impensos, comprehensus, & fidei odio ad rogum damnatus est. In medio flammarum de Christi patientis tormentis, ac de fide Christi, magno spiritu & verborum pondere peroravit. Mox voce in cantum flexa, Psalmum, *Laudate Dominum omnes gentes,* occinuit, & inter canendum extinctus est. Illud mirabile, quod & Lusitani & Japones viderunt: Pectus mortui P Thomæ ultro apertum dissiliisse; & ex illo visam egredi rubram flammam, quæ sursum in cælum inter magnos splendores evolavit, mirum in modum accensis cordibus Christianorum.

Flamma expectore aperto in cælum evolans

3. In anno 1622, P. Paulus Josephus Arriaga, Hispanus, spiritu & laboribus Apostolicis apud Indos clarus DEiparæ V. hortatu Societatem ingressus, illam ac Angelum

gelum Custodem & coluit accuratè & opem utriusq; luculentam ac familiarem expertus est. In cultum Passionis Dominicæ & dolorum Beatissimæ Matris, à meridie Feriæ 6tæ Magnæ usq; ad meridiem Dominici diei, nihil gustabat. Visus est inter orandum à terra sublimis, & cordium quoq; secreta penetrasse. Obiit naufragus flexis genibus, inamplexu Crucifixi: prout antè jam prædixerat.

Cultor passionis Dominicæ

4. Drepani anno 1630, Joannes Laparus, Italus, Coadjutor, & Coadjutorum norma. Admirabilem in laboribus assiduitatem, cum summa cibi potusq; parsimonia ita conjunxit: ut semper & minimum comederit, biberitq; & plurimùm laborârit. Extendit religiosos labores suos usq; ad annum ætatis centesimum septimum, non alterius industriæ beneficio, quàm parsimoniæ in victu, & vegetationis in assiduo labore.

Labor assiduus

5. Londini in Anglia anno 1679 odio fidei suspensus & laniatus est, P. Carolus Backer *Hazart in Append. 2. hist. Eccles. An. l*

6. Romæ anno 1649, P. Famianus Strada, Italus, historicorum recentiorum, facile princeps, veterum nemini secundus. Artem Rhetoricam publicè professus Romæ annos 15. Quantum in ea excelluerit; satis prodit Historia ipsius de Bello Belgico, ab eruditis, etiam Acatholicis, mirificè laudata; cujus præstantiam sine fuco testantur sæpiùs repetitæ ipsius impressiones, & in varias linguas versiones. Certè Vladislaus Rex Poloniæ & Sueciæ, lectâ prima ejus Decade, imperare sibi non potuit: quin ad Mutium Vitellescum Præp. Gen. & ipsum Stradam daret literas, solicitando, ad maturandam Decadis secundæ editionem. Quæ tandem edita, eo plausu accepta est: ut intra biennium decies sit recusa latinè, & in 5 diversas linguas, Italicam, Hispanicam, Gallicam, Anglicam & Flandricam, translata. Inter hos plausus eâ fuit modestiâ Strada: ut nunquam ei exciderit verbum, quo vel sua extolleret, vel aliena deprimeret. *Soutvellus in bibl. Soc.*

Historicus excellens.

VII. SEPTEMBRIS.

1. IN Iaponiam, quam, S. Xaverio in Indiam reverso, soli excolebant P. Cosmus Turrianus, & Joannes Fernandius, feliciter appulsi anno 1552 Socij tres, Regnum Bungi attigerunt. Hic honorificè jussu regis accepti, certisq; in ædibus collocati, postridie cum muneribus, à Prorege Indiæ transmissis, regem adierunt, & faventissimum rei Christianæ repererunt. Cùm enim peterent, potestatem liberam prædicandi in regnis ipsius Evangelii, & subditis populis licentiam, eandem amplectendi: utramq; sine mora concessit, promisitq; : edicto per omnem ditionem suam publicato, se rem Christianam promoturum. *Orlandin. hist. Soc. p. 1. lib 12. n* 134.

Rex Bungi favet Christianis

2 Anno 1574, P. Stanislaus Varsevitius à Gregorio Summo Pontifice in Sueciam missus, ad regem & regionem Romanæ Ecclesiæ restituendam, cùm spes nulla affulgeret ob regis pusillanimitatem, existimantis; nullo modo Suecosredituros ad Ecclesiam, nisi concessa populo com-

P. Varsevitius redit ex Suecia

munione sub utraq; specie, & Sacerdotibus permisso conjugio: rediit in Poloniam & primò Gedanum, dein hoc die prospere Brunsbergam pervenit, eo prorsus tempore, quo ante annos 8 in eodem Collegio Exercitiis S. Ignatii excultus, DEo se, in Societate militaturum consecravit. Inde Varsaviam, deniq; Vilnam, ubi Collegium Rector gubernavit, cum insignibus S. Birgittæ reliquiis, quas à Capellano Reginæ acceperat, est reversus. *Sacchin. hist. Soc. p. 4. lib. 2. n. 37.*

In Sinis datur facultas prædicandi. 3. In Tartaria magna anno 1689 conventum deniq; est hoc die inter Sinenses & Moschos de limitibus utriusq; Imperii: ad quos definiendos duobus suis Magnis Legatis comites ire jussit Imperator Sinensis è nostris P. Thomam Pereiram Lusitanum, qui annuente rege in Socium assumpsit P. Franciscum Gerbillon Gallum. Horum operam & dexteritatem in agendo cum Moschis ac potissimùm eorum Interprete, ita suspexerunt Legati Sinenses: ut Imperatori disertè affirmârint; sine ipsis nunquam optatum exitum habiturum fuisse negotium illud. Fructus operæ præstitæ ingens fuit, Edictum publicum ab Imperatore per universum Imperium, vulgatum anno 1692, quo nobis prædicandi, indigenis autem ampla facta est potestas Christianam Legem suscipiendi. *Ex literis P. Thomæ Pereira datis ad Præpos. Gen. anno 1692.*

Eodem die obierunt.

4. Cassoviæ in Transylvania, anno 1639, P. Stephanus Pongracz, Hungarus, &
Victimæ fidei. P. Melchior Grodecius, Silesius, odio fidei cæsi ab hæreticis Calvinistis. Inediâ primùm triduanâ maceratis mors denunciata. Prodiens è cubiculo P. Stephanus, rostrata clava pectori impacta, prostratus est: mox illi caput fune circumactum, tantaq; vi compressum, ut mortuus crederetur. Tota nox in diris cruciatibus acta, digitis, alisq; tenerioribus corporis partibus intra bombardarum rotas contortis. Invitatus subinde ad sectam Calvinianam, libertate promissa; cùm contentissimo studio negaret; admoto igne, ustulatum ei pectus; deniq; unà cum P. Grodecio & quodam Canonico Strigoniensi jugulatus est; corpora in latrinam projecta. Cùm postea inde extraherentur ab Illustrissima Catharina Palfia, Proregis Forgachij conjuge, suavissimo fragrabant odore: quin & cantus Angelici auditi sunt, & prodigia non pauca ad illorum tumulum patrata.

Victima fidei. 5. Lancastriæ in Anglia, anno 1628, P Edmundus Arousmithæus, Anglus, quod sacerdos & Iesvita esset, docuissetq; extra Catholicam Ecclesiam non dari salutem; capitis damnatus, raptatus, suspensus, & quadrifariam sectus est. Sequenti die spectabilis factus Ambrosio Barlo, Ordinis S Benedicti Sacerdoti absenti retulit, *Quàm bene secum actum esset Lancastriæ*; monuitq;, ut simili se fortunæ pararet.

6 Xeresij in Hispania, anno 1616, P. Iosephus de Escalza. Hispanus. Cùm Ministri munus gereret, unus ipse plurium Coadjutorum obibat officia, eaq; infima. Illud

sibi

ſibi altè in animum impreſſerat: *Se omnium eſſe mancipium.* Aliquandò laboribus feſſo objecta eſt ſpecies Chriſti, gravi cruce onuſti, audivitq; dicentem: *Fili, ſi tua crux tibi gravis videtur; meam aſpice: neq; tibi perſuadeas; quod ſine me ſis in tua.*

Crux Chriſti auxilio.

VIII. SEPTEMBRIS.

Veneti Senatus affectus ergà Societatem.

1. S. P. Noſter anno 1540 Sacrificio die Natali DEiparæ V. oblato, grave, valdeq; impeditum, negotium confecit. Fundatio Collegii Patavini, in ditione Veneta, impediebatur, à viro graviſſimo tam validè: ut, quàmvis P. Laynez, illâ ſuâ, cordium domitrice, eloquentia, & rationibus Herculeis, pro illa perorârit in ampliſſimo Senatu Veneto, cum magno plauſu & aſſenſu, effectus tamen optatus, obtentus non ſit. Deficientibus ergo mediis aliis, ſcribit Laynez ad S. Patrem, rogatq; : ut vel ſemel ſacris operetur in eum finem. Fecit ille hoc die, reſcripſitq; Lainio: bono animo eſſet, non dubitaret de felici eventu, DEum pro nobis eſſe. Nec ſanè alium, quàm prædixit, res exitum habuit, uſq; ad omnium ſtuporem. Quàmvis enim potens adverſarius plurimos numeraret & ſangvine & affinitate, & amicitia ſibi junctos, à quorum ſuffragio cauſa pendebat: poſtquam tamen in frequentiſſimo Senatu, centum & quadraginta quinq; Senatorum, ventum eſt ad calculos, vix duo ceciderunt pro adverſario. Tam inſperato eventu, mirum quantum nobis conciliata eſt Sapientiſſimæ illius Reip. benevolentia. *Orlandin. hiſt. Soc. p. 1. lib. 8. n. 20.*

P. Barzæus in convivio concionatur.

2. Anno 1548 P. Gaſpar Barzæus Goæ in India ſtupendam dixit concionem ad epulantes. Moris ibi eſt, ut quando annonæ caritas eſt, vel in militem ſtipendium non ſuppetit, epulum publicum præbeatur à Prætore animis demulcendis. Contigit, ut ſexcenti hujuſmodi adeſſent convivæ: ad quos juſſus ex tempore dicere P. Gaſpar, thema illud aſſumpſit: *Venite ad me omnes, qui laboratis &c.* tanto ſpiritu tantâq; eloquentiâ dixit, ut omnes, relictis dapibus, auribus aſſurgerent, & attoniti Prædicatorem audirent. Ubi peroravit, ſubjunxit: ſe proxima feriâ ſecundâ, quintâ & ſextâ ad longè lautiores epulas ipſos invitate; quas iteratis ſermonibus magno auditorum fructu præbuit. Præſtitit idem & alia plura Obedientiæ cœcæ argumenta felici eventu: ut videre eſt apud *Orlandinum hiſt. Soc. p. 1. lib. 8. n. 120.*

P. Riccius pervenit Pechinum

3. Sinenſibus hic dies, naſcenti DEiparæ ſacer, admodum auſpicatus illuxit. Eo enim P. Matthæus Riccius, Sinarum Apoſtolus, primò in urbem regiam Pechinum pervenit. Dein de eodem die anno 1609 primum erectum eſt Sodalitium Marianum, cujus primus Præfectus fuit Lucas qui-

dam, vir Apostolico spiritu fervens, atq; ut Evangelista ille, cultui Matris DEI propogandæ addictissimus. *Trigautius lib. 5. Expedit. Sinen. cap. 16.*

Eodem die obierunt.

Vocatio ad Societatem.

4. Spiræ in Germania, anno 1609, P. Ioannes Magirus, Germanus. Vocatus à DEo ad Societatem cùm tergiversaretur, vidit per quietem fratrem suum germanum nuper vitâ functum, qui acerbè ipsi exprobrabat torporem, & vivendi libertatem; deniq; Crucifixum monstrans, haustum ex ejus latere sanguinem conjicere in Ioannem visus est, cum his verbis: *Vide ne hic sanguis in cassum pro te effusus sit.* Ergo Societatem, contempta opima hæreditate, sine mora inijt, in qua ecclesiasten egregium agens, persanctè vixit. Febris demum illum extremis admovit: in quo morbo objecta illi Christi D. & S. Ignatij cælesti specie, suavissimè recreatus, dicebat: Meliores esse febres tales omni sanitate humana; & Socios ad Societatis virtutem, id est, Obedientiam potenter exhortatus, piè decessit.

Thronus in cælo Missionario paratus.

5. Carthagenæ in India Occidentali, anno 1654, P. Petrus Claverus, Hispanus, Fratris Alphonsi Rodriquez familiaris, ac velut discipulus in spiritualibus. Is pro Petro aliquando in preces effusus, vidit in cælo thronum splendidum, audivitq; Angelum dicentem: *Thronus ille Clavero, tuo discipulo est aestimatus, ob ejus virtutem & animas ab eo in Indijs ad DEum convertendas.* Non solùm gravioris mortificationis, sed etiam minorum, sæpe nobis molestiorum, erat studiosissimus. In summis caloribus sudorem non abstergebat, muscas nunquam abigebat, quamvis facici aut manibus, usq; ad sanguinem infestas. Oraturus coronam spineam capiti imponebat, collo funem, ad singula Officij Divini verba impensè attentus.

Purgatorium breve.

6. Vartislaviæ in Silesia, anno 1653, P. Ioannes Vazin, Germanus, Concionator per annos 33 celebris, *Tubæ Evangelicæ* nomen meritus. P. Henricum Pfelschmit vitâ jam functum, cæloq; donatum, cùm sibi apparuisset, rogavit: An sua opera DEo placerent? *Placent, Placent*: respondit Henricus. Rogatus autem à P. Ioanne, an grave Purgatorium sustinuisset? respondit: *Modicum & breve id fuisse, DEo Charitatem, qua proximos in vita adjuverat, remunerante.* Addidit: *Placere DEo Apostolicos Sociorum labores Vratislaviæ, contra serpentem antiquum, pro heresi depugnantem.*

IX. SEPTEMBRIS.

Card. Toletus frustra conatur deponere purpuram.

1. CArdinalis Franciscus Toletus è Soc. JESU, anno 1594, purpuram sacram, quam nondum anno integro gestaverat, à Clemente VIII. sibi invito impositam, exuere conatus est, oblato eidem Pontifici supplice libello: ut vitæ Religiosæ, cui assueverat, se reddere posset. Sed Pontifex, re maturè per triduum perpensa, ac DEo precibus multùm commendata, demum accersito ad se Cardinali DEi nomine imperavit, ut ampliùs de nuntio remittendo dignitati impositæ nullatenus cogitaret. Quocirca progredi compulsus in eo vitæ genere, gravissimorum negotiorum curis à Pontifice semper occupatus fuit, quæ non minùs feliciter, quàm dextrè ac sapienter expediebat. *Soutvellus in bibl. Soc.*

2. Anno

2. Anno 1614, postquam P. Franciscus Suarez solidum ac pereruditum volumen in lucem edidit, quo modestè simul ac liberè Catholicam Religionem adversùs Britanniæ Magnæ regem Jacobum asseruit: magna id approbatione & plausu exceptum est omnium eruditorum, Prælatorum ac Principum, præsertim Philippi III regis Hispaniarum, & Pauli V. Pont. Max. qui hac die ad Suarium epistolam dedit in hæc verba. Dilecte Fili, salutem & Apostolicam benedictionem. *Accepimus, librum à te pro Catholicæ Religionis, atq; hujus Sanctæ atq; Apostolicæ Sedis defensione elucubratum. Libentissimè illius lectione delectati sumus. Nam à viro tantæ pietatis & eruditionis, non nisi magnæ utilitatis opus expectandum erat. Interim tibi, maximeq; piis laboribus tuis, benedicimus.* Neque hac significatione benevolentiæ suæ contentus, Cardinalem Burghesium Nepotem suum, prolixiorem aliam scribere jussit P. Suario epistolam, quæ magis familiares, & luculentas amoris sui notas præferret. Quod Cardinalis cumulatè præstitit. *Massejus in Vita cap. 16.*

Liber P. Suarez pro defensione Catholicæ fidei.

3. In Prussiam è Litvania profectus Provincialis Magius anno 1570, Brunsbergam hoc die pervenit; ubi mirificè recreatus est conspectu maturescentium frugum, quas Brunsbergense Collegium, ceu adulta jam vinea, procreabat: ita sacra in templo fervebant opera, ita gymnasium florebat, eas Convictorum Nobilium contubernium, eas Clericorum Seminarium spes ostendebant. Tyrocinium in seposita Domus parte constituit: unde postea maxima commoda in provinciam emanârunt. *Sacchin. hist. Soc. lib. 6. n. 125.*

Brunsbergensis Collegij visitatio.

4. In Indiam Orientalem anno 1567 P. Organtinus cum 9 Sociis, in Occidentalem, Petrus Sancius Provincialis anno 1572 cum Sociis 14 appulerunt. *Idem ibid. lib. 3. num. 225. & lib. 8. n. 305.*

P. Organtinus in Indiam.

Eodem die obierunt.

5. Ad Polociam in Russia, anno 1620, P. Andreas Leomanus, Litvanus. Derpatensi in Livonia Collegio cùm præesset, à Suecis manibus pedibusq; ferro vinctis abductus est in Sueciam: ubi multis ærumnis per annos 7 maceratus, in carcere frigidissimo, ad equuleum quoq; raptus est. Tandem liber dimissus, stigmata à manicis compedibusq; altè impressa, cum grandi collectæ patientiæ sarcina, retulit in patriam. Polociæ amplitudinem charitatis suæ latè expandit: quando viginti Sociis ægris, mira diligentia serviendo, ostendit, Charitatem omnia ferre, omnia posse.

Carcer ærumnosus.

6. Virduni in Lotharingia, anno 1651, P. Joannes Parisot, Gallus, animarum zelo, & profundissimæ humilitatis studio insignis. Exhibuit hoc in moribus, quod in chartam conjecerat sive votum, sive promissum, sangvine suo subscriptum, cujus tenor est talis. Bone JESU, Dux meus, humillimæ humilitatis Doctor & Professor, exaudi

Humilitas.

exaudi me. In conspectu Divinæ Majestatis tuæ elegi, atq; iterum eligo, abjectus esse in domo tua, & Sanctissima Societate JESU, toto vitæ meæ decursu; & promitto me nunquam ab inita sanctæ humilitatis viâ deflexurum. Ex intimo cordis affectu renuncio omni sublimi in ea gradui, & dignitati cuilibet, paratus, vilia quælibet obire munia, pueros in infimis Grammaticæ classibus quantum per valetudinem licebit, docere: & quidquid contemptibilius est hominum oculis ad gloriam nominis tui aggredi, & prompta mentis alacritate, dum vivam, exequi. Ita promitto, ita statuo, atq; ex animo desidero.

Ioannes Parisiot, Avenione, anno 1644 ante celebrationem primæ Missæ. Sic me Christus, Dux humilitatis adjuvet &c.

Non aliter vixit. Semper in DEi & suo conspectu humillimus; Professionem 4 Votorum non admisit, nisi jussus.

Victima charitatis. 7. Burgis in Hispania anno 1599, qui illi regno planè Criticus Magnus fuerat, inter 6 Socios, in glorioso pestiferorum obsequio extinctos, primatum tenuit & temporis & dignitatis P. Christophorus de Ribera, hoc die sublatus, postquam recenter Præpositura Provinciali functus fuerat, & in fatalem hanc arenam ultro descenderat. Eodem die anno 1625, qui Belgio planè funestus fuit, simili morte occubuit vir eximius P. Joannes Chisaire Belga: quem vel præcesserunt, vel secuti sunt, Duaci duo, Dionanti 6, Insulis duo, Attrebati unus, Antverpiæ 15, universim 27. Sequens etiam annus 1626 immunis non fuit ab hujusmodi funeribus, sublatis per diversa Belgii loca Sociis 9.

X. SEPTEMBRIS.

Card. Bellarmini infirmi protestatio. 1. Robertus Card. Bellarminus supremo laborans morbo anno 1621, cùm adverteret; velocem esse tabernaculi sui depositionem, amicissimum sibi P. Andream Eudæmonem Joannem, è Soc. JESU, tenerè amplexus, hoc die rogavit: ut quàm primùm ederet librum aliquem contra hæreticos, in eo disertè sanctèq; testaretur, Card. Bellarminum cum eadem fide, quam in suis Libris propugnârat, mortuum esse. Item quoad opiniones de Auxiliis Gratiæ DEi, quæ inter Scriptores Societatis JESU, & Catholicos quosdam auctores alios agitântur, à se rata omnia haberi etiamnum, quæ de illis scripserat in Libris Controversiarum; neq; sententiam primam se ullatenus mutavisse. Interfuerunt huic obtestationi præter quinq; è nostris, tres ipsius Cardinalis agnati, Nicolaus Bellarminus Abbas, Marcellus Cervinus & Fabius Bellarminus, duo insuper cubiculi ipsius administri. Ut hujus rei perpetuum esset monumentum, curavit prædictus P. Andreas per publicum Scribam Instrumentum confici, illudq; à juratis præfatis testibus propriæ manûs subscriptione muniri. *Petrasancta in Vita Bellarm. lib. 7. cap. 3.*

Iesuitæ defendunt Parisios. 2. Anno 1590 contulerunt aliquid Socij Collegij Claromontani Parisiensis,

ſenſis, ad eam urbem ſervandam, ne ab hoſtibus improviſo occuparetur. Sparſus inprimis ſub noctem fuit rumor, de urbe ab hoſtibus invadenda. Dato igitur conſueto per campanam ſigno, magna vis propugnatorum, atq; inter alios manipulus noſtrorum ad mœnia convolavit. Hoſtes ubi ſenſerunt conſilia ſua prodita, nihil mouerunt; ideoq; dilapſi ſunt, qui accurrerant præſidiarii, cives, & religioſi. Perſtitit tamen manipulus noſter cum paucis aliorum. Animadverſa ſolitudine, hoſtes rem tentandam putarunt, & quoſdam cum ſcalis, ſilentio ſummo, præmiſerunt. Sed non fefellerunt vigiles Noſtros. Continuò inclamant, ad arma! expediunt ſe ad vim ſuſtentandam, & cùm hoſtium aliquot per ſcalam murum conſcendiſſent, jamq; unus deſcenſum pararet, ſtrenuè ſcalas deuoluunt cum militibus. Interim advolarunt propugnatores plures, & periculum depulſum eſt. *Sacchin. hiſt. Soc. lib. 10. n. 127.*

3. Anno 1605 cùm contra P. Petrum Cotonum virum religioſiſſimum, invidiâ ſtimulante ac hæreſi concitante, Pariſiis complures famoſi libelli ſparſi eſſent; Henricus Magnus rex Galliarum, cujus Confeſſarium agebat P. Petrus, mandatum dedit ad Præfectum urbis: ut ſeverè diligenterq; inquireret in authores, typographum acriter puniret, & omnia conquireret exemplaria. *Hazart in hiſtor. Eccleſ. Gall. cap. 45.* *Libri famoſi contra P. Cotonum.*

4. Anno 1549. hac die mortuus eſt Paulus III annos natus 82 cum ſediſſet annos 15 dies 20, ex perturbatione vehementi literis lectis Octavii nepotis ſui interminantis. Quare moriturus identidem illud Davidicum carmen occinebat: ſi mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero, & emundabor à delicto maximo. *Brietius.* *Paulus III Papa moritur*

Eodem die obierunt.

5. Nangaſachi in Japonia, anno 1622, P. Carolus Spinola, Italus, illuſtriſſimi ſangvinis, cum octo è Societate Sociis, Japonibus, odio fidei peremptus. Meaci in urbe regia, Miniſtrum Collegii ſeptennio egit, tanta charitate: ut quos ea incendi volebat P. Franciſcus Pacecus, iis author fuerit, ut frequenti uterentur conſuetudine Patris Caroli. Quotannis per menſis unius ſpatium Exercitiis Spiritualibus vacabat, & ſe ad Martyrum agonem parabat. In ſæviſſima contra Chriſtianos perſecutione, ſub Joſephi à Cruce nomine latuit, ad opitulandum Chriſtianis: & iniquiſſimis licèt temporibus illis, quinq; millia Japonum baptiſmo luſtravit. Tandem 14 Decemb. anno 1618 captus, compactus eſt cum Sociis in celebrem Omurenſem carcerem, tam anguſtum; ut ſinguli captivi non integrum trium palmorum ſpatium haberent; unde pædor, fœtor, & innumeræ aliæ ærumnæ, morte acerbiores, integro fere quadriennio toleratæ. His tamen incommodis non contenti, fortiſſimi Chriſti pugiles, voluntarias alias adjiciebant corporis afflictationes, jejunia, flagellationes, *Carcer Omurenſis.*

insomnia &c, tantusq; erat in corporis infirmitate vigor spiritus: ut P. Carolus dixerit: *Ergastulum illud sibi videri Paradisum.* Præter nostros novem, tenebantur eodem carcere, ex Ordine S. Dominici octo, Minoritæ quatuor, triginta alii Christiani. Cùm ad supplicium vocarentur, psalmos inter dulcissimas lacrymas canebant. In loco supplicii; triginta millia Christianorum, qui confluxerant, sunt censa. Columnis alligati, cecinêre læti, præcinente P. Carolo, Psalmum, *Laudate Dominum omnes gentes.* Cùm jam lento igne torrerentur, scintillæ quædam è rogo in pectus P. Caroli advolarunt; eiq; adhærescentes, vestem incenderunt; unde factum, ut ante alios extingueretur. Socii ejus è Societate in glorioso hoc agone fuerunt, P. Sebastianus Quimura, primus è Japonibus Sacerdos; Antonius Kinni, Gonsalvus Fusai, Ludovicus Gavara, Michaël Xumpo, Petrus Sampo, Thomas Acafoxi, & Joannes Ciucoga: cui cùm deesset palus, ad quem alligaretur, capite truncatus est.

Concionator celebris.

6. Romæ anno 1662, P. Joannes Rho, Italus Mediolanensis, vir culti ingenii, & raræ facundiæ. Cùm Indias impetrare non posset, totum se dedit Italiæ excolendæ concionibus sacris: quo munere functus est totis 37 annis, eâ cum laude, ut paucos habuerit sibi pares. Splendorem quendam cælestem ejus orationi addebat vitæ innocentia, & ex abdito promicans flos Virginitatis illæsæ. *Soutvell.*

XI. SEPTEMBRIS.

Charitas nostrorum vapulat.

1. CONchæ in Hispania jacta sunt anno 1554 Collegii fundamenta. Cùm enim è Collegio Complutensi inter æstivos calores, subinde Socij aliquot valetudinis debilioris, ad fruendum cœlo salubriore, mitterentur Concham: ea morum probitate ac compositione sese civitati commendârunt; ut non nemo Canonicorum, Petrus Puteus, aliàs à Societate satis alienus, instructissimas ædes suas, cum adjunctis hortulis & fonticulis, eidem donârit, addita promissione de templo suis sumptibus extruendo. Sed optimè cœpta vix non evertit casus repentinus. Domi suæ deprehenderat civium quidam in turpi flagitio Sacerdotem, cui vindice ferro plagas aliquot mortiferas inflixit. Elapsus è manibus saucius, incidit in Patres nostros fortè obvios, petijtq; domum recipi, donec sub noctem ad tutiora se recipere posset. Admissus non gravatè, curata vulnera medicamentis, & animus Confessione Sacramentali, demum ad matrem æger deportatus est. Sed unde laudem sperare poterant, probrum ac dedecus reportârunt boni religiosi. Rumor enim illico per totam diœcesim diditus est: unum è Societate in flagitio deprehensum & necatum esse. Sed non permisit DEus, ut charitas vapularet; tantumq; vitæ concessit saucio, ut veritas luculenter patesceret. Documentum tamen datum, ne nimis prompti simus, ad hujusmodi homines recipiendos. *Orland. hist. Soc. p. 1. lib. 14. n. 76.*

2. Ad

2. Ad sedandas in Gallia turbas Avenionenses contra P. Possevinum & totum Collegium, conflantibus hæreticis, & de hæresi suspectis, graves dedit literas Pius V. Pont. Max. anno 1569. ad Nuncium suum, ad Card. Armeniacum & Consules Avenionenses: quibus & Possevino major existimatio, & Collegio major securitas & authoritas est conciliata. *Sacchin, hist. Soc. lib. 5. p. 3. n. 145.*

Litera Pij V. pro Societate.

Eodem die obierunt.

3. Aquilæ in Italia, anno 1608, P. Sertorius Caputus, Italus. Crudus in se ipsum, & fere nimius in corporis castigatione. In juvandis proximis laborabat, quantum tres alii non desides. Sæpe ejus vultus cælesti luce perfusus conspectus est. Invisentem SS. Sacramentum, Christus D. è tabernaculo procedens, amanter amplexus est. Corpus ejus, virginitate floridum, post quinq; annos repertum integrum, odore fragrans, molle, tractabile.

Castitas.

4. Rhenobercæ in Belgio, anno 1639, P. Hermanus Hugo, Belga, suavitate morum, & elegantia scriptorum eximius. Quàm piis in DEum arserit affectibus, testantur ejus pia desideria suavissimis elegiis in lucem data, typis sæpiùs repetitis. Præfuit Nostris Missionariis Castrensibus in exercitu regis Hispaniæ, tam ampla in omnes charitate: ut voti religione se obstrinxerit, ad nulli, sive externo, sive domestico negandum, quidquid charitatis præstare posset. Hinc morbum & mortem traxit ab obsequiis charitatis ægris impensæ in castris. Viaticum percepturus, magna fiduciâ Dominum est allocutus: *Domine, tu nosti, quòd verè te ex corde quæsierim, amaverim, serviverim: redde ergo mihi coronam justitiæ.*

Missionarius insignis.

5. Posnaniæ in Polonia, anno 1637, P. Stanislaus Domaniewski, Polonus. Noctu, somno ter abrupto, tres dabat horas orationi. Per octavam Corporis Christi fere habitabat in templo. Quotidiani sacri apparatus, & actio gratiarum facile duas horas occupabat. Noctu ter totis viribus se cædebat; ut subinde lassus, ad Crucifixi pedes procumberet, sibi & animabus purgatorii misericordiam flagitans; quibus, quidquid boni ageret, malive pateretur, transcripserat. Ita Collegiis præerat, ut *Charitatis Rector diceretur.*

Oratio & mortificatio frequens.

XII. SEPTEMBRIS

1. INchoatum est in Germania anno 1557 celebre Vormatiense Colloquium inter Catholicos & Acatholicos. Utrinq; designati erant viri docti 12; ex quibus seni ex quavis parte primatum dicendi tenebant, alii quasi subsidiarii, ubi opus esset, præstò esse debebant. Inter Catholicos Theologos aderant duo è Societate, Canisius & Gaudanus: omnibus præerat Episcopus Mespurgensis. Canisio datum negotium ordinandi ea, de quibus consultandum & disceptandum erat. Ex parte hæreticorum convenerant Melanchton, Erasmus, Schneppius, Pistorius, Sarcerius, Bullingerus, Brentius, Illyricus Flaccus & similes Novatores; tum suapte indo-

Vormatiense Colloquium.

le, tum principum heterodoxorum authoritate feroces. Priusquam ad conflictum capitalem veniretur, requisiverunt Catholici: ut inter duas tantùm partes disceptatio institueretur, scilicet inter Catholicos & Protestantes, Augustanam Confessionem profitentes; cæteri secernerentur, & locum non haberent, ne confusio oriretur, dum quisq; pugnat pro secta sua. Sed ex hoc ipso factum est initium confusionis Babylonicæ: cœperunt enim sectarii inter se digladiari, & alii alios rejicere, tanquam non sinceros Augustanæ Confessionis professores. Quinq; igitur Collocutores tandem rejecti sunt: qui contumeliæ impatientes, expostulatorium libellum, quo collegarum fraudes aperiebant, obtulerunt Præsidi Colloquii, atq; ad sua redierunt. Septem quoq; reliqui, cùm se Catholicis impares viderent, negotium abruperunt, & campum gloriæ illis reliquerunt. Canisius ergo & Gaudanus, ad reformandos Vormatienses in fide & moribus conversi, operam posuerunt valde fructuosam in urbe admodum paucos Catholicos numerante. *Sacchin. hist. Soc. p. 2. lib. 1. n. 100 &c.*

P. Palmius pacem conciliat. 2. In Italia Genuæ orta seditione anno 1575, cùm ad arma ventum esset, nec modus reperiretur componendi seditiosos, frustra laborantibus Legatis Pontificio, Cæsareo & Hispano; multum ad pacificationem contulit P. Benedictus Palmius, suâ illâ invictâ vi dicendi quam etiam vaticinio firmâsse visus est, quando intra horas 24, ope DEiparæ V. pacem proclamandam prædixit ex vero. *Sacchin. hist. Soc. p. 4. lib. 3. n. 78.*

Eodem die obierunt.

3. In Paraquaria, anno 1632, P. Marcellus de Lorenzana, Hispanus. Multis gravibusq; laboribus, insidijs, ærumnis exercitus, Apostolicæ professioni cumulatè satis fecit. Varijs gratis datis à DEo honoratus, & futura ex vero prædixit multoties, & compluribus sanitatem, impositis manibus, vel Evangelio recitato restituit; & à vipera pestilentissima sauciatus, nihil damni accepit.

Grammaticæ 42 annis docta. 4. Marchenæ in Hispania, anno 1637, P. Michaël Sanchez, Hispanus. Ut ætatem teneriorem ad solidam virtutem formaret, firmaretq;; totos duos supra quadraginta annos Grammaticæ docendæ impendit. In obsequio pestiferorum eadem lue saucius, quàm primùm conualuit, redijt ad eandem spartam: quin voti quoq; religione se obstrinxit; quoties occasio similis obsequij se offerret, se eidem non defuturum. Quinq; vel sex horas quotidie dabat orationi, nocte supplente, si diurnæ occupationes non permisissent.

Vita Sanctorũ. 5. Antverpiæ in Belgio anno 1665 P. Ioannes Bollandus, Belga, Author primus vastissimi operis, quod inscribitur, *Acta Sanctorum.* Quàmvis enim non modicam in simile Opus congesserit materiam noster Heribertus Rosweidus; quominus illi formam daret congruam, fecit mors intempestiva. Bollandus, pro amplitudine ingenii & eruditionis suæ, quàm excellentem concepit operis ideam, tam laboriosas ejus exe-

cutioni

cutioni admovit manus, tam operosas subijt curas in corradendis Sanctorum Vitis fere ex omni Europa. Quinq; Tomos mensium Ianuarij & Februarij edidit superstes, magno eruditorum & ascetarum applausu: in cæteris quoq; suam habet partem ex materia collecta Mirum est, illum tantis suffecisse laboribus; cùm & multis nec levibus premeretur morbis, calculo, hernia, asthmate &c. & cilicina veste, cruentisq; flagris assiduèattereret corpus. Quanti virùm æstimârint alij sacrarum familiarum Ordines, patuit ex solemnibus exequijs, quibus triduo illi parentarunt RR. PP. Præmonstratenses, Dominicani, Franciscani & Carmelitæ. *Soutvell. in bibl. Soc.*

XIII. SEPTEMBRIS.

1. ANno 1598 magnum & munificum sui æstimatorem amisit Societas, Philippum II. regem Catholicum, cui tot regna per tot annos prudentissimè gubernata, dederunt nomen Sapientis. Initio quidem minùs illi addictus videbatur, ac tardè illam in Belgium admisit: at ubi à P. Ribadeneira de ipsius Instituto solidiùs est instructus, & à Ferdinando Imperatore informatus, non pauca nec levia optimæ de illa opinionis dedit argumenta. Inter cætera est epistola data ad Præpositum Generalem Franciscum Borgiam, quâ petijt supperias in Americam expediendas. Ob bonam, inquit, relationem, quam habemus de Societatis personis, ingentiq; fructu quem fecerunt, & faciunt, in his regnis; optavi illorum aliquos in nostras Indias maris Oceani mitti; & quia in illis quotidie magis crescit similium personarum necessitas, & in maximum Divini Numinis obsequium cederet, dictos Patres in illas partes pergere ob Sanctitatem, & bonitatem, quâ pollent. Quamobrem ego te hortor ac rogo, ad Indias nostras prædictas ire jubeas 24 Religiosos, ubi à Senatu nostro fuerint designati. In quo ultra obsequium divino Numini faciendum, magnam ego capiam voluptatem, omniaq; ad iter necessaria providebo; ac demum terra illa, ad quam perrexerint, ingens gaudium ac beneficium sua præsentia accipiet. *Euseb. Nieremb. in Vita S. Borgiæ lib. 3. c. 8.* *Philippi II Mors.*

2. Parisiis anno 1669 manu carnificis publicè laceratus, & combustus est auctoritate Regis Christianissimi, per sententiam Judicis Justitiæ, Libellus Anonymi auctoris, Gallicè impressus sub titulo *Moralis praxis Jesuitarum*, tanquam infamatorius, scandalosus, & calumniis refertus. *Soutvell. in biblioth. Soc.* *Liber combustus.*

Eodem die obierunt.

3. In itinere Brasiliensi, anno 1571, P. Petrus Diaz, Lusitanus, cum quatuor Socijs, Gaspare Goë, Francisco Castrio, Michaële Aragonensi, & Francisco Paulo, ab hæreticis piratis Gallis, odio fidei, cæsus & in mare deturbatus est. Unus Sociorum,

Desertor Societatis. Gaspar Gonsalvius, cum satis animi non haberet ad gloriosam mortem oppetendam, posita Societatis veste, immiscuit se turbæ, ut evaderet: sed postea & ipse cum inutili turba, ne illa alenda gravaretur navis, præcipitatus in mare, ignaviæ pœnas dedit.

Victima fidei. 4. Castellæ in Hibernia, anno 1647. P. Guilielmus Boytonus, Hibernus, cùm operam daret absolvendis Catholicis; à victore milite hæretico, vel maximè Sacerdotes ad necem deposcente, cæteris impunitate promissa, interemptus est.

Prædictio calamitatum. 5. Comi in Italia anno 1630 Magister Ludovicus Schiesa, Italus. Hunc inter impigros scholæ labores mors contagiosa intercepit. Cùm in extremis esset, post diuturnum silentium, altum ex imo corde duxit suspirium, vatemq; agere cœpit, prædicens urbi & Collegio imminentes calamitates. Expressit nominatim, quinam in Collegio essent peste morituri, imò qua die & qua hora. Unde ista nosset, petenti Magistro Guidoni, respondit: Curiosius ista quæri, quàm oporteat. Paulò pòst Sacramentis ritè procuratus, piè decessit; secutaq; sunt omnia, prout Ludovicus prædixit.

6. Panormi in Sicilia anno 1576 P. Joannes Marchesius, Siculus, igne Charitatis, erga pestiferos ardentis conflagravit, cum Socijs duobus.

XIV. SEPTEMBRIS.

Amacai conceditur nostris Area. 1. APud Sinas, Sociis anno 1583 turpiter ejectis, sed mox Amacao revocatis, DEI inprimis, deinde Gubernatoris Sciauquinensis favore, area conceditur pro erigenda domo & æde sacra. Cùm Sciauquinum, quæ urbs Proregis sedes est, ad Gubernatorem pro tribunali sedentem deducti essent ejusque mandata flexis de more genibus operirentur: quæsivit is; qui, & unde, quorsum? Responderunt Patres per interpretem: se viros Religiosos esse, qui unum Cœli Dominum pro Numine venerantur; venisse se ab ultimis Occidentis partibus, annorum fere quatuor navigatione, illectos famâ de Sinarum Imperio acceptâ; non aliud se desiderare, quam modicam aream, in qua colendo Numini ædiculam, sibi exiguam construerent domum; victuros se corrogato à suis sumptu, nemini graves, nec unquam deserturos locum concessum favore Gubernatoris æternùm æstimando. Gubernator, ut erat vir comis & benignus, facile annuit, atq; hoc die, Exaltationi S. Crucis sacro, accersitis ad se denunciavit: habituros, suo imò & Proregis assensu, optatam aream; quam insequenti die designavit loco peramœno prope Turrim, quæ tunc speciosissima ædificabatur publico sumptu. Patres amplissimis gratiis & vitro trigono (quod ibi pro gemma pretiosissima habebatur) remunerati Gubernatorem, infinitas DEo laudes dederunt pro insperato favore, ad primùm in ea terra tandem figendum illi & sibi domicilium. *Trigautius de Expeditione ad Sinas lib. 2. cap. 4.*

2. In Brasilia anno 1561 ingens facta est gentilium barbarorum con-

versio, multa millia è vallibus, sylvis, & montibus educta, atq; ad vitam socialem agendam, in pagos sunt distributa, operâ potissimùm Patris Granæ Provincialis, viri Apostolici & indefessi: qui hoc die solemnem instituit baptismum, in Taparica regione, lustravitq; Episcopus, ab illo & Sociis instructos, triginta supra quingentos; postero die octoginta paria Sacramento Matrimonii rite copulavit. *Sacchin. hist. Soc. p. 2. lib. 5. n. 28. & seqq.*

Conversio multorum.

3. In Moschovia cùm anno 1581 P. Antonius Possevinus, Pontificis Legatus, urgeret M. Ducem, ut promissa exequeretur, præsertim quoad liberum Religionis Catholicæ exercitium: cæteris facile annuit, ultimum hoc planè abnuere decreverat; intentus tamen in eventum obsidionis Plescoviæ, quam Stephanus rex fortiter urgebat, dissimulavit tantisper, jussitq; Possevinum interim redire ad Stephanum, Paulum Campanum ad Cæsarem & Venetos, Drenoczium cum Socio, tanquam obsides, detinuit apud se. Ergo iter suum hoc die aggressi sunt illi; quod Possevino felix fuit hoc uno, quòd Moschum comitem & interpretem, sibi datum, Ecclesiæ Catholicæ aggregârit. *Sacchin. hist. Soc. part. 5. lib. 1. n. 133.*

Possevinus in Moschovia.

Eodem die obierunt.

4. Romæ anno 1596, P. Franciscus Toletus, S. R. E. Cardinalis, Hispanus. Sotus ejus in sæculo magister appellabat illum Prodigium ingenij; putabaturq; sua ætate neminem parem habere in sapientia. A Pio V ad Palatij Apostolici conciones habendas adhibitus est, à Clemente VIII in sacrum Cardinalium Collegium cooptatus. Etiam in ea dignitate procul habebat delicias, & vanam ostentationem: legumina illi cibus ordinarius, Sabbato panis tantùm & aqua in honorem DEiparæ V. cujus templum eodem die quot hebdomadis è Vaticano pedes adibat, quæcunq; tempestas esset, ibiq; Sacrificabat. Festo Assumptionis præmittebat 40 dierum jejunium. Post mortem cuipiam apparens dixit: *Ego auxilio Magnæ DEi Matris sum salvus.*

Toleti Cardinalis elogia.

5. In mari, anno 1571, superstites P. Petri Diaz, de quo heri, Socij Septem hoc die, odio fidei in mare demersi sunt; ab hæreticis, cùm in Brasiliam tenderent ad infideles convertendos; Petrus Fernandius, Ioannes Alvarez, Alphonsus Fernandus, Andreas Pais, Ferdinandus Alvarez, Petrus Diaz, & Didacus Galvalius.

6. Parisijs anno 1562, P. Paschasius Broëtus, Gallus, unus è Decem Primis Patribus, à S. Ignatio nomine *Angeli Societatis* honoratus. Italiæ primus Provincialis fuit; à Pontifice in Hiberniam missus cum auctoritate Nuncij Apostolici, multa egit ac passus est: Lugduni in Gallia conjectus in vincula ut explorator. Æthiopiæ Patriarcha destinatus, occubuit in Gallia, contracta lue pestifera ab ægro, cui inserviebat.

P. Broëti encomia.

7. Nesuisij in Litvania anno 1694 P. Andreas Domajewicz, Polonus. Ad Societatem illum compulit triste vaticinium, à P. Sierakowski, Convictus Olomucensis Præfecto editum. Cùm enim is in triduo antecinerali interesset Convictoribus suis, honesto lusu se distrahentibus (qui erant circiter 40, atq; inter hos unus P. Andreas) repente

Salvandorum paucitas.

pente solutus est in amarissimas lacrymas & singultus, quos nullo conatu cohibere potuit. Causam cum rogarent atq; urgerent adolescentes, aperuit: quòd scilicet ex illo quadragenario numero, septemdecim tantùm essent salvi futuri. Consternatus præ cæteris Andreas, in similes prorupit lacrymas, nec consolationem admisit, donec Pater illi indicaret: eum esse unum ex illis septemdecim. Ut tamen salutem suam faceret certiorem: Societatem ardentissimè expetiit, atq; in ea religiosissimè vixit vir mansuetissimus etiam extraordinarijs gratijs à DEo honoratus. *Ioann. Brictius in Vita P. Vjeyski cap. 23.*

XV. SEPTEMBRIS.

Tres Martyres Iaponenses

1. URbanus VIII Pont. Max. tres è Societate Japonenses Martyres, Paulum, Jacobum & Joannem Sanctos pronunciavit, atq; Missam & Officium de ipsis Societati concessit. Bullar. Constit: 71. Urbani VIII. Quam facultatem extendit Sacra Rituum Congregatio ad quosvis Sacerdotes Regulares & Sæculares, in templis Societatis. *Ibid.*

Bellarmini corpus transfertur.

2. Anno exacto ab obitu Card. Bellarmini, cùm Præposito Generali videretur satisfactum esse voto ejusdem Card. quo locum inter nostros defunctos sibi mortuo delegerat, & obtinuerat; ut etiam aliorum piis & æquis postulationibus satisfieret, quibus tanti Viri sepulchrum speciale, & notabilius petebatur: translationem Corporis ejus demandavit P. Hieronymo Boschetto, Ministro domûs Professæ Romanæ. Eductum igitur è communi sepulchro, hoc die, anno 1622, & agnitum ab eodem Præposito Gen. atq; PP. Assistentibus, inventum est pectore & capite nulla tabe vitiatis, eratq; vultus non modò integer, sed recentissima specie. Ablutum ergo, atq; indutum dalmaticâ, & Sacerdotali casulâ carbasinâ coloris violacei, incluserunt arcâ cypressinâ, quæ thecâ plumbeâ tegebatur, ac deposuerunt in sepulchro S. P. N. Ignatii propè aram maximam, ad latus dexterum; siquidem ejus, inter cœlites jam relati, sacræ reliquiæ pro tumulo aram obtinuerant. Nec potuit dignior inferri S. Patris sepulchro, *Petrasancta in Vita lib. 7. cap. 4.*

Coloniæ locus emitur pro templo.

3. Coloniæ Agrippinæ anno 1582 dum nostri de coëmendis vicinis ædibus ad extruendum templum Collegii, sunt soliciti præter spem oblatum est exiguum quidem, sed in proximo situm, cœnobium Sanctimonialium: quarum cùm quinq; solùm superessent, & istæ inter se irreconciliabiliter dissiderent, convenerunt tandem, & facultas illis datâ; ut, quam quæq; mallet, aliam ingrederetur, religionem. Sic cum bona Summi Pontificis venia, emptum est Collegio cœnobium illud cum templo suo. *Sacchin. p. 5. lib. 2 n. 105.*

Eodem

Eodem die obierunt.

4. Tabiræ in Japonia, anno 1622, P. Camillus Conſtantius, Italus. Poſt multos labores & ærumnas, fidei cauſâ, in exilium pulſus, rediit perſonâ militis tectus, horisq; nocturnis operam dabat animabus juvandis. Tentus ac rogo addictus, præclarum Chriſtianæ fortitudinis exemplum dedit. Medias inter flammas egregiè de Animæ immortalitate ac felicitate Chriſtianorum, dixit ad populum. Tum Pſalmum, *Laudate Dominum omnes gentes*, occinuit, & poſt *Gloria Patri*, ter Japonicè exclamavit: *O quàm bene eſt mihi*! Deniq; abſumpto fere corpore, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, quinquies decantavit; ſtupentibus barbaris infractum viri robur. *Victima fidei.*

5. In Jafanatapa, Indiæ Orientalis provincia, anno 1628, P Matthæus Fernandez, Indus, & P. Bernardinus Pecius, ſeu Senenſis, odio fidei, à barbaris, confoſſi lanceis & capite truncati ſunt: poſt ſtrenuos in illa regione labores, baptizatis quinque millibus à ſolo P. Matthæo.

6. Taurini in Sabaudia, anno 1618, Cæſar Boſchus Italus, Scholaſticus. Societatem ingreſſurus, accitis in conclave parentibus, collegit omnia, quæ habebat, Muſicæ inſtrumenta, illiſq; perſcitè ac perjucundè modulatus, dixit: *Valete, valete, ómnes hactenus, lu et fluxæ lætitiæ instrumenta! Nam ego ad Chriſti vexillum, ad Societatem IEſu, me meaq; ſtudia hinc transfero.* Dixit, abjecit, abiit: & in Societate ad omnem legum harmoniam ita compoſuit mores ſuos: ut nec ſponte, nec per inconſiderantiam, viſus ſit, contra ullam delinquere. *Muſica inſtrumenta abjecta.*

7. Uliſſingæ in Zelandia anno 1641 P. Joannes Suffren, Gallus; Concionator totâ Galliâ celeberrimus, & quod rariſſimum, omnibus gratus. Non enim homines, præſertim Magiſtratus & Prælatos; ſed vitia, & eorum authores dæmones, acerrimè inſectabatur. A Regina Maria Vidua, Henrici IV conjuge, & poſtea ab ejus filio Ludovico XIII, lectus, ut eis à confeſſionibus ſacris & concionibus eſſet, tanta integritate munus illud per annos 31 geſſit: ut nihil aulici juris ſaperet. Si quis ejus operam in profanis negotiis apud regem vel reginam expeteret: rotundè reſpondebat: *Id ad Principis conſcientiam minimè pertinere.* Coactus poſt diuturnos calculi dolores ſubire ſectionem, nullum gemitum, nec ullam dedit vocem, præter illam identidem ingeminatam: *Ita Pater; quia ſic placitum fuit ante te.* Juſſus reginam comitari in Angliam, morbum ibi contraxit: ad quem curandum repetens Galliam, in portu Uliſſingano religioſiſſimè deceſſit. Præter concionum Tomos duos, libros edidit ſpiritualiſſimos ad formandum hominem Chriſtianum. *Soutvell.* *Miſſionarius aulicus exactus.*

XVI. SEPTEMBRIS.

1. ANno 1675 Clemens X. Pont. Max. Conſtitutione *Cùm dudum &c.* vetuit: ne profeſſi Societatis translati ad aliam Religionem, tranſire inde valeant ad laxiorem, ſine licentia Sedis Apoſtolicæ; in qua expreſſa erit mentio facienda tum Profeſſionis in Societate, tum iſtius Clementinæ Conſtitutionis: aliàs invalida erit eorum Profeſſio, & pœnis apoſtatarum erunt ſubjecti. *Bullar. Societ.* *Profeſſi Societatis ad quam religionẽ tranſire poſſint.*

Valnius ingreditur Societatem.

2. Compluti in Hispania, insignis Doctoris & Abbatis Petri Valvii, contigit anno 1571 ad Societatem accessio. Erat ita instructus tum terrenis opibus, tum naturæ & gratiæ dotibus: ut inter mortales jam videretur beatus. Is cùm in Exercitiis S. Patris votum fecisset de Societate ineunda, postmodum autem videretur sibi corpore debilior, quàm ut ferre posset communem in Societate vitam, de executione voti atq; ejus obligatione, toto decennio deliberavit, arguente semper conscientiâ. Quam ut tranquillaret, rem tandem trium Doctorum integerrimorum judicio commisit. Illi cùm & voti liberam satisq; deliberatam emissionem haberent perspectam; nec ignorarent, quàm attemperata esset humanæ infirmitati disciplina Societatis, quáve charitate subveniretur indigentibus; pronunciarunt: Petrum voti reum esse. Is sine mora Collegium adit, & P. Provincialem per sacra omnia obtestatur, ut confestim Societatis copiam sibi faciat. Qui cùm distulisset, impatiens moræ Abbas postridie alteram, eamq; feliciorem fecit impressionem viribus totis. Admissus ergo, confestim torrentis instar post aggerem perfractum, se effudit in omne genus religiosæ pietatis: ut tergiuersationem pristinam & dispendium cumulatè compensaret. Et visus est DEus contentus esse tanta contentione in studio virtutum, nam post vix exactos in Religione menses tres, consummatum in brevi tyronem, ad veteranorum stipendia vocavit assumpsitq; in cælum. *Sacchin. hist. Soc. p. 3. lib. 7. n. 118 &c.*

Eodem die obierunt.

Missionarius celebris.

3. Atrebati in Belgio, anno 1633, P. Joannes Carlier, Belga, Missionum religiosè & fructuosè agendarum exemplar accuratum. Fama illius fragrantissima commoti, Albertus & Isabella, Belgii Gubernatores principes, accitum ad se, liberaliter laudarunt, atq; ut ita pergeret, impensè sunt cohortati: quod etiam fecit P. Mutius Vitelleschus Præpositus Generalis, adjecto mandato; ut modum, quem in Missionibus teneret, perscriptum mitteret Romam, ad imitationem aliorum. Commune concionum ejus argumentum erant quatuor Novissima, quibus inveteratorum corda validè concutiebat; adjectâ insuper acri sui verberatione, etiam coram ipsis obstinatis. Non rarò ter quaterve in die ad populum dicebat, tanta contentione: ut aliquoties sudorem sangvineo similem sudasse, sit compertum. Nomen obtinuit Joannis non manducantis, nec bibentis, nec dormientis. Nam hora 12 noctis jam Ecclesiam adibat, & ære campano signum conveniendi dabat; inveniebatq; sæpe jam paratos, qui peccata deponerent.

Victima charitatis.

4. Hui in Belgio, anno 1636, P. Henricus Carlier, Belga, nepos ex fratre Patris Joannis, de quo proximè dictum. Inclementer in se severus, charitate erga alios diffluebat, assumpta non semel pestiferorum curâ; cui etiam immortuus tandem est; postquam Collegii Ministrum non ita pridem defunctum, vidit audivitq; se invitantem ad triumphantem Societatem.

5. Ro-

5. Romæ anno 1580, Januarius Duchus, Italus, Scholasticus. Tanta divinitus replebatur dulcedine: ut ad divinam accumbens mensam ita lacrymis solum madefacere consueverit; ut inde monstrari posset locus, in quo Januarius flexisset. Solicitus supra modum de dolore pro peccatis eliciendo, tandem Natali die Virginis DEiparæ, post susceptum SS. Christi Corpus, vocem audivit interiorem; qua jubebatur bene sperare; dimissa ei esse peccata. Ita animo rediit serenitas. In supremo morbo stupenda fortitudine sustinebat, latus sibi transfigi, & immisso chirurgi digito vulnus diduci, ad aperiendam cordi respirationem, cùm aliunde esset interclusa recenti aëri via.

Lacrymarum copia.

Remissio peccatorum.

6. Xaoceæ anno 1591, P. Antonius Almeida. Hunc Lusitania dederat Societati anno 1576. Cùm occlusum in Sinam aditum cerneret Mandarinorum severitate, rogaverat moderatores, ut liceret sibi servire servitutem apud unum aliquem è Sinensi populo, & opportunitatem prædicandi ethnicis Evangelii perpetuo libertatis damno emere. Primus in Sinica sepultus humo, felicis terræ possessionem Sociis velut arrogavit, supremo in morbo gravissimis oppressus doloribus, illos augeri, sed amorem simul & patientiam augeri postulabat. Ad officii Ecclesiastici diurnum pensum addebat Officium B. Virginis, cujus quotidie recitandi morem à puero servaverat. Peregriuationum & ærumnarum, quas ea fert vita durissimarum acerbitatem jejuniis, ciliciis, flagellis cumulabat; Xaverianum illud *amplius*, amplius identidem ingeminans. *Iuvencius cap. 19. p. 5.*

Mancipium charitatis.

XVII. SEPTEMBRIS.

1. S. Pater anno 1554 cum Patribus Professis consultationem instituit de adjungendo 4 Votis solemnibus Professorum, voto simplici, quo obligarentur Professi ad Prælaturas promoti à summo Pontifice, audire suadentem Generalem, & consilium ejus sequi, si ipsis videretur melius: editumq; est & consignatum ab omnibus Decretum affirmativum. *Bartol. in Vita Sancti lib. 3. n. 32.*

Votum simplex Professorum.

2. Ferdinandus II Imperator à P. Præposito Generali Societatis rogatus, quid sentiret de quadam calumnia ex Curia ipsius evulgata? hanc anno 1633 epistolam ad illum dedit: Reverende in Christo Pater. Remitto Reverentiæ Vestræ mendacium mendaciorum omnium mendacissimum: quod quidem risi, sed simul totus excandui. Et quia vestra Reverentia in hoc puncto, seu mendacio à nobis testimonium in contrarium petiit; non detractavimus ad conservandam bonam famam Matris nostræ Societatis, in amplissima forma extra dare &c. *Gomez in Elog. Soc.*

Litera Ferdinandi II Imp.

3. Romæ P. Franciscus Toletus anno 1593, magno mœrore Societatis, extimescentis, ne aliis hoc exemplo, in Societate nondum viso, aliqua ad ambitionem fenestra aperiretur, à Clemente VIII in Sacrum S. R. E. Cardinalium Collegium est cooptatus, dotibus & meritis quidem par

Toletus fit Cardinalis.

dignitati tantæ, sed suâ & Societatis causâ summo studio reluctans, donec præcepto adigeretur. *Soutvell. in biblioth. Soc.*

P. Leynez vult resignare Generalatum

4. Impositum Præpositi Generalis munus cùm P. Jacobus Laynez, in annum tertium laudabiliter gessisset, abdicare se illo conatus est anno 1560, voluitq; in eum finem convocare Generalem Congregationem. Sed ab Assistentibus inhibitus est, & monitus, ut Instituto Societatis, quod perpetuum vult Generalem, non minus tribueret, quàm privatæ humilitati suæ. *Sacchin. hist. Soc. n. 2. lib. 4. n. 13. & seqq.*

Eodem die obierunt.

Bellarmini controversiæ.

5. Romæ, anno 1621, P. Robertus Bellarminus, S. R. E. Cardinalis & Archiepiscopus Capuanus. Ad dignitates Ecclesiasticas interposito anathemate, ni pareret, impelli debuit. Electionis ejus in sacrum Purpuratorum Patrum Senatum, rationem dedit Clemens VIII hanc: *Hunc elegimus: quia non habet parem Ecclesia DEi quoad doctrinam; & quia est Nepos Optimi & Sanctissimi Pontificis*; scilicet Marcelli II. Doctrinæ prærogativam si illi subtrahant invidi, vel amusi quidam Catholici; deferent heterodoxi: cùm nullum censeant majorem sibi hostem, nullum totis castris acriùs impugnent. Nam, ut fassus est Theodorus Beza de quodam Bellarmini Volumine: *Vnus hic Liber, ajebat nos omnes humi proturbat.* Unde in Angliæ Academia Cantabrigiensi primùm, mox etiam in Oxoniensi, nova prælectio instituta est, ad Controversias Bellarmini, si possent, refellendas. E Catholicis primæ classis Sapientibus doctissimus Cardinalis Perronius, debellator hæreticorum in Gallia celeberrimus, asserit; Pluris à se fieri Controversias fidei Bellarmini, quàm ullum opus aliud quod vel ab annis mille sit editum pro Ecclesiæ defensione Cardinalis Baronius dicit, esse Turrim David, ex qua mille Clypei pendent, & omnis armatura fortium. Accedit & illud argumentum gravissimum; quòd Opus hoc in solo Septemtrione, Vigesimam habuerit editionem. Sanctitatem Viri eminentem testantur, & Vita typis edita, & fama communis, & mira ab ipso patrata divinitus ante ac post obitum; & Processus instituti pro ejus Beatificatione.

Victima fidei.

6. Londini in Anglia, anno 1644, P. Rudolphus Corbæus, Hibernus, post multis sudoribus rigatam Angliam uberrimo fructu, tentus, & patibulo addictus est eâ causâ, *quòd plures ad Ecclesiam Romanam seduxerit.* Patibulum suavissimè exosculatus, suspensus est, atq; in 4. partes semianimis sectus.

Sodalitates duæ.

7. Romæ anno 1599 P. Joannes Tellerus, Gallus. Duo præclara subsidia præstitit vivis atq; defunctis. Pro vivis instituit Sodalitatem admodum frequentem eorum, qui carcere detentos juvarent, levando eorum inopiam, curando morbos, expediendo causas &c: quæ Sodalitas appellata est *Archiconfraternitas Caritatis.* Ad Defunctos juvandos impetravit apud Parochos: ut vespere post Salutationem Angelicam, ære campano signum daretur ad fundendas preces pro animabus Purgatorij. Assensum Parochorum detulit ad Gregorinm XIII Pont. Max. qui id opus etiam Indulgentijs concessis ultro promovit. *Soutvell. in bibl. Soc.*

XVIII. SEPTEMBRIS.

1. ANno 1561 Parisiis, quò recens venerat cum Card. Ferrariensi, nuncium lætum accepit P. Jacobus Laynez Præpositus Generalis, de recepta per Conventum Poisiacum Societate in Gallia. Strenuissimè enim pro illa decertarunt Cardinales quinq; maximæ authoritatis, Lotharingus, Turnonius, Armeniacus, Guisius & Borbonius, præter multos ex Episcopis. Lotharingus de illa recipienda retulit, sententiamq; suam multa cum laude Societatis exposuit, atq; accuratas preces adjecit. Secundùm eum Card. Turnonius, quanta DEus per novum hunc Ordinem, non in terris modò Christianorum, sed etiam apud Indos & barbaros populos efficiat, cùm fusè percensuisset; hoc etiam, inquiebat, addam: Ego his Patribus, ob eorum cognitam mihi vitæ probitatem, sanctioremq; doctrinam, Collegium illud meum, quod non sine magnis sumptibus apud meos ædificavi, perpetuò habendum, cum universis vectigalibus dono dedi &c. Similia cùm adjecissent alii, erubescere tandem ac cedere debuit adversariorum pervicacia. *Sacchin. hist. Soc. p. 2. lib. 5. num. 197. & seq.* *Societas recipitur in Galliam.*

Eodem die obierunt.

2. Valentiæ in Hispania, anno 1617, P. Joannes Sanzius, Hispanus, paupertatis & humilitatis amator eximius. Tota cubiculi supellex illi erat lectulus, mensa, sella, ligneus Crucifixus, DEiparæ V. imago papyracea. Pauperibus ad portam distribuendi sportulas curam ipse gerebat; & id faciebat de genibus; ut Christo se servire meminisset. *Paupertas eximia.*

3. Metis in Lotharingia anno 1657, P. Joannes Fagot, Lotharingus. Piè semper ac modestè hilaris, adq; labores tam promptus, quàm idoneus. Parisijs & alibi è pulpito Ecclesiastico auditus est magno cum gustu & fructu per annos fere sex supra quadraginta. Unde infensus illi dæmon, Nancæi minatus est per energumenam, se insignem illi confusionem adornaturum. Paulò post dum in alia civitate concionem orditur P. Joannes, repente memoriâ fallente, nihil habuit, quod diceret. Id operâ dæmonis contigisse, prodidit ipsemet Nancæi, palàm insultando; *Nunc malè est Fagoto.* Sed Pater cùm rogasset Auditores; ut pro quodam afflicto orarent; oratione facta, feliciter perrexit in concione. *Dæmon concionatorem turbat.*

4. Posonii in Hungaria anno 1665 P. Zacharias Trinkelius, Hungarus, vir magnis naturæ ac gratiæ donis ornatus. Multa & ardua pro DEI gloria & bono Societatis suscepit, perfecitq; . Illud edidit singularis humilitatis specimen: quòd post traditam cum plausu in Academia Græcensi Philosophiam, multis precibus impetrârit, ut ad infimam Elementariam scholam anno sequente applicaretur. Sed descensus hic gradus ei fuit non solùm ad Cathedram Theologicam, sed etiam gubernacula Provinciæ, & heroicam patientiam; qua per annos 30 graves podagræ dolores imperturbata animi serenitate toleravit. *Soutvell. in bibl. Soc.* *Humilitas honorata.*

Missa & Officium de B. Stanislao Kostka. 1. CLemens X cum ad preces Serenissimi Poloniarum regis Michaëlis, per Breve datum anno 1670, concessisset: ut quotannis die 13 Novemb. Missa & Officium dici posset de B. Stanislao Kostka S. J. per universum regnum Poloniæ & M. Ducatum Litvaniæ, & in omnibus per orbem Ecclesiis Societatis: anno sequenti, hoc die, alio Brevi declaravit: Indultum illud suum intelligi debere, quoad Regnum Poloniæ & M. D. Litv. de omnibus Ecclesiis, etiam non Societatis, & de omnibus Sacerdotibus tam sæcularibus, quàm Regularibus cujuscunq; Status, gradus & ordinis: in aliis verò extraneis locis extendi ad solas Ecclesias Societatis. *Bullar. Constituit: 45. Clement. X.*

Eodem die obierunt.

Vocatio ad Societatem. 2. Marchenæ in Hispania, anno 1636, P. Joannes de Herrera, Hispanus. Cùm ad Societatem se vocari sentiret, sed teneriore in matrem amore devinctus, tergiversaretur; è pia quadam Christi columnæ alligati effigie, audire sibi visus est hasce voces: *Et ego quomodo reliqui meam?* Addita & hæc verba: *Faciam te in amorem magnum.* Magnus certè amor erga DEum & proximum, in Societate torrebat illi viscera, impellebatq; ad agenda quæ DEo gratissima, & animabus essent utilissima. Quod cùm per se non posset ita, ut optabat, præstare; assiduis precibus & mortificationibus implorabat gratiam iis, qui laborant in animabus ad fidem, vel pœnitentiam adducendis. Fama est, DEum in vita & post mortem quædam non ordinaria per illum esse operatum.

Spiritus conservatus. 3. Bononiæ in Italia, anno 1649, P. Alphonsus Gianotti, Italus. Conceptum in tyrocinio Societatis spiritum, non solùm laxavit nunquam, sed inflammavit assiduè: ut multi viso Alphonso succenderentur ad perfectionem, dicerentq; : ex illo viso didicisse se; quid sit fervor spiritus. Virginitatis suæ custos integerrimus, cùm pro aliena etiam tuenda laboraret contra impuros quosdam, præmium operæ tulit fustigationem, & de scalis præcipitationem. Ut quendam è potestate dæmonis, cui se sangvine proprio authoraverat, eriperet: jussit dæmonem ad se amandari. Sed renuit ille, dicens, in DEi Servum nihil sibi potestatis esse. Ad regendum Bononiæ Collegium, debuit Obedientiæ præcepto compelli; & rexit exemplo magno. Sæpe jejunio sese macerans, Bacchanalium tempore dies totos jejunus transigebat. Virginitati suæ ne quam labeculam afflaret objectum aliquod, oculis per omnem vitam non laxavit rigidæ modestiæ frenum, quod in tyrocinio illis injecerat.

Victima charitatis. 4. Cremsii in Germania anno 1634, P. Paulus Langemantel, Germanus, cum Sociis duobus, post pretiosos labores contagiosa lue, correpris impensos, insignis cecidit victima charitatis: quæ per omnem vitam eum urgebat, ut se impenderet, & superimpenderet, puerorum institutioni, quibus in omnibus plateis & compitis erat notissimus, & miserorum auxilio,

XX. SEPTEMBRIS.

1. S. Indiarum Apostolus, Xaverius, quàm primùm Goam in India pervenit post unius anni navigationem, triplicem dedit epistolam anno 1542: geminam ad S. Ignatium, tertiam ad Socios. In hac cùm exposuisset distinctè iter suum: & quanti labores cum non levibus incommodis, exantlandi sunt in prædicatione Evangelii apud gentes illas, subjungit: Omnia incommoda, si DEi causâ, ut par est, subeantur; profectò magna solatia sunt, & materia multarum magnarumq; cælestium voluptatum. Equidem sic mihi persuadeo: Crucis Christi D. amatores vitam ejusmodi ærumnis exercitam, beatam ducere; crucis autem fugam, aut vacuitatem, mortis instar putare. Quæ enim mors acerbior esse potest, quàm sine Christo, ubi semel eum gustaveris, vivere, eumq; deserere, ut tuas sequaris cupiditates? Mihi credite, nulla crux est cum hac cruce comparanda. Rursus quàm beatum est vivere, quotidie moriendo, nostrasq; frangendo voluntates; ut quæramus, non quæ nostra sunt, sed quæ JEsu Christi &c. Ita ille. *Epist. veterum lib. 1. ep. 1.* *Litera S. Xaverij.*

2. S. Franciscus Borgia cùm anno 1565 Societatis gubernationem adiisset, plurimùm ad ejus incrementum existimavit collaturum: si Domus Probationis tyronum instituerentur separatæ à Collegiis & Domibus Professis, quantum fieri posset. Hoc igitur die initium ejus separationis factum in Urbe, & paulò post in aliis aliquot Italiæ locis, insigni tyronum profectu. *Sacchin. hist. Soc. p. 3. lib. 1. n. 54.* *Domus Probationis separata à Collegiis.*

3. Anno 1560 insigne sidus cælo Societatis accessit, per ingressum in eam Roberti Bellarmini Nepotis Marcelli II Pont. Max. post edita per annum integrum apud suos varia Divinæ Vocationis & constantiæ suæ experimenta. *Petrasan: in Vita lib. 1. cap. 4.* *Bellarminus accedit Societati.*

4. Clemens IX anno 1668 suspendit Breve Innocentii X, quo celebratio Congregationis Generalis in Societate quovis novennio, perpetuis temporibus injuncta fuit. *Bullar. Constit. 26. Clement. IX.* *Congregatio novennalis suspensa.*

Eodem die obierunt.

5. Ulyssipone in Lusitania anno 1579, P. Petrus Mascarenia, è prima regni nobilitate Lusitanus, cum aliis 17 Sociis, navata insigni opera contagiosis per Lusitaniam, compendiosa morte vitam æternam lucratus. Ardenter petierat Missionem in Africam, & impetraverat: sed cùm in Lusitania pestis grassari inciperet; censuit, frustra quæri alibi, quæ domi se offerret, palmam charitatis. *Ex Tann.* *Victima charitatis.*

6. Ibidem anno 1604, P. Franciscus Cardosus, Lusitanus. Inter concionatores cùm emineret, magis æstimabat Catechismi traditionem pueris & rudibus; ideoque huic *Catechismi traditio.*

huic magis quàm concionibus ſe impendebat, oſtentabatq; arundinem ſuam, dicens: Plures ſe cælo addixiſſe ſceptro illo, quàm concionibus. Cùm pridie & in Concione matutina, & in Catechiſmo pomeridiano ferventiſſimè ad confertiſſimum auditorem dixiſſet de morte: altera die repertus eſt ad menſam ſedens in cubiculo, digito porrecto in illam libri aperti ſententiam: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur.*

Novitius perfectus.

7. Marini in Italia anno 1556, Joannes Mendoza, Novitius, Hiſpanus, Petri Marchionis à Valle filius, & Arcis Neapolitanæ Præfectus. Impetratâ à Philippo rege Hiſpaniæ veniâ, in Societatem ſe recipere decrevit. Quod dum molitur, ita mores compoſuit: ut adoleſcens Mahometanus eo exemplo permotus, fidem ſit amplexus Chriſtianam. In Societate ad infima ſe officia abjecit; cùmq; viſitaretur à Duce Palliani, ita ut erat linteo præcinctus, prodiit è culina, amplexum accepit, & profundam admirationem animo viſitantis impreſſit. Sic occupatum judicârunt ſuperi cœlo maturum, humileſq; unius ſemeſtris labores æterna quiete & gloria ſunt remunerati.

XXI. SEPTEMBRIS.

Articuli 15 de gratia examinantur.

1. POſt obitum Clementis VIII, & brevem 25 dierum Pontificatum Leonis XI, evectus eſt in Petri Cathedram Paulus V, opportuniſſimus diſputationibus de Auxilijs Gratiæ; utpote qui fere omnibus ſub Clemente interfuerat, & ſatis habebat ingenij, judicij, atq; doctrinæ ad Controverſiam cum divino auxilio decidendam. Inſtiterunt apud hunc noſtri Theologi: ut tandem in examen veniret Prædeterminatio phyſica voluntatis humanæ. Non abnuit Pontifex: præmitti tamen voluit brevem diſcuſſionem 15 Articulorum de Gratia, quos proponebat, an eſſent vera & ſincera S. Auguſtini doctrina? Habita igitur eſt coram Paulo V, anno 1605, 21 Septemb. Diſputatio prima: in qua noſter P. Joannes Baſtida affirmavit, & oſtendit; omnes illos articulos, uno excepto (ſcilicet quinto) eſſe doctrinam S. Auguſtini. Quintum excepit; quia in illo dici videtur; *quòd DEus ita exerceat dominium ſuum in voluntates humanas, ſicut in cætera, quæ ſub cælo ſunt,* v. g. in bruta: quod nec Auguſtinus dixit, nec ſubſiſtere poteſt. Circa decimum tertium Articulum, quo dicitur; *quod Gratia efficax neceſſaria ſit ad ſingulos actus* hominis; advertit: reſtringendum eſſe, ad *Actus pios* & meritorios. Non enim datur ad actus peccaminoſos, nec neceſſaria eſt ad omnes actus morales, ſcilicet ad eos, qui ſunt merè naturales. *Eleuther. hiſt. de Aux, lib. 6. c. 1. & ſeqq. Diſquiſitiones in hiſt. de. Aux. part. 2. cap. 13.*

Rumor falſus de damnata doctrina Molinæ,

2. Anno 1601 cum in Hiſpania mirificè tripudiarent adverſarii Molinæ, quaſi jam fulmine Vaticano exuſtus, aut afflatus eſſet; & doctrina Societatis, tanquam Pelagiana condemnata; unde non leves turbæ etiam in plebe, & rudibus ſcholaribus oriebantur; Nuncius Apoſtolicus per Hiſpaniam

ſpaniam, Dominicus Ginnaſius publico edicto commendavit Archiepiſcopis & Epiſcopis; ut hujuſmodi falſos rumores inhiberent, & calumniatores coërcerent, *Eleuther. hiſt. de Auxil. lib. 3. cap. 16.*

Eodem die obierunt.

3. Caltageronæ in Sicilia, anno 1611, P. Angelus Sibilla, Italus, Angelus Siciliæ eſt habitus modeſtiâ, vitæ innocentiâ, & ſingulari orandi ſtudio. Per annos 30 Novitiis præfuit, magno exemplo, & regendi peritiâ. Nullam unquam ſe affligendi, aut vincendi artem docuit, quam ipſe non exercuiſſet. Mortem religioſe oppetiit, quam adhuc bene valens prædixerat.

Magiſter Novitiorum.

4. Romæ anno 1620, P. Joannes Amadeus Gallus. Attentiſſimi quinq; in illum oculi, nihil in moribus ejus deprehenderunt, quod reprehenderetur. Chriſti dolores meditabatur tenerè atq; ardenter: unde illi heroica patientia inter adverſa & dolores. Perſonæ cuipiam ſanctimoniæ famâ conſpicuæ impenſè commendaverat ſe, tacito tamen ſuo nomine. Oranti illi pro eo apparuit Chriſtus, quinq; funiculis, quinque vulnerum ſymbolis, trahens Joannem in cælum, & dicens: *Cum ipſo ſum in tribulatione; eripiam eum, & glorificabo eum.* In morbo cùm phreneſim timeret; iterum petiit perſonæ illius opem, quæ inter orandum pro ipſo, vocem audiit: *In pace in idipſum dormiet, & requieſcet.* Ita factum.

P. Amadei innocentia.

Chriſtus ei patrocinatur.

5. Ulyſſipone in Luſitania anno 1590 P. Vaſcus Pirez, Luſitanus. Perfectionis & conſcientiæ munditiei tam erat ſtudioſus: ut illam ſingulis horis examinaret. Paupertati tam addictus: ut ex Collegio Portuenſi Ulyſſiponem migrans pro Congregatione Provinciali, totum illud iter pedibus, & victu emendicato ſit emenſus; cùmq; ex longitudine itineris calcei eſſent diſrupti, faſciis ex panno circumligatis, eos reſtauravit. Erga DEiparam Virginem tenerrima ferebatur pietate, ab ipſa viciſſim non paucis cumulatus gratiis, imò & aſpectu dignatus. In feſto Nativitatis DEiparæ, dicebat, ſolere ſe ſingularem aliquem ejus favorem experiri. Viſus ſubinde, ſecreta cordium cognoviſſe, ſpiritu Prophetico afflatus, & cæleſti ſplendore circumfuſus. *Soutvell. in bibl. Soc.*

Viator pauper.

XXII. SEPTEMBRIS.

1. ANno 1582 Gregorius XIII Pont. Max. conceſſit Præpoſito Generali, ut Religioſi, etiam Profeſſi, ex Societate dimittendi, poſſint de ejus licentia tranſire non ſolùm ad Carthuſianos, ſed ad quemvis alium Ordinem Religioſum, ſive mendicantium, ſive non mendicantium, paris, laxioris, aut arctioris obſervantiæ; de conſenſu tamen ſuperioris loci ejuſdem. Prohibuit autem quibuſvis aliis Ordinibus, præſentis Privilegii communicationem & participationem. *Bullar. Societ. Conſtit. Cùm aliàs &c.*

Tranſitus ex Societate ad alias Religiones.

2. Idem eodem anno & die Societati conceſſit: ut Ordines ſuſcipere poſſint noſtri à quocunq; Epiſcopo, communicationem Sedis Apoſtolicæ habente, etiam extra tempora à Jure ſtatuta, & non ſervatis alias requi-

Ordines quomodo noſtri poſſint ſuſcipere.

sitis interstitiis, neque facta inquisitione de cantu, officiis, & ceremoniis Ecclesiasticis, idoneitate, ac proprii Ordinarii licentia. Indulsit insuper: ut non solùm Minores, sed etiam Sacros, etiam Presbyteratûs ordines suscipere possint, *tribus Dominicis, vel aliis festis diebus, etiam continuis*. Prohibuit autem aliis ejusdem privilegii communicationem, *Bullar. Societ. Constit. Pium & utile &c.*

Eodem die obierunt.

P. Pineda moritur. 3. Nangasachi in Japonia, anno 1633, P. Michaël Pineda, Japon. Multis in patria pro animarum bono exhaustis laboribus, proscriptus inde secessit in Philippinas Insulas. Sed zelo stimulante Apostolico, cùm rediisset in Japoniam, omnibus exquisitæ solertiæ artibus quærebatur ad necem. Metu percussus hospes, ad quem diverterat, non quidem eum prodidit; nocte tamen intempesta dimisit è domo inter crudissima frigora. Ab his aliisq; incommodis contracto morbo, intra triduum confectus est, hoc unum dolens: quòd incruenta morte moreretur.

Victima fidei. 4. Jendi in Japonia anno 1637, Joannes Yama, Coadjutor Japon. Inter continua vitæ mortisq; pericula, Evangelio præstantem suâ eloquentiâ præstitit operam, per regna Japoniæ quaquaversum excurrens. Tentus, & diuturno aliquot annorum carcere maceratus, civibus suis prodesse non destitit, cùm voce non posset, scriptis prædicando & declarando fidei dogmata. Japonico tandem suspendio, è pedibus in scrobem pendens, sublatus est.

P. Ribadeneira elogia. 5. Madriti in Hispania, anno 1611, P. Petrus Ribadeneira, Hispanus. Puer se adjunxit S. P. Ignatio, apprimè illi charus ob morum facilitatem, fervens ingenium, & egregiam indolem; à quibus dotibus magnos olim fructus proventuros prævidit Ignatius. Nec fefellit spes Petrus, missionibus plurimis laudatè functus per Italiam, Siciliam, Belgium, Hispaniam. Collegia & Provincias magnâ prudentiâ, & charitate rexit, bis Assistentis Hispaniæ munus obiit. Inter hæc, tot, tamq; doctas edidit lucubrationes; ut nihil aliud per omnem vitam egisse videretur. Vixit deniq; in DEum piissimus, Instituti observantissimus, Nostris charus, externis commodus, Principibus gratus, nemini gravis.

XXIII. SEPTEMBRIS.

P. Mesquita evadit ex captivitate. 1. P. Joannes Mesquita in India à barbaris Badagis captus, & multis confixus vulneribus, anno 1560, mirabiliter evasit. Ut in ora Commorini promontorii Christianos, margaritarum piscatores, Badagarum infestationi expositos, in tutiorem locum transportaret Prorex Constantinus, in procinctu erat. Verùm Badagæ comparato celeriter exercitu prævenerunt, ac irruerunt. Lusitani in arcis præsidio vix 50 erant; eruperunt tamen, & vim hostium fortiter sustinuerunt, donec turba lembis conscensis exitio se eriperet. Sed cùm multitudini hostium resistendo non essent; quidam in mare se conjicientes, natatu evaserunt; alii, ac inter hos P. Mesqui-

Mesquita, octo luculentis vulneribus saucius, abducti sunt, in captivitatem. Milites de sua & Sociorum libertate septem millibus aureorum pacti, illico dimissi sunt, P. Mesquita ut obses detentus, donec pecunia omnis numeraretur. Quæ cum tardiùs afferretur, dirissimè habitus est, & ferrea catenâ in globum compactus. Misertus viri Christianus adolescens, Michaël nomine, ingenio promptus & audax, pretio corrupit fabrum, qui Patri compedes injecturus erat: ut clavum, quo stringuntur, faceret fragilem, & modica vi solubilem; comparavitq; necessaria ad iter. Nocte intempesta solutis compedibus, excubitoribus sopitis, evadunt, totisq; 7 diebus & noctibus, per sylvas & saxa oberrant, inter præsentissima vitæ discrimina, donec tandem extra Badagarum fines, ad Lusitanos pervenerunt salvi, sed vix animam trahentes. Tota salus post DEum debebatur Michaëli, qui verè Angeli vices egit, & industria, & indefesso labore omnia explorans & perrumpens. *Sacchin. hist. Soc. p. 2. lib. 4. n. 260 &c.*

2. Anno 1611 diploma Ordinum regni Bohemiæ in gratiam Societis editum in hæc verba: Nos, Henricus &c. Percrebuit non solùm in Pragensi civitate rumor, sed per malevolos etiam dissipatum est scriptum, contra Patres Societatis JESU Pragæ commorantes, quasi bellicum instrumentum, milites non paucos, in patriæ communis perniciem, collectos, & paratos haberent, ea nobis causa exstitit illorum collegii vestigandi, ac veritatem accuratè indagandi, quod singulari diligentia â nobis ter fuit factum per spectatos & exploratæ fidei viros, è tribus regni Ordinibus, Baronum, equitum & civium, delectos, additis centurionibus. Ab iis totum Collegium, sursum, deorsum, perreptari, ac lustrari jussimus, ac ne vestigium quidem apparatus bellici repertum est: milites verò multò minus. Hinc apertè intelleximus hæc omnia contra memoratos Patres, ex odio conficta, & per summam iniquitatem, atq; injuriam, ut iis invidia conflaretur, in vulgus fuisse sparsa. Itaq; cùm à nobis diploma testem innocentiæ suæ, postulaverint, iis denegare, pro eo quod impositum nobis est tuendæ veritatis munere, nec debuimus, nec voluimus. Quaproter hisce literis declaramus, & testamur illos extra omnem hanc culpam esse, dissipatosq; de ipsis sermones fictos esse, scripta commentitia & à veritate prorsus aliena &c. *Juvencius fol. 269.* *Infamia nostrorum detersa.*

Eodem die obierunt.

3. Laureti in Italia, anno 1590, P. Nicolaus Bobadilla, Hispanus, unus è decem Primis Patribus. In Italia, Germania & Dalmatia doctè utiliterq; rem Catholicam *P. Bobadilla elogia.*

 gessit,

gessit, laboribus contentus, honoribus, etiam infulatis, à Ferdinando Cæsare oblatis, religiosè repudiatis. Dum ægris serviret, peste contactus; cùm pro orthodoxis & virtute, variè satageret, in capite vulneratus, ad indusium usq; spoliatus, imò veneno appetitus est: sed his omnibus Apostolica generositate superior fuit; vir acri omnino ingenio, & zeli ac pietatis pleno. In generalibus quidem comitijs aliquid turbarum dederat, post obitum S. Ignatij: sed errorem tandem advertit, seriò resipuit, egitq; religiosum, qualem sibi descripserat: ut scilicet esset Canis in dormitorio, columba in refectorio, cæcus in urbe, suspensus in cælum, mutus in ira, cadaver inter mulieres, sibi amarus, aliis dulcis.

P. Vasquez elogia. 4. Compluti in Hispania anno 1604, P. Gabriel Vasquez, Hispanus; vir summi ingenii, nec minoris in studendo laboris ac diligentiæ: quibus subsidiis tantum inter Theologos nomen consecutus est; ut à viris magnis diceretur *Hispanus Augustinus*, ab aliis, *Sol Theologiæ, Magister magistrorum, Angelus vitâ & intellectu*: nec defuerunt Academiæ, quæ ejus doctrinam, passim sibi sequendam, elegerunt. Studiis literariis non minus junxit studium religiosæ perfectionis, utebaturq; illis ut instrumento ad virtutum consecutionem, & implendum nomen *Doctoris Religiosi*. Labores ejus Scholastici & in S. Scripturam editi sunt Tomis 10 in folio.

P. Callant cælum petit. 5. Antverpiæ in Belgio 1625, P. Joannes Callant, Belga, contracta lue in obsequiis contagiosorum extinctus. Eodem, quo obiit tempore, animam ejus magna cum luce petentem cælum, vidit Anna de JEsu monialium S. Theresiæ mater, idq; suis narravit, antequam quidquam de morte P. Joannis posset rescíscere.

XXIV. SEPTEMBRIS.

Hæreticorum arrogantia. 1. IN Gallia, cùm anno 1561 celebraretur conventus Poisiacus, ad inveniendam viam, qua reducerentur heterodoxi ad Ecclesiam: ingressus conventum Jacobus Lainius, Societatis Præpositus Generalis, qui cum Card. Legato Pontificio in Galliam venerat, jussu Pontificis; advertit, hæreticorum primarios ministros occupatis subselliis tumidè considentes, dum Theologi Catholici rem agunt stantes. Non tulit rei indignitatem, egitq; cum Legato Card. Ferrariensi: ut deinceps ea abominatio & nota Catholicis illata, tolleretur. Egit Cardinalis, atq; ex eo die hæreticis nulla facta est sedendi copia. *Sacchin. hist. Soc. p. 2. lib. 5. n. 198.*

Expeditio in Floridam infausta. 2. Anno 1566 prima Societatis facta est expeditio in Americæ regionem, *Floridam* dictam. Iverunt Petrus Martinius, & Joannes Rogerius Sacerdotes, & Franciscus Villaregius rei domesticæ administer. Hoc die in conspectum Floridæ venerunt, non tamen applicuerunt: sed placuit, præmittere in terram immanitate barbaram exploratores quosdam, ex quorum relatione caperetur certius & utilius consilium. Ægrè invenerti, qui hanc spartam susciperent, eam posuerunt conditionem; ut P. Martinius cum ipsis iret, cujus consilio in dubiis, & auxilio in spiritualibus

uteren-

uterentur. Ut id agi audivit P. Martinius, illico primus in ſcapham deſiliit, & aliis ad ſequendum animos fecit. Vix terras attigerant novem Belgæ, cum paucis Hiſpanis & Patre; mox coorta tempeſtas, navim, è qua exſcenderant, procul ab conſpectu abſtulit, ac tandem in inſulam Cubam compulit. Pater cum Sociis, cùm diu per deſertam regionem oberraſſent, fere fame enecti, ad ſcapham iterum ſe receperunt luſtraturi litora, ſi fortè in Hiſpanos alicubi inciderent. Sed cùm fames iterum illos ad terram applicare cöegiſſet; Belgæ duo, qui exſcenderant, à barbaris circumventi & capti ſunt; P. Martinium robuſtior quidam, in ſcapha ipſa arreptum, ad litus deportavit; ubi omnes tres in conſpectu Sociorum ſunt trucidati: reliqui paulò poſt in navim Hiſpanam inciderunt, & excepti ſunt, non tam ſua ſorte læti, quàm mœſti de amiſſo Patre, cujus ſtupendam charitatem erant experti. *Sacchin. hiſt. Soc. p. 3. lib. 2. n. 141. & ſeqq.*

Eodem die obierunt:

3. In mari anno 1580, P. Georgius Fernandez, & P. Gomez Damaralius, Luſitani. Ambo in ea navigatione, quam Goâ Amboinum inſtituerant, à Javenſibus barbaris, Chriſti & Luſitanorum hoſtibus, trucidati ſunt, cum Chriſtianos in navi expiarent. *Victima fidei.*

4. Moguntiæ in Germania, anno 1626, P. Joannes Falco Germanus, Eccleſiaſtes ferventiſſimus, & in procurandis ægris pauperibus per Noſocomia indefeſſus. Non rarò una die in templis urbium & ſacrarijs varijs, ſenas ſeptenaſq; conciones habuit, raro exemplo; nec urbium vaſtitate contentus, zelo Apoſtolico rapiebatur ad pagos & villas circumjacentes, ſolo pane & caſeo ad victum inſtructus, & ferventiſſimis Exhortationibus atq; Catechiſmis, rudes impellebat ad probitatem. Votum emiſit perarduum: quod nunquam ſuo guſtui in cibo potuq; ſit obſecuturus, ſed ſoli ſerviturus neceſſitati, vitatis omnibus ſuperfluis, & vilioribus electis. Initio cujusvis menſis Rectori ſuo ſe ſiſtebat; & de genibus renovato Obedientiæ voto, ei ſe pariturum punctualiter in omnibus, ſpondebat. Quotidie ante decubitum, calceos de pedibus detractos, capiti imponebat: ut profiteretur, dignum ſe pedibus omnium conculcari. *Ex Tann.* *Zelus indefeſſus. Votum perarduum. Obedientia punctualis.*

5. In Braſilia anno 1653, P. Ioannes de Almeida, aliàs Mada, Anglus, virtutum & prodigiorum patratorum excellentiâ tantus: ut redivivus Anchieta videretur. Putridas jumenti plagas curans in tyrocinio, collectos ex illis vermes, ut ſe pervinceret, ori ingeſſit. Inter orandum, non ſemel à terra ſublimis viſus eſt. Cùm obtrectantes quoſdam alienæ famæ, compeſcere non poſſet; tanto animi dolore æſtuavit: ut plures viderint, illi è fronte cruentas erumpere guttas, & in terram uſq; defluere. Miracula etiam poſt mortem ab eo patrata, rite in tabulas ſunt relata. *Victoria ſui.*

S. Xaverius Malacam venit.

1. Malacam in India appulit anno 1545 Novus Indiarum Apostolus Xaverius, quò jam præcucurrisse famam suam invenit. Effusa enim in portum civitas, & quantum in ea erat puerorum (deliciæ Xaverii) cum nutricibus & matribus, infantes in ulnis gestantibus, vel manu trahentibus, Sanctum hospitem excipere gestiebant. Exscensione facta certatim irruunt, circumdant, gratulantur, salutant, beatos se prædicant, manus ad osculum poscunt, & quidquid poterant familiaris obsequii, depromunt. Ille sua illa amabilissima charitate modestiâque amplecti omnes, blandiri pueris & infantibus; &, quod stupuerunt omnes, quemq; suo nomine compellare, acsi non hospes, terris illis primùm illatus, sed complurium annorum civis fuisset. In ipso igitur portu omnium corda occupavit, invitabaturq; certatim ad hospitia commoda: at ille more suo ad Nosocomium divertit, non suæ commoditati, sed ægrorum, operaturus. Usus est in ea civitate Omnipotentiâ Divinâ tam liberaliter: ut numerus miraculorum iniri non potuerit. *Bartol. in Vita lib. 2. n. 3. & seqq.*

Qualiter acceptus.

Antverpienses tumultus.

2. Antverpiæ anno 1576 tumultus gravissimus ex causa levissima coortus, Collegium involvit, ac fere diruit. Comprehensi fuerunt innocenter Angli aliquot, quasi proditionis, & incendendæ urbis rei. Accessit rumor, quasi in Collegio arma deposuissent. Concurrerunt ad duo millia civium jamq; vim & incendium Collegio parabant. Socii inter prandendum accepto nuncio de irruptione violenta, ad templum se receperunt morituri. Sed in tempore adfuerunt Proceres, qui, se omnia fideliter scrutaturos polliciti, tumultum composuerunt. Ingressi Collegium, solati sunt trepidos, omisso scrutinio. *Sacchin. hist. Soc. part. 4. lib. 4. n. 114.*

Eodem die obierunt.

P. Suarez doctrina & sanctimonia.

3. Ulyssiponæ in Lusitania, anno 1617. P. Franciscus Suarez, Hispanus, Theologorum Societatis, & recentiorum sæculorum facile princeps, à Paulo V Pont. Max. in quaternis ad ipsum datis literis *Doctoris Eximii*, titulo honoratus, à Scriptoribus plerisq; magnis alijs elogijs celebratus. Theologicam cathedram Sapientiæ suæ oraculis per annos 40 exornavit in Hispania, Romæ, & in Lusitania Conimbricæ, honorificentissimis literis iteratò invitatus à Philippo II Hispaniæ & Lusitaniæ Rege. Philosophiam & Theologiam illustravit Tomis 24 in folio tanta eruditione refertis: ut non sine fundamento persuaserint sibi non pauci; divinitus illi infusam fuisse Scientiam tantam. Nam & universitas Scientiarum sublimiorum illis conclusa videtur; & Franciscus discendæ Philosophiæ applicatus, tam exiguo profectu, licèt multo labore, illi incumbebat: ut sui pertæsus ipse, obnixè solicitârit superiores, ut tanquam impar ingenio, amoveretur à studijs. Verùm paulò pòst, subitò tanta ei lux oborta est; ut

qui heri fuerat postremus, hodie primus esset inter condiscipulos. Visi quoq; postea sunt splendidi radij à Crucifixi effigie in orantis Suarij faciem & pectus vibrati, ipso cubitis duobus à terra elevato. Eminentem Viri doctrinam æquabat, si non superabat, morum Sanctimonia, quam latè prosequitur Vita typis edita. Moriens exultabat, dicens: *Nesciebam, tam suave esse mori.*

4. Ad Rhenum in Germania, anno 1620, P. Godefridus Thelen, Germanus, per iter ab hæreticis militibus captus ac pessimè habitus, tanquam Papisticæ idololatriæ (ut dicebant) seminator; tandem sex amplioribus vulneribus acceptis, glande plumbea trajectus, occubuit. Vir erat, Orationis studio ita addictus: ut ab ijs, qui ejus nomen ignorabant, vocaretur. *Ille Pater, qui tam frequenter & ferventer orare consuevit.*

5. Gadibus in Hisp. anno 1651, P. Joannes de Armenta, Hispanus. Quadraginta amplius annis, in primarijs Provinciæ Bœticæ civitatibus egit Ecclesiasten, summo plausu & fructu, obeundo pariter munus Catechistæ in pagis vicinis. Capti piratæ Angli 36, atq; ad mortem damnati, decreverant obstinatè in sua secta mori. Verùm postulatâ à Magistratu Societatis operâ, Pater Armenta tantâ industria & vi dicendi eos aggressus est, ut posita hæresi, Catholicè sint mortui. *Soutvell. in bibl. Soc.* *Ecclesiastes insignis.*

XXVI. SEPTEMBRIS.

1. FEstum B. Josaphat Ordinis S. Basilii M. Archiepiscopi Polocensis sanctissimi, & gloriosi Martyris pro Unione Ecclesiæ Ruthenæ cum Romana; quod hodie Regnum Poloniæ & M. Ducatus Litvaniæ celebrat; suscitat in nobis memoriam illius affectus erga Societatem, quo dictitabat: *Se eum non habere pro bono Catholico, qui Societatem non amaret.* Idem cùm in frequenti Nobilium consessu, præcipuæ nobilitatis virum acerbiùs ad mensam contra Societatis homines invehi audiret, graviter injuriâ Societatis commotus, *Apparet*, inquit, *Magnifice Domine, Te non esse ex numero Prædestinatorum, qui tam Sanctam Religionem adeò injuriosè carpere præsumis.* Lancicius Tomo 2. Opusc. 17. cap. 4. n. 211. *Defensor Societatis.*

Eodem die obierunt.

2. In Hispania anno 1641, P. Petrus Continens, Hispanus. Vir erat sui nominis, non solùm in materia Voti secundi, verùm etiam in frenando & continendo inquietissimo malo, linguâ, cujus planè dominus fuit. DEiparæ V. Imagines in ambulacris particulatim singulas salutabat: Rosarium quoddam è puris Contritionis actibus recitabat. E Crucifixi effigie, fixis in illam oculis, patientiam hauriebat in doloribus maximis, quorum conscius chirurgus, stupebat altum viri silentium, imò illis illacrymabatur. *Lingua Dominus.*

3. Bahyæ in Brasilia anno 1654, Gaspar Almeida, Coadjutor Lusitanus, staturâ perpusillus, sed religiosa virtute magnus. Tota virium & ingenii contentione intentus erat in afflictationem corpusculi, Jejuniis, verberibus, & insomniis exhausti. Ut prolixè oraret, malebat multum sibi de somno, quàm parum de labore detrahere; etiam totas noctes coram SS. Sacramento non rarò impendens orationi; nec poterat *Mortificatio constans.*

terat illum dæmon vel terroribus, vel verberibus ab illa absterrere. Multis multa
Abstinentia. prædixit, eventibus fideliter subsecutis. Duo cibarii panis frusta cum pomis duobus pro lauto convivio illi erant: pisces, carnes, & si quid aliud apponeretur, dabat pauperibus cum superiorum facultate. Totam Quadragesimam continuatâ inediâ sine cibo ducere tentantem vires defecerunt, cùm tertio die totus concideret, spiritu quidem promptus, sed carne infirmus. Coadjutorem ostio domûs præfectum, sed jam ægrum & depositum, surgere jussit è lectulo, dixitq; longum illi adhuc superesse tempus, quo ad ostium pauperibus operam daret. Surrexit ille, & per annos plures curam ostii & pauperum gessit.

Victima charitatis. 4. Augustæ Vindelicorum in Germania anno 1627, P. Tobias Paumbgartner, unus è 6 Sociis, qui eo anno in Germania heroicas animas posuerunt pro populo, pestifera lue laborante. Anno autem 1656 Monasterii in Westphalia P. Joannes Fa-
Vir misericordiæ. britius, Germanus, Vir planè misericordiæ Omnes preces & sacrificia, quæ pro mortuo oblatura esset Societas, obtulit animabus Purgatorii, quæ frequentes cubiculo ejus aderant, opem poscentes. Ut vivis pauperibus aliquid subsidii conferret, pretio corrogato æstate emebat ligna, quæ hyeme frigentibus distribueret. Ipse ardore charitatis, carbone pestifero consumptus decessit.

XXVII. SEPTEMBRIS.

Institutum Societatis approbatur. 1. PAulus III Pont. Max. anno 1540 solemni diplomate, incipiente *Regimini militantis Ecclesiæ &c.* approbavit institutum Societatis, eamque sub nomine *Societatis JESU* Religiosis Ordinibus annumeravit; cum restrictione quidem, ut non excederet numerum 60 Professorum; sed quam anno 1543, 14 Martii, ob ingentes fructus, quos per illam in Ecclesia Christi fieri vidit, penitus relaxavit. *Bartol. in Vita S. Ignatii lib. 2. n. 46.* Diem hunc eandem ob causam exquisitissimo apparatu celebravit in Æthiopia, anno 1624, Princeps Abassynorum, & Imperatoris frater, Zela Christos: quòd censeret auspicacissimum toti Reip: Christianæ, ob conditum Ordinem tanto opere ac zelo promoventem in terris Regnum DEI. *Gomez in elog. part. 2. Classe 2. n. 29.* Societas ipsa memor
Confirmatio Societatis. tanti beneficii, in Congregatione VII Generali Decreto 54, statuit: ut hic dies, peculiari veneratione à nostris celebraretur in gratiarum actionem pro ipsius Confirmatione, & pro impetrando felici ejusdem successu; proinde Patres omnes Sacra eo die peragenda offerrent, cæteri Rosaria, aliasq; preces, ac communionem sacram.

Indulgentiæ pro Catechismo 2. Anno 1622 Gregorius XV largitus est varias Indulgentias nostris docentibus, & externis discentibus vel promoventibus Doctrinam Christianam (seu Catechismum) tradi solitam: scilicet ut peccata confessi & S. Communione refecti semel in anno, die constituto ab Ordinario loci, plena-

plenariam consequantur Indulgentiam; item in articulo mortis, ad invocationem SS. Nominis JESU, saltem corde: præterea quovis mense annorum 7 & totidem qnadragenarum. Qui verò in causa fuerint; ut pueri, famuli, aut quævis aliæ personæ ad doctrinam Christianam eant, ducentos dies; & qui diebus Stationum urbis hanc doctrinam in Ecclesiis, aut Oratoriis, de Ordinariorum licentia docuerint, ac etiam illi, qui ad eandem discendam accesserint, easdem Indulgentias consequantur, quas consequerentur & consequi possent, si Ecclesias Stationum ejusdem Urbis personaliter visitarent &c. *Bullar. Soc.* Constit. incip. *Pietatis & Christianæ charitatis &c.*

Eodem die obierunt.

3. Ingolstadii in Bavaria, anno 1606, P. Theodoricus Canisius, Belga, Frater P. Petri Canisii. Dixerat hic aliquando illi: Vide Theodorice, quid tibi mortis meæ nuncius sit allaturus. Dictionem eventus explicuit. Nam P. Theodoricus, audita super mensam in triclinio, morte P. Petri, subitò stupore, velut apoplexiâ, ita obriguit: ut omni, etiam sui nominis, memoriâ sit destitutus, atq; per annos octo, hoc est, usq; ad mortem, nec legere jam nôsset, nec loqui, nisi duo illa SS. Nomina, JESUS, MARIA. Hæc quoties vellet, expeditè pronunciabat, & iterabat. Sub mortem tamen illa verba disertè protulit: *Ad cœlum! Ad cœlum!* & JEsum dixit; cui cùm MARIAM addere inciperet; vita ipsum defecit. Sæpe Crucis signum fronti imprimebat æger: & ajunt, in fronte mortui figuram Crucis conspectam fuisse. *Mors sancta*

4. Cracoviæ in Polonia, anno 1612, P. Petrus Scarga, Polonus. Ex Prælato factus Romæ tyro Societatis, legum ipsius apices in moribus expressit, spiritum in perorando ad populum. Inter primos Poloniæ Concionatores facile princeps erat; habentq; etiamnum eum spiritum & gratiam ejus conciones typis editæ; ut semper placeant moveantq;, nunquam satient quàmvis singulis annis lectæ in tricliniis nostris. In a ula regia citra pompam, citra ullum paupertatis, vel religiosæ disciplinæ dispendium aut laxamentum per annos 24 versatus est. Octo ante mortem annis ægro P. Petro comparuit P. Stanislaus Varsevitius jam olim defunctus, suasitq;: ut plures, quàm unum vitæ annum à DEo postularet. Supremùm æger Beatissimæ Virgini Claromontanæ cereum candidum ipse confecit, misit, & accendi jussit: & ubi ille consumptus ardere desiit:, P. Petrus desiit vivere. *Concionator insignis.*

5. Nissæ Silesiorum anno 1633, P. Stephanus Fodor, Bohemus, vitæ suæ pro salute proximi contemptor; inter alios 17 Socios, sæviente per Bohemiam contagione, ægris omni ope subveniens, optatam mortem consecutus est. *Ex Tann.* *Victima charitatis*

6. In Anglia anno 1655 P. Andreas Vitus, Anglus. Suscepta navigatione in Americam, primus Christi fidem intulit in Marilandiam, Americæ Septemtrionalis provinciam, sitam inter Virgineam & Novam Franciam. Ibi cùm decennio insigni cum fructu laborasset; ab Anglis captus, in Angliam deportatus, & in carcerem conjectus est. Tandem ex Anglia proscriptus, cùm iterum in Marilandiam suam penetrare satageret, nec modum ullum reperiret: in ipsa Anglia inter labores Aposto- *Missionarius insignis.*

licos reliquum vitæ exegit. *Soutvell. in bibl. Soc.*

XXVIII. SEPTEMBRIS.

1. Ulyssipone anno 1540 epistolam dedit S. Xaverius ad Doctorem Martinum Azpilcuetam Navarrum: qua inprimis prolixè illi agit gratias pro concepta erga se benevolentia: deinde ad complura Doctoris interrogata de Instituto Societatis, respondit; de his plenè se satis facturum, ubi occasione data coràm agere licuerit; deniq; subjungit: Ad id quod Epistola tua adjungit: *Multa, pro hominum consuetudine, de nostro Instituto dici*: hoc tantùm in præsentia repono. *Parum refert, Doctor egregie, ab hominibus judicari, præsertim ab ijs, qui pejus judicant, quàm intelligant* &c. *Epist. Veter. lib. 5. ep. 5.*

Iudicia hominum.

2. Salmanticâ Romam anno 1600 epistolam dedit R. P. Joannes Marquez Augustinianus, S. Theol. Professor in Academia Salmant. ad R. P. Bapt. Plumbinum Generalem Augustinianorum Procuratorem, & Consultorem Congregationnm de Auxiliis gratiæ: in qua ei prolixè commendat P. Molinam, & doctrinam ejus; eò; quòd nihil omnino appareat in operibus ejus, quod non hominem inprimis Catholicum, & consummatè eruditum suboleat: quæ est, inquit, nostræ familiæ communis de illo æstimatio. Addit deinde: *Et quod ad punctum de physica præmotione spectat; arbitror citra controversiam esse, nunquam à S. Patre nostro Augustino cognitam fuisse, nec ei in mentem venisse.* Concludit postea: si fortè alicujus propositionis Molinianæ, quæ deferatur ad suam Sanctitatem vestra Paternitas Censor nominetur; rogo quàm vehementer possim, adfaveat: quoniam meo judicio liber ille *doctrinam valde sanam, & per omnia conformem Parenti nostro Augustino continet*; & dicto Patri plurimum debet Ordo noster. *Eleuther. hist. de Aux. lib. 2. cap. 11.*

Doctrina Moliniana conformis Augustino

Eodem die obierunt.

3. In Æthiopico itinere, anno 1625, P. Franciscus Macciadus, & Pater Bernardus Pereira, Lusitani. Sultano Sequedo, Æthiopiæ Imperatore Catholicis adjuncto, ad spes peramplas in bonum Ecclesiæ promovendas, cum proficiscerentur in Æthiopiam; à Mahumetano quodam principe intercepti odio fidei interempti sunt.

Victimæ fidei.

4. Cocuræ in Japonia anno 1633, Thomas Riocan; Ludovicus Cafucu, Dionysius Jamomoto, Japones, primùm in exilium ejecti, cùm in patriam redissent & impigri prædicando Evangelio insisterent; comprehensi, lento igne cremati, refrigerium meruerunt in cælo.

Victimæ fidei.

5 In insula Tatacurana Indiæ Occidentalis, anno 1566, P. Petrus Martinez, Hispanus, cùm investigaret terras, quibus Evangelii semen injiceret; à barbaris extractus

Victima fidei.

tractus è scapha, flexis genibus, manibusq; in cælum elatis, capite clavâ confracto, mortem, quam optabat, quamq; prædixerat, est adeptus. Post mortem ægris variis salutarem attulit opem, uti & pluviam terræ sitienti. *Post mortem beneficus.*

6. Oetingæ veteris in Germania, anno 1634, P. Matthias Maile, Germanus, post annos complures educandis Bavariæ Ducibus impensos, pestiferorum obsequio se addixit illiq; cum Sociis 80, in diversis Germaniæ partibus, est immortuus. Inter honores aulæ solebat pauperum usibus calceos suere, atq; reficere. *Victima charitatis.*

XXIX. SEPTEMBRIS.

1. Cûm in Insula Mauro, inter summas difficultates & pericula Evangelium intrepidè prædicaret S. Franc. Xaverius, atq; in festo S. Michaëlis Archangeli Sacrificium DEo offerret: tam horrendo concussu, crebrisq; impulsibus terra movit; ut metuerit, ne altare susq; deq; verteretur. Nimirum pugnante iterum Archangelo pro Christo, Satan furibundus, ut in energumenis solet, victum se, ac sede cedere fatebatur. Cessit verò felicissimè ibi Xaverio, licèt apud barbarissimos, prædicatio, multis millibus ad Ecclesiam aggregatis, & urbe Tolo, quam vigesies quinquies millia hominum incolunt, cum adjacentibus oppidis ad Christum conversis. *Bartol. in Vita lib. 2. n. 23.* *Satan cedit Xaverio.* *Conversio multorum.*

2. Eodem die, post annos aliquot, idem S. Apostolus Evangelicâ tubâ classicum canere incepit in Iaponia, sub auspicijs S. Archangeli, contra Orci Satellites. Quasi primum prælij campum sibi delegit urbem Saxumam, suaq; illa ingenita comitate facile Regem induxit, ut annueret; Bonzium quoq; primarium, à quo responsa pro oraculis excipiebantur, ideoq; *Veritatis Cor* appellabatur, ita sibi devinxit: ut quàmvis in Religione non posset habere sequacem, haberet tamen laudum suarum eximium præconem. Nec fuit labor prædicationis sine fructu, conversis ad Christum etiam Bonzijs aliquot. *Idem ibid. lib. 3. n. 11. & seqq.* *Xaverius prædicat in Iaponia.*

3. Romæ anno 1558, jussu Pontificis Pauli IV in templo Domûs Professæ chorus haberi cœptus. Cùm dubitaretur, quonam cantûs genere utendum esset: ipsemet Pontifex significavit, fore sibi gratum, si absq; varietate vocum, musicoq; concentu, Officium absolveretur, & chorus similior esset pronunciantibus voce distincta & clarâ, quàm canentibus. Sic ergo obedienter cœptum est & paulò pòst feliciter desitum, superis alia obsequia à Societate requirentibus. *Sacchin. hist. Soc. p. 2. lib. 2. n. 84.* *Chorus nostrorum Romæ.*

4. Collegij Monachiensis templũ à Guielelmo Bavariæ duce magnificè constructum, solemnibus ceremonijs consecratum est, & hac die apertum *Collegium Monachiense,*

anno 1591, sacra luce Michaëli, cælestis militiæ Principi, cui dedicatum erat. Ea lux litterarijs ludis & spectaculis celebrata: nec non regali epulo, quo primores civium idem Guilelmus accepit in Collegij novis ædibus, à se pari munificentia conditis, ornatisq;. Cùm verò deprecarentur Patres, ut liberalitati modum poneret, solebat illis subirasci, apertè professus, *se non modò Bavariæ collegijs, sed universæ societati parentis loco esse velle.*

Eodem die obierunt.

SS. Trinitatis cultus.

5. Romæ anno 1609, P. Franciscus Folianus, Rhetus ex Valle Telina, vir magnæ humilitatis & mortificationis, sed maximæ devotionis erga mysterium SS. Trinitatis. Admiranda sunt, quæ in ejus cultum exercebat; & quàmvis quædam minuta videantur, magni tamen affectus sunt argumenta. Inhabitabat Romæ triangulare cubiculum, tribus asseribus pro strato utebatur, trigonum habebat pectinem, ad mensam cultrum, fuscinulam tridentem, & cochlear in formam triquetram disponebat, nunquam pluribus quàm tribus ferculis vescebatur, ter non pluries bibebat, rosario utebatur trium decadum, conserto tricolore filo. Solemne ejus erat effatum: *Tria sunt omnia.* Solem sæpe fixo obtutu intuebatur, suspiciendo in eo lucem, splendorem & calorem, umbram Divinæ Triadis. Cum venia summi Pontificis, in Sacro quotidianæ Præfationi addebat alteram de SS. Trinitate. In pervigilio Festi ejus, tota nocte pervigil stabat ante aram sacrificali veste indutus, ac manè incredibili animi voluptate Sacrum per horam celebrabat. Placuisse DEo hos devoti cordis affectus, indicârunt tres flammulæ, in defuncti corde inventæ, quæ parte inferiore coalescebant in unam, stupente medico, aliisq; præsentibus. Moriturus, tres digitos triangulari forma compositos cordi imposuit, tanquam signaculum perpetui sui amoris erga Triadem Divinam, & sic piissimè decessit, publicè laudatus in triclinio ob singularem sanctimoniæ opinionem.

SS. Eucharistiæ cultus.

6. Limæ in America anno 1626, P. Ferdinandus Monrois, Hispanus. Quotidie 5 vel 6 horas dabat orationi; quæ ut gratior esset DEo, monitus est à Christo D. ut sæpe gratias singulares ageret Patri æterno, pro concesso nobis SS. Eucharistiæ Sacramento: à quo tempore suavi luce perfundebatur ad illa Præfationis in sacro verba, *Domine sancte, Pater omnipotens &c.* plurimumq; illo orandi modo profecit. Per 33 annos ita se Sacro parabat; ut vesperi mediâ horâ de illo meditaretur, manè sub sacro primo aliâ mediâ horâ; tum Sacrificio & gratiarum actioni post illud horam unam dabat, & duo sacra audiebat. Moriens, quidquid suffragiorum pro se offerendum esset DEo, in subsidium animabus Purgatorii testamento legavit, tabulis supremæ charitatis.

XXX. SEPTEMBRIS.

DEus facienti quòd est in se, dat gratiam.

1. ANno 1602 habita est Congregatio & disputatio IX. de Auxil. Gratiæ coram Clemente VIII. Argumentum disputationis fuit; *An in libris S Augustini legatur, constitutam esse à DEo legem infallibilem cum Christo Filio suo: ut quoties homo solis naturæ viribus fecerit totum, quod in se est, DEus illi tribuat gratiam: vel id sit de mente S. Augustini?* Respondit Valen-

Valentia: non quidem totidem verbis legi eam ſententiam in libris S. Auguſtini: ſed nec legi oppoſitum; imò eam eſſe mentem S. Doctoris, non temere colligi ex ſcriptis ipſius; & multos graveſq; Doctores, addictos S. Auguſtini doctrinæ, eam defendere ſententiam. Produxit deinde textus S. Doctoris.

2. P. Conſalvus Silveria anno 1560 expeditione ſuſcepta ad Cafres, barbaram Africæ gentem, atq; in regnum Monomotapæ, feliciter exſcenſionem fecit, poſt ſedatam divinitus graviſſimam tempeſtatem. Cùm enim jam jam ſorbenda eſſet navis, vel vi fluctuum diſſolvenda: Conſalvus in celſiorem navigii locum egreſſus, genua poſuit, ſublatiſq; in cælum oculis ac manibus brevi, ſed ardente oratione opem popoſcit. Continuoque venti poſuerunt, ſerenitas rediit, ſtupenteſq; vectores placidè portui ſunt invecti. *Sacchin. hiſt. Soc. p. 2. lib. 4. n. 223.* *Tempeſtas oratione ſedata.*

3. In Gallia anno 1567 aliquid fidelis operæ iterum contulerunt noſtri, ut Rex & urbs Pariſienſis ſalvi conſiſterent. Diem hunc fatalem & funeſtum utriq; voluerunt Hugonotti; jam res diſpoſitæ erant, ut rex, qui animi cauſâ Meldis verſabatur, ibidem opprimeretur, Lutetia autem incendiis repentinis conſternata, occuparetur. Agebat per id tempus Pariſiis Petrus Koſtka, nobilis Polonus, ex eadem, qua Beatus noſter Staniſlaus, ſtirpe, qui dein Culmenſis fuit Epiſcopus. Hunc de clade imminente, ſecretò monuit amicus quidam Hugonottus; ut maturè ſe ſe ſubtraheret. Petrus ſine mora rem detexit P. Oliverio Manaræo, quo familiariter utebatur. Oliverius homini perſuadet ne gravetur unà ſecum accedere Magiſtratum, eumq; de periculo facere certiorem. Accepto indicio, illico Magiſtratus ordinat, quæ & ad incendia ſopienda, & ad hoſtes arcendos videbantur neceſſaria; factaq; inquiſitione inventæ ſunt domus aliquot pice, ſtramine, & ſimili materia ad ignem excitandum refertæ. Sic urbs ſupremum diſcrimen evitavit; rex autem Meldis monitus de diſcrimine, ægrè evaſit DEi favore, & Helvetorum præſidiariorum virtute. *Sacchin. hiſt.* Soc. *p. 3. lib. 3. n. 153.* *Vrbs Pariſienſis ſervata.*

Eodem die obierunt.

4. In mari Baltico anno 1598, P. Martinus Laterna, Roxolanus. Brunsbergenſium Patrum pietate, doctrinâ & conſuetudine delectatus, exemplo ſui Magiſtri, ſe in Societatem dedit, evaſitq; in virum Apoſtolicum, planè mirabilem in pœnitentia prædicanda. In caſtris glorioſi regis Poloniæ, Stephani Batorii, triennio ad regem latinè, ad cæteros polonicè dixit, fructu uberrimo. Poſt Stephani obitum, ad Sigiſmundum regem accitus in Sueciam, cùm inde rediret in Poloniam, navis capta eſt *Victima fidei.*

 ab

ab hæreticis, & graviter vexati Catholici. Hos dum ad omnia Christi causâ fortiter toleranda, hortatur P. Martinus, agnitus, quod non solùm Catholicus, sed sacerdos, & quidem Jesuita esset, sine mora præcipitatus est in mare, acceptis priùs gravibus vulneribus. Post mortem, nobilem Polonum, Laurentium Bienczowski, cui quadrigâ splendidâ vectus apparuit, è Tartarica servitute & ferreis compedibus, momento asseruit in libertatem, transtulitq; in campum Russiæ, milliaribus 50 dissitum; prout idem nobilis Romæ juratus retulit; pluribusq; aliis se beneficum præstitit.

Post mortem beneficus.

5. In mari Indico anno 1639, P. Maurus Moureira, Lusitanus. Cùm ex incensa ab hæreticis Lusitanorum navi, in aquas cum aliis desiliisset, illiq; alios adnantes cymbis exciperent; illum è corona Sacerdotali, seu vertice eo die raso, Sacerdotem, è veste verò Jesuitam esse advertentes; non tantùm non receperunt eum aliis, sed crudeliter contis confecerunt

Victima fidei.

6. Sciki in Japonia, anno 1633, Jacobus Antonius Tacusima, Japon, vir eloquens & præstantis exempli, odio fidei damnatus ad rogum, glorioso incendio conflagravit.

7. Barcinonæ in Hispania, anno 1607, P. Vincentius Matrese, Italus, Is ipse est, quem anno 1587, Frater Laurentius de Mola Capucinus, vir à solida virtute commendatus, cùm supremùm æger decumberet, advocari curavit. Præsentem sic compellavit: Jussi te, Pater, hac horâ advocari; ut nunciem, quæ mihi DEus nunciare mandavit: nimirum *Omnes, qui moriuntur in Societate salvari, & ad cælum ire.* Temperare dicti latitudinem volenti Vincentio, respondit æger: Pater mi, res ita se habet, ut dixi: & DEus mihi mandat, ut dicam; & idcirco te curavi advocari. Lætus hoc nuncio P. Vincentius ita vixit: ut pretiosa morte moreretur in Societate.

Revelatio de salvandis in Societate.

I. OCTOBRIS.

Altare portatile Societati concessum.

1. ANno 1579 Gregorius XIII Altare portatile, à Paulo V. Societati concessum, sed à Concilio Tridentino universim sublatum, restituit Societati pro Missionibus ita; ut in eo licitè valeant Sacrificium celebrare ubiq; gentium, modò loca, etsi communia & profana, tuta & honesta sint; & Generalis, vel Provinciales Præpositi, judicaverint, illo hic vel ibi utendum esse: possint quoq; fidelibus ritè dispositis, Sacramentum Eucharistiæ ibidem ministrare. *Bullar. Soc.*

2. In India anno 1552 ineunte Octobri expeditionem suscepit, in insulam florentissimam Ceilanum, P. Manuel Morales, facta spe ipsius regis convertendi. Sed cùm hoc evanuisset; totus labor impensus est excolendis præsidiarijs Lusitanis, qui ibidem munita quædam loca tenebant, & navissimo cultore planè indigebant. Tribus primis concionibus bonus Pater vix alium tulit fructum, quàm dicteria & contemptum: sed cùm nihilominus instaret, & infractus urgeret opus suum; ea facta est animorum commotio, & mox commutatio; ut a prima luce ad profundam noctem eum distinerent confitentes, Princeps insuper quidam, arci Lusitaniæ vicinus, cum uxore,

Præsidiarij Lusitani exculti.

xore, liberis, familia tota, & omni populo, lustralibus aquis tincti sunt. *Bartol. hist. Asiat: lib. 5. n. 35.*

3. In Transylvaniam anno 1579, urgente Principe Bathoreo, Stephani regis Poloniæ fratre, ac adnitentibus Pontifice, ipsoq; Stephano, expediti sunt Socij decem; quos hoc die Claudiopolim, pro Collegio fundando deduxit Provincialis P. Sunnierus. Nullum prope in tota Transylvania templum erat, quod non occupassent Ariani, cæteriq; sectarij: ipse Princeps non nisi domi suæ divinis mysterijs interesse audebat. Singulari tamen DEi Providentia factum est; ut, frustra obnitentibus heterodoxis ministris, Societas à Nobilitate licèt hæretica, in Provinciali conventu sit admissa, & munia sua liberè exercere permissa. *Sacchin. hist. Soc. p. 4. lib. 7. n. 119.* *Missio in Transylvaniam.*

Eodem die obierunt.

4. Romæ anno 1572 ad vitam immortalem, & magnorum meritorum præmia transiit S. Franciscus Borgia, Tertius Societatis Præpositus Generalis: sed solemnis memoria beatissimi obitûs ejus, authoritate Apostolica translata est primò in 3 Octob. deniq; in 10 mensis ejusdem.

5. Viennæ Austriæ anno 1558, P. Theodoricus Gerardi, Belga. Ea morum sanctimonia vixit Romæ; ut vir magnus P. Martinus Olavius de eo dixerit: Multas virtutes in multis in Collegio Romano eminere; in Theodorico nullam desiderari. Morti vicinus, ad Theodoricum Canisium, sibi assistentem dixit: Concentum audio Angelicum, carissime Canisi; comitare me, concentum Angelicum audio. Ad Socios præsentes præclara dixit de Vocationis præstantia; & adjecit: Si quid igitur contra illam diabolus injiciat, vel menti occurrat; illico abigendum non minus, quàm si contra fidem quid occurrat. *Concentus Angelicus.*

6. Syracusis in Sicilia, anno 1575, P. Michaël Ochoia, Hispanus, dono gratuito curandi morbos insignis. Usus est hac gratiâ non solùm in Hispania, sed etiam Italia, & in ipsa urbe, ubi à P. Polanco febrim depulit. Utebatur autem plerumque curâ corporum ad curam animorum, ut mens esset sana in corpore sano. Multum enim authoritatis illi accrevit ex hoc cælesti dono: unde & conciones, & alia Apostolica munia multum operabantur fructum in iis, apud quos versabatur. *Donum curandi morbos.*

7. Coloniæ in Germania anno 1655, P. Adrianus Horn, Germanus. Manè repertus est extinctus, cum pridiè sanus fuisset: dormienti similis, lævâ coronam DEiparæ V. gestans, ut omni nocte solebat. Pietas in illo eximia, puritas illibata, comitas ingenii, conciones DEo plenæ, gubernatio suavis, provida, nullaq; annonæ caritate arctata. In exules peregrinos, qui bellico tumultu è variis ejecti provinciis affluebant, erat amantissimè liberalis, victu, veste, viatico, etiam in re domi angusta. Aliquando de hujusmodi peregrinis alendis solicitus, vocem audivit internam: ut bene speraret. Mox ad locupletem & ægram Virginem evocatus, liberali & opportuno subsidio est adjutus. Cæterùm vir tam liberalis, non minùs studiosus erat regiosæ paupertatis. Unde consuetum ejus erat ad domesticos acroama: *Quæso ne lædamus Sanctam paupertatem.* *Liberalitas in peregrinos compensata.*

II. OCTOBRIS.

1. INter cæteros hominum Custodes, Angelos Sanctos, quos hodie veneratur Ecclesia, specialiter ille nostrum meretur amorem & cultum, cujus protectioni & directioni universa commissa est Societas: ut piè credere licet. Non esse hunc è grege Angelorum, sed præcipuis cæli principibus, argumento est: quod & consilio & robore plurimum valere illum oporteat; ut tantis & hominum & infernalium potestatum machinis atq; insultibus depellendis, par esse possit. Ipsi igitur honor & amor in sæcula.

Primus conventus Procuratorum Romæ

2. Anno 1568 Romæ primus Procuratorum, à Provincijs deputatorum, conventus habitus est, sub Præposito Generali S. Francisco Borgia, quovis triennio deinceps iterandus. Quàmvis enim & antè mitterentur subinde à Provincijs procuratores, qui de statu illarum & negotijs informabant Generalem: non tamen simul, ab omnibus missi, conveniebant, nec tempus conveniendi determinatum erat. Munus præcipuum hujusmodi Procuratorum est duplex: disquirere ac decernere, an sit cogenda Congregatio Generalis? deinde informare Generalem de Statu Provinciarum. Dubitatum fuit: an Procurator eligi posset ipse Provincialis? responditq; Borgia, non posse: sive ut minùs interturbaretur provinciarum administratio; sive ut incorruptius de necessitate cogendæ Congregationis Generalis judicaretur, dum non illi, quorum in manu administratio est, sed alij judicant. *Sacchin. hist. Soc. p. 3. lib. 4. n. 117.*

Liber de immunitate Ecclesiastica.

3. Ad P. Franciscum Suarez hoc die, anno 1607, Paulus V. Pont: Max: insignem dedit Epistolam, qua illi gratias agit pro misso ad se egregio volumine, quod scripserat pro tuenda Immunitate Ecclesiastica, à quibusdam Politicis infestata. *Multum*, inquit, *in eo* (libro) *diligentiæ ac doctrinæ, nec minus ardoris asserendæ Catholicæ veritatis, & divinæ B. Petri tuendæ authoritatis elucet, usq; adeò: ut opus universum Theologum eximium exprimat, ac pium. Est igitur, cur in Domino gaudeas, & gratias agas Patri luminum, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum. Nobis autem non potuit, nisi gratissimum esse beneficium, & tale beneficium, apud Ecclesiam Sanctam, humilitati nostræ commissam, opportunè à te positum &c.* Massejus in Vita cap. 15.

Eodem die obierunt.

Zelator fidei

4. In Japonia, in insula Xiqui, anno 1570, P. Cosmus Turrianus Hispanus, magnus fidei zelator: sine pane, vino, carnibus & lacte vivebat, sed cæli deliciis affluens passim habitus pro Apostolo, & amatus ut Pater. Omuræ regulum baptizavit, & moriens, triginta circiter Christianorum millia reliquit,

5. Nag-

5. Nangasachi in Japonia, anno 1633, P. Benedictus Fernandez, Lusitanus; & P. Paulus Saito, Japon, odio fidei interempti sunt, prono capite pendentes in foveam. P. Paulus septem totos dies tormentum illud toleravit; P. Benedictus paulò citiùs extractus fuit, ut diutiùs torqueri posset, sed brevi in carcere extinctus est. Stupentes affirmabant satellites; se distinctè percepisse verba, quibus cadavera duorum illorum Patrum, cùm ad rogum deferrentur cremenda, se invicem salutabant Lusitanâ & Japonicâ linguâ, eamq; felicitatem sibi gratulabantur. *Victima fidei.* *Cadavera se salutant.*

6 Lerenæ in Hispania, anno 1677, P. Franciscus Pardus, Hispanus, ardens & indefessus in Missionibus operarius, Theologicæ Cathedræ admotus propter ingenii excellentiam; nullum fecit finem petendi, donec à Præposito Generali impetraret relictis in perpetuum scholis, Apostolico Missionum muneri sese impendere. Impendebat autem se tanta contentione; ut nec lassitudo per iter contracta, nec jejunia & fames, nec morbi graves, eum arcere potuerint. Expetebatur certatim ab Episcopis & Archiepiscopis ad excolendas diœceses suas. Unde funus ejus omnes urbis Ecclesiæ mœsto ære campano celebrârunt, & trium Capitulorum Canonici deduxerunt. *Missionarius indefessus.*

III. OCTOBRIS.

1. EBoræ in Lusitania postquam Societati Collegium excitavit, & Academiam à se institutam eidem plenè consignavit Henricus Cardinalis, regis frater (postea rex) anno 1567 Templum hodie moliri cœpit. Archiepiscopus solemni ritu, magnaq; ceremoniâ templi fundamenta auspicatus est; urgente fabricam, & inpensas suppeditante Henrico. Ut verò Collegium Academicum justam haberet aream, sanctimoniales Sancti Salvatoris è regione Collegii sitas ære suo aliò transtulit. Alit hoc Collegium ordinariè Socios 140: ejus Rector est etiam perpetuò Rector Academiæ. *Sacchin. p. 3. hist. Soc. lib. 3. n. 212 Soutvell. in Bibl. Soc.* *Collegium Eborense.*

2. Felix fuit hic mensis anno 1564 duorum potentium regum in India Orientali conversione, apud populos *Celebes* dictos. Cùm Lusitanis navibus excurrerat ad illos P. Magallianes: per legatos enim ad Indiæ Prætorem missos, petierant Christianæ doctrinæ magistros. Invenit ergo Magallianes animos paratos imò magna contentione baptismum flagitantes. Primus Christianis adjunctus est rex Manadensis cum mille quingentis è flore suorum: reliqui dilati sunt aliquantisper. Contigit opportunè; ut rex Siani, vir inter suos justitiæ & prudentiæ singularis laude inclytus, hospes esset apud Manadensem: qui cùm videret, audiretq;, quæ de Legis Christianæ mysteriis proponebantur, & tot Procerum assensu probabantur; non distulit suavi jugo Christi submittere colla, tinctusq; fonte sacro rediit ad suos, multos in Religionis Societatem verbo & exemplo traxit; tamq; fortem se probavit athletam Christi: ut utiam regno exutus, *Regum duorũ conversio.* *Rex Siani constans in fide.*

fidus ei adhæreret. *Bartol. hist. Asiat: lib. 6. n. 20 & seq.*

3. Anno 1582, P. Baptista Elianus culturæ Maronitarum insudans, Memphim in Ægyptum est evocatus à Consule nationis Gallicanæ in illis partibus, ob spem rei bene gerendæ pro Ecclesia Catholica apud Cophtos. Adfuit hoc die, Patriarcham opportuno tempore convenit, ac referentem audiit: gentem suam reformatione quidem non egere, nec admissuram in ritibus; videret tamen Pater: an non in Fidei dogmata erroris quidpiam irrepsisset. Obsecutus est Pater perlibenter, deprehenditq; errores non leves, præsertim ex secta Dioscoriana. Certiorem de omnibus fecit Pontificem Gregorium XIII, ac interim pervolvendis Cophtorum libris se se applicuit. *Sacchin. hist. Soc. p. 5. lib. 2. n. 62.*

Errores Cophtorum.

Eodem die obierunt.

4. Cracoviæ in Polonia, anno 1591, P. Stanislaus Varsevitius, Polonus, Obitis ad Turcas legationibus regiis, Senatoria nobilitate, & Præfecturâ Cancellariæ clarus, Episcopatu etiam à rege oblato, sed non admisso, Romæ cum aliquot è sua familia in Societatem se recepit, habuitq; B. Stanislaum Kostkam connovitium. Pro re Catholica, doctrinâ, concionibus, exemplo, magna & mira gessit. Deniq; in arena heroum, serviendo peste infectis, pretiosam animam pro fratribus posuit.

Victima charitatis.

5. Neapoli in Italia, anno 1588, Pompejus Capuanus, Italus, Novitius, illustrissimæ familiæ Comitum Proregum flos. Cùm nuptias detrectaret, submissæ sunt Veneris pedissequæ, quæ artibus suis castissimum juvenem emollirent, ac subjugarent. Sed ille sacro quodam furore plenus, prostibula in fugam conjecit. Callum induxerat genibus assiduitate flectendi & orandi. Cùm apud parentem urgeret, ut Societati nomen dare liceret, tanquam delirus in obscurum conclave compactus est, adhibitiq; multi, etiam religiosi, qui à proposito juvenem dimoverent, sed frustra. Pervicit omnia; sed illo diu frui Societati non licuit; cœlo maturam virtutem sibi vendicante.

Constantia in Vocatione.

6. Cracoviæ anno 1662, Laurentius Chodorowicz, Polonus, Coadjutor, orationis studio, patientiâ, & charitate excellens. Noctu, cùm medium silentium tenerent omnia, in templum se recipiebat, & erat pernoctans in oratione DEi usq; ad diluculum. Invertit aliquando lebetem fervente aqua plenum, eâq; dextram tibiam ac pedem perfudit, ac miserè ambussit. Sustinuit tamen omnem dolorem toto triduo, nec vulnus inspexit, nec tibialia detraxit. Triduo elapso, cùm videret rem ampliùs celari non debere, horrori ac stupori fuit ipsis medicis cruda ejus patientia, præsertim quando tibialia cum cute & adhærente carne detracta sunt. Nemo illum iratum, nemo aliquid laboris detrectantem vidit. Consumptus est flammis charitatis inter obsequia strenua, peste infectorum.

Oratio nocturna.

Patientia mira.

IV. OCTOBRIS.

Anno 1568 in India Orientali, ad proferendum Christi regnum profectus P. Petrus Mascarenia, appulit ad Insulam Sanguin. Reperit ibi &re-

Crucis amor.

& regem & populum admodum ſitientes baptiſmi atque ita dociles: ut intra paucos dies plerique capaces ſe præbuerint fontis divini. Abluti cùm eſſent, mirum in modum exarſerunt amore erga Crucifixum Redemptorem, & in triumphale ipſius ſignum, Crucem. Hanc ut pro dignitate concinnarent: rex cum proceribus dies aliquot per ſylvas oberrantes, proceriſſimam ſpecioſiſſimamq; quæſierunt arborem, quam in Crucem formarent; nec paſſi ſunt operi ſerviles admoveri manus, ſed ſola nobilis juventus arborem dejecit, dedolavit, ac tam affabre elaboravit; ut in omnibus vicinis regnis formoſior non reperiretur. Ut ad locum deſignatum deportaretur, reges duo (nam & Siani rex aderat) ſubjecerunt humeros, unà cum procerum primariis: ubi verò erecta fuit, omnes in genua procubuerunt, & regnantem à ligno DEum ſupplices adoraverunt. Pari diligentiâ & reverentiâ admotæ manus ad ædem ſacram excitandam. Rex ætate jam provectus, non erubuit ſecurim cædendis arboribus vibrare, regina cum gynecæo vellere herbas, & locum purgare, omnes omnia agere, ut intra dies paucos ſteterit templum, *Sacchin. hiſt. Soc. p. 3. lib. 4. n. 265.*

2. In Braſilia anno 1561 ſolemniſſimus inſtitutus eſt à P. Grana Provinciali baptiſmus, in pago Boni JESU: baptizati fere nongenti barbarorum, poſt laborioſam inſtructionem, inſtituta legitima conjugia totique homines ad normam diſciplinæ Chriſtianæ formati. *Idem p. 3. lib. 5. n. 288.* *Baptizatorum copia.*

3. Septimancæ in Hiſpania anno 1554 conſtituta domus Probationis, ſeparata à Collegio, inopinata liberalitate viri Curialis, adeò infenſi Societati; ut nec Jeſuitam videre ſuſtineret. Is erat Joannes Moſchera, homo opulentus, & è primariis; qui repente, quo modo neſcitur, non ſolùm Societati eſt conciliatus, ſed ita devinctus: ut geminâ ampla domo ſe exuerit, illiq; donaverit utramq;. Dicitur ſingularis P. Borgiæ, Septimancæ tunc commorantis, Humilitas virum ita ſubegiſſe. *Orlandin. hiſt. Soc. p. 1. lib. 4. n. 79.* *Affectus ergà Societatem.*

Eodem die obierunt.

4. In inſula Mariduque, anno 1625, P. Joannes de las Miſſas, Indus Manilanus. A Mauris aliisq; barbaris, odio fidei noſtræ furentibus, glande plumbea trajectus & capite truncatus eſt. Inde furor verſus in templum, ſacra omnia profanata, in cadaver Patris barbaris modis ſævitum, ex cranio propinatum. Iam ab ipſis religioſæ vitæ rudimentis, de inſigni ejus ſanctimonia opinio invaluit, ferturq; Crucifixus, coram quo orabat, ipſum allocutus. *Victima fidei.*

5. Vendæ in Livonia, anno 1620, P. Ertmanus Tolgsdorff, Prutenus, Varmienſis, opera- *Operarius zeloſus.*

operarius indefessus; & Livoniæ Pater ac Apostolus appellatus ab Episcopo Ottone Schenking. Relicto Canonicatu Gutstadiensi, se cum monasterio deserto, quod Rigæ tenebat, Societati tradidit. Absoluto Cracoviæ tyrocinio, remissus Rigam, totus in animarum salutem, & rei Catholicæ restaurationem incubuit, adolescentes è Prussia evocavit, emendicatis subsidijs educavit, instruxit, Ecclesijs præfecit. Erga rudes & pauperes: ea charitate, & subveniendi studio ferebatur: ut non nisi honorificentissimis eum nominibus vocitarent, nunc Senem Dominum, nunc Livoniæ Patrem, & Episcopum. Etiam in decrepita ætate, diebus festis, horas antelucanas confitentibus dabat; inde concionabatur ad Germanos; tum supplicationes atq; alia Parochi munia expediebat; & sacris operatus, dicebat ad Lothavos: quidquid erat temporis reliquum ad meridiem, iterum expiandis conscientijs tribuebat. A prandio catechismo imbuebat pueros & rudes; deinde Vesperas decantabat, & si opus esset, infirmis operam suam impendebat, stupentibus omnibus, tantum esse virium seni: sed eas charitas sufficiebat. *Ex Tannero*

Carcer tyrocinium vitæ religiosæ.

6. Cazorlæ in Hisp. anno 1596 Dominicus de Onate, Coadjutor, Hispanus. Sæcularis adhuc, ex frivolis quibusdam conjecturis accusatus & damnatus, bonis omnibus spoliatus, innocens in carcerem est conjectus. Primum ibi vitæ religiosæ tyrocinium posuit vir bonus; cognitâq; innocentiâ dimissus, putavit mundo non esse ampliùs fidendum. In Societate mortem imminentem assiduè animo versabat. Unde rogatus aliquando à Superiore, quid mente tractaret? respondit: *Quod me per pedes trahant ad tumulum; & quod severa ratio exigetur.* Noctu audire sibi visus est has Angeli sui voces: *Vita brevis est, labor exiguus, præmium grande. Prapara te ad reddendam rationem.* Et obijt non imparatus.

Mors nuntiata

V. OCTOBRIS.

Possevinus Legatus Pontificius.

1. P. Antonius Possevinus anno 1581, caduceator inter Moschum & regem Poloniæ Stephanum, in hujus castra, ad Plescoviam posita, pervenit, post negotium cum Moscho jam tractatum. Rex confestim accito Possevino, privatimq; & in Senatu auditis, quas afferebat à Moscho pacis conditionibus, suas & ipse protulit. Et quàmvis non multò absimiles essent prioribus, quas antè proposuerat: æquiores tamen videri poterant, postquam alter jam hostis premere cœperat Moschoviam. Joannes enim Sueciæ rex Narvam, aliasq; maritimas Livoniæ arces expugnaverat. Misso igitur cum his conditionibus, suisq; literis, ad Ducem Magnum interprete suo; Possevinus interim operam & obsequia sua cùm corporalia, tum spiritualia, curando militi Polono in castris addixit, ratus, Religiosam charitatem & humilitatem non dedecere Pontificium Legatum, sed reddere venerabiliorem. *Sacchin. hist. Soc. p. 5. lib. 1. n. 137.*

Nadardi virtus & promotio.

2. Anno 1631 Societati non parum splendoris accessit, per ingressum in eam prænobilis ac eximii juvenis, Joannis Everardi Nidardi: qui ea diligentia & felicitate ingenium literis, virtutibus animum applicuit; ut è

sche-

ſcholis ad aulam ab Auguſtiſſimo Imperatore Ferdinando III evocatus, primùm Sereniſſimæ Filiæ ſuæ Mariæ Annæ, deinde Sereniſſimo Filio Leopoldo datus ſit literarum ac pietatis Magiſter. In Hiſpaniam poſtea juſſus comitari Seren: Mariam; tanquam arbiter ejus conſcientiæ ita illi ſuam probavit prudentiam & operam: ut expeditum in Urbem cum charactere Oratoris Extraordinarii, tam ſtudioſè commendârit Clementi IX & X Pontificibus: ut ab illo Archiepiſcopali dignitate, ab iſto ſacra purpura ex merito ſit ornatus, invitus licèt ac reluctans. *Soutvellus in bibl. Soc.*

Eodem die obierunt.

3. Amacuſæ in Iaponia, anno 1583, P. Ludovicus Almeida, Luſitanus. Celebrem chirurgum cùm ageret in navi Luſitana, excultus Exercitijs Spiritualibus, Societatem ingreſſus, mirum in modum profecit in arte ſua; ut nullus eſſet morbus quem non ſanaret facilè, virtute divina. Sed in animarum cura, & zelo prædicandi Evangelium longè mirabilior fuit, laborum ac dolorum ſemper avidus & inſatiabilis. Et affluebat illis affatim, à Bonziis non raro quæſitus ad necem, ab idololatris, piratis, & ipſis dæmonibus multoties malè mulctatus; aliquando comprehenſus, ſpoliatus, verberibus oneratus, hianti cymbæ impoſitus, & mari alto commiſſus, evaſit tamen. Aliàs Cangoximâ ejectus, per annum delituit in tugurio deſerti litoris, ſolis agreſtibus herbis vitam ſuſtentans. Obiit magno cum luctu Eccleſiæ Japonicæ, quam annis 27, mirificè propagavit, & propugnavit. *Chirurgus celebris.*

4. Syracuſis in Sicilia, anno 1590, P. Michàël Lætavallius, Italus, oratione, aſſiduo pro animabus labore, & mortificatione ſui mirabilis. Etiam morti vicinus, Viaticum ſacrum ſumere noluit, niſi flagellatione de more præmiſſa, prout morbus & provecta ætas permittebant. Viſus eſt inter orandum, ad tres palmos à terra ſublimis; per annos 40, quibus in Societate vixit, nullam turpem cogitationem paſſus. Morientem DEipara V. cum S. Michàële, aliiſq; Angelis inviſit. Poſt mortem, Joſephus Saladinus Antiſtes Syracuſanus, rite inquiri juſſit, in virtutes & miracula P. Michàëlis, & juratis teſtimoniis firmatas tabulas miſit ad Paulum V. Pont. Max. ſupplicando pro illius Beatificatione. *P. Lætavallii elogia.*

5. Divione in Gallia, anno 1654, P. Nicolaus Conde, Lotharingus æquè zeloſus ac facundus, totam fere Galliam concionando peragravit uberrimo fructu. In cubiculo nullum habebat librum præter Sacra Biblia, quæ flexis genibus legebat quotidie: admiranda tamen vi memoriæ, abundabat omnigena eruditione, retinebatq; ſine ſcripto conciones, per plurimos annos habitas. Legum noſtrarum obſervantiſſimus, illi ſingulari affectu & exercitio afficiebatur, quæ jubet; ut ea libentius à nobis ſuſcipiantur officia, in quibus magis exercetur humilitas & charitas. *Memoria felix*

6. Antverpiæ in Belgio anno 1629, P. Heribertus Roſweidus, Belga. Ab ipſo tyrocinio prodidit; quàm eſſet Sanctis & Eccleſiæ præſtiturus operam. Cùm enim Philoſophiæ ſtuderet, diebus recreationum ſecedentibus aliis ad amœniora camporum & hortorum, ipſe ad religioſa cœnobia ſe conferebat, & in bibliothecis obſoletos manu ſcriptos Codices, præſertim de Sanctorum Vitis, ſcrutabatur, & evoluebat, materiam congerens pro vaſtiſſimo opere, quod poſt P. Heriberti fata, Bollandus com- *Scriptor fœcundus.*

plexus est, & promovit. Edita à viro laboriosissimo supra 20 Volumina in materia diversa, recenset *Soutvellus in bibl. Soc.*

VI. OCTOBRIS.

Finis Conventus Procuratorum.

I. Romæ anno 1568 feliciter finitus est Conventus Procuratorum ex singulis Provinciis deputatorum, qui 2 Octob. inchoatus fuerat. Omnium consensu declaratum fuit: Congregationem Generalem non videri cogendam. Optabat illam privato sensu Præpositus ipse Borgia; ut in ea exoneraretur munere sibi imposito: at assistentes vetuerunt tentare aliquid, & communis Procuratorum consensus de non cogenda, fecit: ut vir Sanctus & humillimus, patienter ferret jugum officii, donec à Domino deponeretur. *Sacchin. hist. Soc. p. 3. lib. 4. n. 124.*

Non cogenda Congregatio Generalis.

Drama causa tumultus.

2. Panormi in Sicilia anno 1569, occasione dramatis publicè in scenam dandi à scholaribus nostris, coorta est concussitq; Collegium, tempestas ex causa levissima. Cùm enim drama illud antè biduum privatim solùm, probandi gratia exhiberetur in templo, paucis externis cum Prorege præsentibus, foribusq; templi occlusis: adfuit & Joannes Bezerra unus, è Sacris Quæsitoribus, pulsatisq; foribus admitti voluit. Custos portæ, ratus vel puerorum vel alicujus de plebe petulantiam esse, nec aperuit, nec prospexit, quis adesset. Bezerra sui contemptum interpretatus, abiit cum minis & diris. Ubi dies hic illuxit, jamq; frequens nobilitas consedisset, solus Prorex expectaretur: adfuit iterum Bezerra fulmine armatus, vetuitq; sub gravi anathemate drama in publicum dari. Cùm enim de re sacra esset, scilicet Diva Virgine & Mart. Catharina, debere illud primum subire censuram Quæsitorum sacrorum. Quàmvis verò idem drama antè annos aliquot Romæ jam datum esset cum plausu; ne tamen crabrones acriùs irritaret Rector Collegii Paulus Achilles, detulit illud ad Bezertam, hic tradidit censoribus Theologis; Ab his cùm nihil notatum esset inconveniens, soliq; ipsi in sole apparere videretur macula una & altera; tandem communi cessit judicio, spectator ipse interfuit, actaque tragœdia eo successu; ut quater repetita, & plausum & lacrymas obtinuerit spectatorum. *Sacchin. hist. Soc. p. 3. lib. 5. n. 60.*

Eodem die obierunt.

Victima fidei.

3. Bazaini in India Orientali, anno 1551, P. Melchior Consalvius, Lusitanus. Collegio Bazaini illum S. Xaverius cùm præfecisset, multum ibi rem Christianam Apostolico zelo auxit, multa subvertit idola. Quibus rei Christianæ progressibus irritati idololatræ obstinati, veneno propinato, mortem ipsi acceleravêre.

4. Sci-

4. Scimonosci in Japonia, anno 1628, Michaël Xucan, Japon. Catechesis & concionum assiduitate atq; vigore, multos è suis civibus abduxit à cultu idolorum. Macai ob fidem exul, & inde redux in Japoniam, nihil omisit, quod fidei propagationi & conservationi præstare pôtuit, inter continua vitæ discrimina. Vitam, quam in flammis volebat, terminavit in ærumnis.

5. Romæ anno 1583, Georgius Gilbertus, Anglus, Novitius. Prænobili & opulento genere ortus in Anglia, ... morum concinnitate in Academiis & Aula regia, vixit: ut nihil cultius illo haberetur. Sola Calvini secta, cui innutritus erat, flori huic nævum adsperserat; quem tamen facile illi abstersit Robertus Personius noster, adducto ad Ecclesiam Catholicam. Ab eo tempore ita se totum impendit promovendæ rei Catholicæ, & juvandis tum Catholicis egentibus & fluctuantibus, tum operariis Evangelicis: ut non solùm proventus omnes bonorum suorum, & industrias omnes illis impenderit; verùm & vestes proprias sibi non semel detraxerit; & relictâ sponsâ nobilissimâ, se in famulum addixerit Missionariis nostris, Personio & Campiano. Quo zelo cùm internecinum hæreticorum odium incurrisset, & toto regno quæreretur solicitissimè ad vincula: suasu Personii se recepit in Galliam, inde Romam: ubi cùm aliquamdiu sancto exemplo vixisset in Seminario Anglicano, in supremo morbo admissus ad Societatem, quam pridem ardenter expetierat, vota religiosa emisit. In morbo cùm potiunculam quandam nauseabundus respueret stomachus, cùm Rector Collegii insinuâsset: ut amore Obedientiæ illam sumeret: alacriter hausit. Invisenti autem se paulò pòst cuidam Patri, jucundè dixit: *Proh! quanto me, Pater, delibutum gaudio offendis! In præmium hujus promptæ, qua mihi vim parvam intuli, obedientiæ, se mihi Spectabilem obtulit DEipara V. sed fronte quàm serena, quàm propitiâ & suavi! Cùm tamen nuper eadem mihi severa apparuisset; quòd meo sensui paulò pertinacior adhæsissem.* Inter cæli delicias unum dolebat: quòd ignava morte in lecto, non cruenta in patibulo, moreretur. *Obedientia prompta.*

VII. OCTOBRIS.

1. IN conflictu celeberrimo & acerrimo, inter Christianam & Turcicam Classem ad Echinadas insulas commisso anno 1571, etiam Societas habuit partem suam. Non pauci è Socijs dispersi erant per naves Venetas & Regis Catholici: qui ante certamen milites & vectores ad omnem eventum præparabant & verbis opportunis, & Sacramentorum ministratione: in ipsa verò pugna, Chrsti Crucifixi prælato signo, ad fortiter agendum pro ipsius gloria, incendebant animos, saucijs & moribundis tum corporalia, tum spiritualia ptæstabant obsequia; & in ipsos moribundos Turcas extendebant charitatem non sine lucro, baptizatis quibusdam in ipso agone. Partâ victoriâ auctus est labor in curandis animis & corporibus sauciorum victorum: qui subductâ in portus opportunos classe, uberem charitati Sociorum, præsertim Messanensium præbuerunt materiam. Ex ipsa Urbe quosdam è nostris, Germanici idiomatis peritos, in Siciliam mitti volu- *Conflictus ad Enchinadas.*

voluit S. Pontifex Pius V. ad opem Germano militi ferendam. *Sacchin. hist. Soc: p. 3. lib. 7. n. 38. &c.*

In Hispania tempestas. 2. In Hispania anno 1561 turbæ graves exagitarunt Visitatorem, P. Hieronymum Natalem, sed animum in bona causa infractum, non labefactarunt. Placentiam tendenti occurrit è Societate laicus cum decreto Senatûs regij, quo jubebatur Societas Hispanas observare leges, de non exportandis ad externa regna pecunijs, vel hominibus, sive discendi, sive docendi causâ. Mox supervenit Frater alius cum literis P. Araozij & aliorum quorundam, quibus significabant: Aulam varias ob causas Societati offensam esse. Vix ingresso Placentiam, literas Regis exhibuit Prætor, quibus jubebatur, intra decimum quintum diem adesse in aula. Videbatur historiæ Jobi pars quædam renovata. At sicut Jobo, ita Natali & Societati adfuit protector DEus. *Sacch. hist; Soc: p. 2. lib. 5. n. 36. &c.*

Translatio corporis S. Ignatij. 3. Romæ anno 1699, facta est Translatio sacri Corporis S. P. N. Ignatij, ex altari majori templi Domus Professæ, ad ipsius propriam Capellam insigni opere & pretioso cultu visendam. Interfuit Eminentissimus Card. Colloredo, supposuitq; unà cum Patribus nostris primariis, bajulos humeros oneri sacro. Officiantem, ut ajunt, egit A. R. P. Noster Thyrsus; in processione decantatus Hymnus Ambrosianus, *Te DEum &c.* Ex liter. Rom.

Eodem die obierunt.

4. Toleti in Hispania, anno 1588, P. Ioannes Peralta, Hispanus. Quidquid agebat, contendebat; ut id faceret quàm accuratissimè & exquisitissimè. Silentij per omnem vitam erat custos severissimus: unde illi multum suppetebat temporis ad orandum & laborandum. Dicebatur; illi, qui cum Peralta ageret, adhærescere pietatem. *Silentium.* Villaregij cùm præesset, sæcularium quorundam invidiâ, contra quos bona Collegij defenderat, infami notâ apud Superiores aspersus, & officio exauthoratus, tacuit heroico silentio: sed gloriosior refulsit innocentia, calumniarum nube cælitus dissipatâ.

Victima charitatis. 5. Bononiæ in Italia anno 1630. P Angelus Orimbellus, Italus, suprema charitate Bononiensibus peste afflictis exhibita, eodem malo sublatus. Petierat per epistolas à Præposito Generali copiam sibi fieri ejus obsequii; quod interveniente Cardinalis Spada, Gubernatoris Bononiensis, authoritate, non solùm obtinuit: sed duplici amplissimo nosocomio excitato, jussus est præesse. Mirum dictu, quanto gaudio ibi à Medicis, chirurgisq;, quanto ab ægrorum confessariis, ex variis religiosorum Ordinibus, sit exceptus, pro comperta viri prudentia & charitate. Et respondit ipse cumulatè omnium votis; effecitque insuper instinctu cælesti motus; ut urbs Bononiensis publico Decreto in Patronos legerit SS. Ignatium & Xaverium: quorum præsentissimam opem in ea lue extinguenda est experta. Ipse tamen, Post amissos in eodem obsequio Socios novem è Societate, opima charitatis victima cecidit. *Ex Tannero.*

6. Parisiis anno 1651, P. Jacobus Sirmondus, Gallus, studiosissimus Antiquitatis scru-

ſcrutator & illuſtrator. Præter multas Gallicas, Vaticanam bibliothecam planè exhauſit, non minùs Græci quàm Latini idiomatis peritus. Veteres Scriptores 36 recenſet Soutvellus, quos Sirmondus notis doctiſſimis illuſtravit, inſignibus elogiis à Card. Baronio, Jano Gruthero, & aliis doctis honoratus. Edidit præterea aliorum Opuſculorum Decadem; Claudio Aquavivæ Præpoſito Generali fuit ab Epiſtolis per annos 16, Chriſtianiſſimo Regi Ludovico XIII à ſacris Confeſſionibus: inter aſſiduos labores vitam nihilominus protraxit ad annum ætatis 93, valetudine adeò vegeta; ut Jejunium Quadrageſimale eodem rigore obſervaverit ſenecio, quo juvenis. *Soutwellus in bibl. Soc.* *Senectus vegeta.*

VIII. OCTOBRIS.

1. VIctoriam Chriſtianæ claſſis ad Enchinadas inſulas anno 1571 reportatam de claſſe Turcica, ut ipſo pugnæ die S. Pio V. Pontifici revelavit DEus Romæ; ita eandem in Sardinia poſtridie manifeſtavit P. Antonio Boſcho, viro religioſiſſimo. Decumbebat is Saſſari, morbo lethali: cùm ecce ingenti perfuſus lætitia, in hæc erupit verba: O mirificam, & planè mirificam, qua cor meum exultat lætitiam! Sciſcitantibus lætitiæ cauſam, qui aderant, Patribus; Agamus, inquit, Domino grates de tam præclaro in nos beneficio. O beneficium, excellens! Quærentibus rurſus, quodnam intelligeret beneficium, & ſuſpicantibus, ne fortè vi morbi exerraret mente; Magnificam, repoſuit, victoriam conſecuta eſt claſſis noſtra de claſſe Turcarum. Agite, in gratiarum actionem hymnum Euchariſticū SS. Ambroſij & Auguſtini decantemus; cœpitq; præcinere, Socijs alternantibus. Non fuiſſe vanam imaginationem, docuit nuncius poſt dies aliquot allatus. *Sacchin. hiſt. Soc. lib. 7. n. 100.* *Victoria ad Enchinadas revelata.*

2. Anno 1574, P. Everardus Mercurianus Præpoſitus Generalis egregiam dedit Inſtructionem ad Superiores Luſitanos de arte gubernandi ſecundùm Societatis ſpiritum. Invaluerat enim ibi auſterior quædam regendi methodus, qua potiſſimùm Ludovicus Conſalvius afflaverat ſuperiores: ut minùs familiares eſſent ſubditis ſuis; & pœnis magis, quàm benignitate, compellerent illos ad legum obſervantiam. Unde fiebat: ut plurimi fluctuarent in Religioſa vocatione, alii penitus deficerent ab illa. Admonitus de his Everardus, inprimis Provincialem conſtituit Emmanuelem Rodericium, hominem ingenii mitioris; deinde monita magni ponderis dedit Superioribus: quibus ſibi apud ſubditos ſincerum conciliarent amorem, & authoritatem non tremendam, ſed venerandam. Dat illa *Sacchinus hiſt. Soc. p. 4. lib. 2. n. 85.* *P. Mercuriani inſtructio ad Superiores.*

3. Romæ anno 1699, in Capella nova S. P. N. Ignatii faberrimè

 elabo-

Capella S. Ignatii consecratur. elaborata, altare consecravit Illustrissimus Episcopus Vices-gerens Urbis. Eminet in illo statua S. Patris, magnitudine grandis viri, argentea tota, in habitu Sacerdotali deaurato, gemmisq; pretiosis distincto. Capella talis est, quam decuit non alibi, præterquam in medio, seu centro & corde Romæ, poni, & orbis oculis spectari. *Ex liter. Rom.*

Eodem die obierunt.

Victima fidei. 4. Nangasachi in Japonia, anno 1633 P. Joannes Acosta, Lusitanus. Per annos 29, gravissimis laboribus ærumnisque, pro Japonum salute perfunctus, tandem comprehensus est, & in scrobem è pedibus suspensus, quarto die cursum victoriæ atq; fortitudinis explevit.

5. Sassari in Sardinia, anno 1571, P. Antonius Boschus, Hispanus. Societati nomen dedit, quòd crebrior in illa esset S. Synaxis usus. Post vitam in ea insigni religione actam, morti vicinus, in plausum erupit dicens: *Magnificam victoriam nostra classis consecuta est de classe Turcarum.* Quare ad agendas DEo gratias omnes invitans, *Te DEum laudamus*, recitavit cum Sociis, ac biduo pòst, cælestia decantans intravit in gaudium Domini sui. Nuncius autem postea allatus de Victoria ad Enchinadas insulas reportata, prædictionem firmavit. *Victoria prædicta.*

Crucifixus consolator. 6. Valentiæ in Hispania, anno 1578, P. Gaspar Loarte, Hispanus. Vir erat ante initam etiam Societatem doctus ac probus, & jam tum divinis meditandis quaternas horas tribuens. Genuæ cùm esset Rector, vehementer re quapiam angebatur: sed mœrorem abstersit, ipsi spectabilis factus Christus Crucifixus, qui eum solatus dixit: *Bono animo esto: ego te per omnem vitam non deseram* Et promissi veritatem dulcissimè expertus est Gaspar. Orationis tam erat amans, ut etiam æger, eo tempore, quo matutina domi persolvitur oratio, junctis & sublatis in cælum manibus, quibus poterat viribus, orationi incumberet.

IX. OCTOBRIS.

Victoria Malacæ contra Turcas. 1. IN India Orientali anno 1547 formidabilis Acenorum regis, Mahometani, classis improvisò Malacam appulit, Lusitanis urbem & vitam ereptura. Classem conflabant naves 60, præter minores arma, & annonam vehentes. Excensione facta nocte intempesta, sine mora tumultuari è urbem aggrediuntur: sed vigiles fortesq; nacti præsidiarios & cives, non sine clade rejecti sunt. Ergo in classem Lusitanorum, quæ portum tenebat, effusa bile, naves octo concremarunt. Ingens urbem obruit consternatio & luctus: sed commodum evenit, ut Sanctus Indiarum Apostolus ibi adesset; in quo uno plus solatii & auxilii repererunt afflicti, quàm in mille præsidiariis; ut crastinus probabit dies & ipsius vaticinio, precibus ac lacrymis, gloriosa de hoste reportata victoria. *Bartol. in Vita lib. 2. n. 29.*

Græcense Collegium. 2. Græcium in Stiria anno 1573 pervenerunt Socii 12, duce Magio Provinciali, ad inchoandum Collegium, postulatu Serenissimi Archiducis

Caroli, patris Ferdinandi II Imperatoris, ad reprimendam & extirpandam, quæ ibi nimiùm quantum invaluerat, hæresim. Advocatos ad se mira alacritate, & gentis more, porrectâ dexterâ, excipiens, Potestis, inquit, mihi credere: me desiderio desiderasse adventum vestrum. Principio quidem, non deerunt vobis difficultates; siquidem eritis, velut oves inter lupos; sed persuadeatis vobis, me fore vobis Patronum, & Patrem, & omnia. Nec liberaliùs locutus est, quàm egit. Collegium optimè instructum auxit ornavitque insigni Academia, ad quam confluit numerosissima & nobilissima juventus Stiriæ, Carinthiæ, Sclavoniæ, Carnioliæ, Carniæ, Croatiæ &c. Deniq; tantis auctum est incrementis: ut jam ampliùs quàm centum & quadraginta Collegiales in illo alantur. *Sacchin. hist. Soc. p. 4. lib. 1. n. 72. Soutvellus in bibl. Soc.*

Eodem die obierunt.

3. Nangasachi in Japonia, anno 1633, P. Xystus Tocuum, & Damianus Fucaye Coadjutor, Japones, odio fidei, in scrobem capite depresso suspensi, occubuerunt, post strenuos labores conversioni civium suorum impensos. *Victima fidei.*

4. Monsterii in Gallia, anno 1639, P. Balthasar Belli, Gallus. Vir integerrimæ & planè religiosæ vitæ, postquam Lugduni, ante decennium, strenuam navavit operam peste infectis, & victor ex ea arena feliciter evasit; iterum eandem tentavit aleam apud Monsterienses: sed brevi labore ad palmam pervenit, decimo quinto die atro carbone ictus est sublatus. *Ex Tann.* *Victima charitatis.*

5. Romæ anno 1659, Venceslaus Kolowrat, Bohemus, Scholasticus Theologus, genere & virtute illustrissimus. Accepto nuncio de venia Societatem ingrediendi, data à Ferdinando III Imp. & Illustrissima matre, cui viduæ unicus erat Wenceslaus; exultabundus exclamavit: *Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi: in domum Domini ibimus! Quàm dilecta tabernacula tua, Domine virtutum!* Familiæ suæ claritatem omnibus, quibus licebat, modis occultare studebat; solidæ humilitati, & perfectæ paupertati addictissimus. Cùm toto patrimonio se exueret, suggessit quispiam: posse illum cum facili superiorum venia aliquid in suos usus retinere. Exhorruit, & avertat, inquit, istud à me Optimus DEus; qui certè providebit; ut quocunq; in Collegio degere me contingat, non desit mihi frustum panni, quo religiosè tegar. Monenti alteri, ne Illustrissimæ familiæ suæ oculos obsoletiore veste offenderet, reposuit B. Aloysii dilemma, cùm diceret: se vel notum esse iis, à quibus videretur; vel ignotum. Ignotos nihil se morari, tanquam ignotum: notis verò id fore non offendiculo, sed exemplo. Ægro Wenceslao illustris & consangvinea matrona edulii quiddam opportuni submiserat. Rejecit, ceu rem nimis delicatam, dicens: Id genus delicias, Comitem quendam à Kolowrat, qui ipse jam esse desiisset, non verò pauperem religiosum decere. Cùm Societati longè plura dedisset, quàm quæ ad Fundationem Collegii requiruntur: adduci tamen non potuit, ut Fundatoris honores admitteret. Instanter petebat ab amicis, orari pro se, ut fieret *Magnus Sanctus*. Cæterùm quàmvis nesciret, se Sanctum, vixit tamen, & obiit sanctè. Corpus depositum sub tumba B. Aloysii, prope Joannem Berchmans. *Abdicatio bonorum.* *Cibum delicatū rejicit æger.*

X. OCTOBRIS.

S. Borgiæ sanctitas.

1. FEstivitatem Magni Servi DEi, S. Francisci Borgiæ, Præpositi Generalis Tertii, celebrat hoc die non solùm Societas, sed universa Christi Ecclesia. Suspicit enim illum ut absolutissimam eximiæ Sanctitatis Ideam à Divina Providentia propositam omnis status hominibus. Habent in illo, quam imitentur Principes, curam, & amorem subditorum, Aulici fidelitatem & pietatem, conjuges continentiam conjugalem, Adolescentes morum integritatem, Religiosi contemptum mundi, Sacerdotes cultum divinum, Prælati fugam honorum & humilitatem; omnes denique erga DEum & proximum ferventissimam Charitatem.

Victoria Malacensibus à S. Xaverio prædicta.

2. In India Orientali Aceni, de quibus heri, Malacensis urbis expugnationem prosecuturi, militem hodie eduxerunt iterum in aciem; sed nihilo meliore fortunâ. Tanta enim è bellicis tormentis obruti sunt globorum procellâ, ut nec appropinquare urbi ausi, in sua se navigia recipere sint adacti. Sed quem in urbem collegerant, in civium quosdam interceptos effuderunt furorem. Naribus & auriculis mutilatos, incisisque pedum & manuum nervis, remiserunt in urbem, cum contumeliosa, imò sacrilega ad Præfectum epistola. Bilem movit Lusitanis barbarorum arrogantia: sed vanæ erant sine viribus iræ, incensis navigiis, quibus hostem adorirentur. Deliberantibus tamen, quid facto opus esset; supervenit opportunè Xaverius, & sententiam rogatus, sine cunctatione respondit: Nullatenus ferendam esse illatam DEo & regi Lusitano injuriam, eundum properè in hostem. Sed quibus navibus? subdebat Malacensis Præfectus Mellus. Vix quatuor residuæ sunt, non tam naves, quàm navium cadavera: numquid has opponemus hostilibus sexaginta? Etsi mille essent, reponit Xaverius; quatuor sufficient illis debellandis, cùm non unius regis, sed DEi potissimùm agatur causa. His animati milites, mira alacritate conclamare pugnam, nec dubitare de victoria, spondente Xaverio. Impigri ergo accingunt se omnes, ad restaurandas armandasq; naves, fuitque ea laboris contentio: ut intra quinq; dies parata steterit quinq; navigiorum classis cum una celoce. *Bartol. in Vita S. Xav. lib. 2. n. 30.*

Eodem die obierunt.

3. Oviedi in Hispania, anno 1591, P. Garcias de Alarcon Hispanus. Adolescentulus adhuc, minori fratri & sorori author fuerat, ut Christi patientis amore, in mensa id, quod palato magis arrideret, dimitterent signo dato, quod dabat ipse. Exemplo

plo S. Borgiæ incitatus, Societati adscribi petiit, in qua Magistrum Novitiorum, Rectorem, Provincialem, Visitatorem, & Assistentem egit, incredibili animæ suæ, & officii curâ. Per plures annos vesperi ne bolum quidem admisit: sub noctis medium surgebat ad preces: post quas unâ horâ quiescebat, & surgebat cum cæteris ad orandum. Patribus, quos ad mortualem lectulum suum mœstos vidit, dixit: Non est, quod vobis mors mea dolori sit: nunc enim plus habeo solatii, quàm unquam habuerim. Mortuus comparuit Vallisoleti cuidam, mortem ejus dolenti, dixitq; : se jam in æterna gloria cum bono DEo degere. *Mors læta.*

4. Cæsaraugustæ in Hispania, anno 1593, P. Honoratus Abella, Hispanus. Si fœminas visere necessitas cogeret; faciebat id pudicissimæ plenus modestiæ, & sede una semper inter se ac fœminam vacua relictâ. Fuere tamen, quæ scelus ei obtulerunt: sed ille vel solo vultu, verecundiæ pleno procaces refutavit, nec ullius unquam gravioris noxæ reum se agnovit. *Conversatio cauta cum fœminis.*

5. Straubingæ in Germania anno 1634, post 5 Socios in heroicæ charitatis officiis amissos, postremus contagiosa lue concidit P. Adamus Straub Germanus, multa laude ornatus, tum ob virtutem religiosam, tum ob eximiam gubernandi peritiam, quâ duas Residentias, & tria rexit Collegia. Monachii eandem mortis pretiosæ gloriam consecuti sunt Socii 13. *Victima charitatis.*

XI. OCTOBRIS.

1. CElebrata est anno 1551, sub Iulio III Pont. Max. Sessio XIII in Concilio Tridentino, cui ex Societate interfuerunt missi à Pontifice PP. Jacobus Lainius & Alphonsus Salmeron. Unde à Præsidibus Concilij designatum est, ut inter Theologos primi dicerent, tanquam Theologi Pontificij, Salmeronem quoq; præcederet Lainius. Hic, cùm modestissimè excusasset, quòd ex Ordinatione Præsidum primus peroraret, subjunxit: Cùm in præsente materia, de Ven: Eucharistia, non ex sensu privato, sed Sacris Literis, secundùm communem sensum SS. Patrum expositis, disserendum sit, nullum se Patrem aut doctorem allegaturum, quem non ipse totum à capite ad calcem diligenter pervolutâsset, atq; ex eo testimonia de rebus controversis collegisset. Hæc præfatus, duxit in altum disputationis, produxitq; ad firmandam sententiam suam sex circiter ac triginta Patres: quos omnes plenè ac solidè legisse debuit secundùm protestationem præmissam. Ob quam doctrinæ ac eruditionis copiam, ingenijq; fœcunditatem cunctis Patribus erat prope miraculo: audiebaturq; avidissimè, etiamsi ad tres fere horas produceret sermonem. Accidit autem perincommodè: quòd in ea studiorum ac aliorum laborum contentione versantem, febris quartana invaserit: ad quam depellendam, cùm secessum aliquem ac dierum aliquot vacationem peteret, non impetravit: malueruntq; Præsides Concilij; ut quo die febris accideret Lainio, conventus publicus non ha- *Lainez facundè perorat in concilio Trid.*

beretur, quàm ut ejus præsentiâ & sententiâ carerent. *Orlandin. hist. Soc. p. 1. lib. 11. n. 30 & seqq.*

Officium de S. Ignatio. 2. Anno 1667. constituit, præcepitq; Clemens IX: ut ab omnibus, qui ad Horas Canonicas tenentur, Officium de S. Ignatio Societatis IESU Fundatore recitaretur sub ritu duplici, perpetuis temporibus: atq; sub tali ritu celebrandum festum apponeretur in Romano Breviario. *Bullar. Constit: 11. Clement. IX.*

Eodem die obierunt.

3. In deserta insula Indica, anno 1555, P. Nicolaus Pasqualis, cum P. Andrea Gonzalez, & Alphonso Lopez. Ibant in Æthiopiam, juventuti & rei Christianæ operam ibi daturi: sed navis in arena desertæ insulæ hæsit. Præcipui eorum, qui cum illis vehebantur, conscensis minoribus scaphis, evaserunt: & quamvis obnixè Patres invitarent, ut secum abirent: maluerunt isti cum misera turba, fame peritura, in insula manere; ut viventibus solatio, morientibus auxilio essent. Sic postquam alii post alios fame enecti ceciderunt, occubuerunt & ipsi alimentorum inopiâ, heroicæ Charitatis victimæ. *Mors ex fame*

Confessarius promptus. 4. Neapoli in Italia, anno 1579, P. Joannes Pedelongus, Italus. Juris prudentissimus cùm esset, videretq; innocentem quempiam, contra jus & fas, damnari ad mortem: crudeli sæculo nuncium remisit. Distributis in egenos facultatibus Societatem ingressus, inter cæteras religiosas dotes, excellebat singulari promptitudine & assiduitate pœnitentes juvandi, ita: ut antonomastico vocabulo vocaretur, *Pater Confessarius.* Religiosè obiit mortem, cujus tempus sibi alteriq; prædixerat.

Victima charitatis. 5. Lomzæ in Polonia anno 1624 Nicolaus Gruda Coadjutor, cum Sociis quatuor heroica morte decessit in obsequio contagiosa lue afflatorum.

P. Varsevicij encomia. 6. Cracoviæ in Polonia anno 1591, P. Stanislaus Warsevicius. In Germania, quo studiorum causa missus fuerat, Philippo Melanchthone magistro usus, hæresim aureo porrectam literarum poculo combibit. Redux in patriam puduit eum falsitatis, errati pœnituit. Brunsbergam venit, miratur locum, eumq; sibi puero in somnis olim monstratum recognoscens, Societatem cognoscit & amplectitur Romæ 24 Nov. anno 1567 annos 37 natus. Quatuor inde & viginti annos in Societate ita vixit, ut modestiæ, charitatis, obedientiæ, humilitatis, ardoris ad vitia debellanda & profligandum errorem, exempla posteris imitanda reliquerit. Primus Collegio Vilnensi per annos octo præfuit. Lublinense Collegium sexennio gubernavit. Complures hæreticos è prima Poloniæ nobilitate reduxit in Ecclesiæ sinum. Nutantem in Suecia, quò missus à Greg. XIII fuerat, religionem toto quinquennio per summum laborem sustentavit. Quo tempore Sigismundi Principis, qui postea Rex Poloniæ fuit, hujus nominis tertius, pueritiam optima disciplina, sanctissimisq; institutis formavit. Diem fortunatum, quo vitam in Societate religiosam sequi decreverat annuâ memoriâ recolebat *Omnia sibi bona venisse pariter cum illa dicens.* Anno 1590 Provinciæ Procurator electus, Romam venit. Reversus Cracoviam, unde morbi publicè grassantes plerosque religiosos viros abegerant, summa contentione flagitavit, ut sibi liceret, in eadem urbe laborantibus opem ferre. Quod dum inpigre præstat, correptus ipse mor-

morbo, charitatis præmium moriendo tulit. Eundem narrant aliquot post obitum annis, anno 1604. P. Petro Scargæ graviter ægrotanti spectandum se dedisse, auctoremq; illi fuisse, ut 10 à Deo postularet annos, quos postea Scarga vixit. *Iuvencius fol.177*

XII. OCTOBRIS.

1. ANno 1657 Alexander VII Pont. Max: Plenariam concessit Indulgentiam omnibus, tam Societatis personis, quàm cujuscunq; alterius Ordinis, & Congregationis Regularibus, & alijs quibuslibet Ecclesiasticis & laicis, quotiescunq; in domibus Societatis Exercitia Spiritualia S. Ignatij per octidui spatium peregerint, & interea temporis verè pœnitentes & confessi, SS. Eucharistiæ Sacramentum sumpserint. *Bullar. Constit: 44 Alex. VII.*

Indulgentia absolventibus exercitia.

2. Molshemij in Alsatia adolescens, ope S. Ignatij liberatus est à dæmone, cui se tradiderat. Erat is Michaël Ludovicus, nobilis Germanus, à parentibus in Lotharingiam missus, ut Gallicam linguam in aula ducis condisceret: At enim juvenis præter linguam, mores didicit parum sanos, inter quos ludendi consuetudo & libido impotens illi exitio fuit. Amissis foliorum ludo pecunijs, anxius, cogitabat, quomodo alias, etiam à dæmone, acquirere posset. Adfuit repente dæmon sub specie elegantis juvenis, promisitq; argenti, quantum vellet; nec distulit promissa: tantum illico argenti obtrusit, quantum sufficeret ad ludum restaurandum. Redijt ad socios Michaël, repetit ludum & amissos recuperat nummos, imò collegas exhaurit suis. Placuit misero ea fortuna, nec dubitavit, ad illam conservandam, dæmoni se tradere, exarata sanguine suo syngrapha gemina, sub conditione vitæ in septennium prorogandæ. Inde in omne nefas effusus, jam deniq; prope aberat à fine septennij. Interim propitio oculo respicitur à misericordia Divina; innotescit matri, quod actum fuerat; quæ licèt hæretica, cùm in Synagoga sua nihil inveniret remedij, Religiosis quibusdam filium tradidit curandum. Sed ille ab ipsis fugâ se expedivit. Captus tamen à fratre Canonico Herbipolensi, ducitur Molshemium, ubi S. Ignatius plurimis inclaruerat miraculis, Patribusq; nostris committitur. Laboratum diu multumq;, donec hoc die, ad invocationem ardentem S. Ignatij, adactus est dæmon, sub specie deformissimæ ac grandis ciconiæ comparens, syngrapham reddere utramq;. *Bartolus in Vita S. Ign. lib. 5. n. 57.* Simile traditum supra 13 Januarij.

Dæmon cogitur reddere syngrapham.

Eodem

Eodem die obierunt.

P. Molinæ doctrina.

3. Madriti in Hispania, anno 1600, P. Ludovicus Molina, Hispanus, magnum nomen inter Recentiores Theologos, & multis machinis impugnatum, sed non eversum, decernente tandem Paulo V, anno 1606, Ut omnis doctrina Molinæ indemnis persisteret. Præter doctos in Primam partem D. Thomæ Commentarios, & invictam Gratiæ & Liberi arbitrii Concordiam, quæ lapis offensionis fuit, edidit Tomos 6 de Jure & justitia, tanta Juris Civilis comprehensione: ut mirum omnino sit; hominem, qui in Theologicis studiis vitam consumpsit, tantam consecutum fuisse Juris scientiam. Nec minor fuit Molina religiosa virtute, quàm excellentiâ doctrinæ. Etiam in provecta ultra sexagesimum annum ætate, atq; in continuo lucubrandi studio, passus non est, aliquid sibi dari ultra communem victum & amictum. Breviario utebatur tam attrito: ut minores horæ in illo vix legi possent. Ad communia domus munia non minùs promptus provolabat, quàm quivis accuratissimus tyro.

Sodalitas colloquij Mariani.

4. Ingolstadij in Germania, anno 1618, P. Jacobus Rhem, Germanus. Integra illi semper virginitas, quam custodiebat severâ oculorum modestiâ, & corporis mortificatione. DEiparæ cultui addictissimus, instituit Sodalitatem *Colloquii Mariani*, in qua juvenes de Virgine DEipara instituerent pias Collationes. In sacello ejus Sodalitatis cùm incessisset eum cupido noscendi, quis titulus Virgini gratissimus esset? canente choro Litanias Lauretanas, didicit cælitus à DEi Matre sibi spectabili, præ aliis placere titulum *Matris admirabilis*. Hunc ergo tertiò repeti jussit. Inter sacrificandum visus est non semel sublimis à terra; & sæpius absentia dixit, futura prædixit.

Theologi obsequia humilia.

In America Mexicana anno 1657, P. Joannes Ledesma, Americanus. Inter Theologos ita inclaruit: ut à Senatu regio, sacra inquisitione, Præsulibus, adeòq; ab ipsa Hispania, Peruvia, & Sinis consuleretur, & ab ipso Professore suo, cùm ejusdem esset Collega in Cathedra Theologica, inter alios authores citaretur. Cùm grandævus regeret Seminarium Mexicanum; omnia ad ædem sacram pertinentia administrabat per se, altaria mundabat & vestiebat, pavimentum verrebat, candelas, etiam publicè, accendebat, & abstergebat &c. passimq; se vocabat S. Gregorii æditnum. Erga Indos mirando ferebatur affectu: illos erudiebat, pascebat, & viribus totis defendebat. Cùm Mexicum eluvione aquarum vastaretur: ipse jejunus miseris Indis conquisitam annonam cymbâ advehebat: quod charitatis officium toto triennio, vastante urbem lue, continuavit. Mortuo Clerus Metropolitanus totus, Religiosi omnes, & Senatus universus solemniter parentârunt. *Southvell. in bibl.*

XIII. OCTOBRIS.

S. Ignatius liberatur ab infamia.

1. ANno 1537. scripta est Venetijs sententia Vicarij Apostolici, pro S. Ignatio, qua contra omnes detractores, & falsos rumores, declaratur esse Sacerdos bonæ ac Religiosæ vitæ, doctrinæ sanæ, & qui in civitate Venetiarum multa eximiæ probitatis exempla dederit. *Nadasi in Indice Memor.*

2. Anno

2. Anno 1534 auſpicatiſſimè electus eſt in ſummum Pontificem Paulus III, eodem planè anno, quo Henricus VIII rex Angliæ, excitato ſchismate Angliam avulſit ab Eccleſia Romana, & fide orthodoxa; quóve Pariſijs jacta ſunt prima Societatis fundamenta, emiſſis à primis Patribus votis in monte Martyrum, feſto Aſſumptæ in cælos Virginis DEiparæ. Nimirum emergentibus malis providit confeſtim Divina Bonitas opportuna remedia; & viros, qui Anglicanæ Eccleſiæ ſubvenirent æquè intrepidi ac validi, & Vicarium ſuum, qui ſapienter & gratiosè approbaret, firmaret ac formaret Ordinem naſcentem. Fuit Paulus magnus Inſtituti Societatis æſtimator, ſemperq; illam paterno fovit affectu, & Privilegijs non paucis. *Orlandin. hiſt. Soc. p. 1. lib. 1. n. 93.*

Paulus III creatur Pontifex.

3. Anno 1584 Gregorius XIII, per Conſtitutionem *Exponi nobis &c.* ſtatuit: nulli è Societate, licere deinceps ad Carthuſiam ſecundò tranſire, niſi de licentia Præpoſiti Generalis. *Bullar. Soc.*

Tranſitus ad Carthuſiam.

Eodem die obierunt.

4. Romæ anno 1574, P. Sebaſtianus Romæus, Italus. Præfuit annis undeviginti Romano Collegio, inſigni prudentia, & animi ſubmiſſione; eoque S. P. Ignatio apprimè charus. Quàmvis plurimis diſtentus curis, non tamen exonerari volebat, ſed alios ex aliis labores quærebat, dicere ſolitus: *Eos qui ſunt de Societate, nunquam niſi ægros, quieſcere debere.* Unde P. Julio Mancinello poſt mortem viſus eſt ſub albo conopæo, in lectulo longè ornatiſſimo, ſymbolo quietis, quam poſt perpetuos labores conſecutus eſt in beata æternitate.

Labor in Societate premiatur

5. Hui in Belgio anno 1653, Magiſter Philippus Franciſcus Pennant, Belga. Sex menſium paralyſi lecto affixus, uſuq; manuum ac pedum deſtitutus cùm jaceret: DEipara V. impenſiùs ab eo implorata, per quietem ſe illi ſpectandam obtulit cum Filio parvulo in ſinu, ſtipantibus latera, hinc S. Franciſco Xaverio, inde P. Maſtrillo; dicitq; ab ipſa, Sanitatem ſibi à Xaverio conferendam. Allatam S. Xaverii, Maſtrilli ſanantis, imaginem, ubi manibus paralyticis attigit, repente illas movit, & ſenſim convaleſcens, ad S. Xaverii feſtum plenè convaluit. Verùm cùm id alii alio traherent; iterùm relapſus in morbum, præmiſſis precibus iterum ejuſdem S. Xaverii imaginem affectis partibus admovit, & confeſtim vim & vigorem in illis recepit. Gratus pro beneficio, ſemper Xaverianam illam imaginem de collo geſtavit.

Imago S. Xaverij tacta bis ſanat paralyticum.

6 Zagrabiæ in Hungaria, anno 1621, P. Alexander Dobokay Hungarus. In catalogo beneficiorum à DEo acceptorum, poſuit & illud: quòd adhuc ſæcularis, poſt Sacram Communionem, audiverit in aurem dexteram illapſa ſibi hæc verba: *Ingredere Societatem.* In Societate, ſupra caput concionantis Patris Alexandri, die Natali Chriſti Domini vidit vir nobilis ſplendorem quendam inſtar orbis lucidi. Mirum in eo fuit, quòd in diuturna & varia gubernatione neminem acerbiùs reprehenderit; quàmvis pro tuenda diſciplina religioſa gravis eſſet & ſeverus. Orationi tanto fervore intentus fuit: ut etiam ſublimem à terra nonnemo viderit.

Vocatio ad Societatem.

XIV. OCTOBRIS.

S. Xaverius urget expeditionem contra Acenos.

1. S. Indiarum Apostolus, Xaverius, dum totis viribus, multisq; promissis urget, quantocyus expediri à Lusitanis Malacensibus classem contra Acenos: ut majores faceret animos militibus, quorum non magnus erat manipulus (centum & octoginta in eam expeditionem designati numerabantur) palàm profitebatur: se ipsum cum classe iturum, cùm non regis tantùm, sed potissimùm violati honoris Divini causa agatur. Et milites quidem hoc erecti promisso, jam victoriam tanquam certam canebant, non nescii: unum Xaverium adversùs furentium Badagarum amplissimas copias, nuper pro exercitu integro fuisse. At cives tam pertinaces obstabant: ut minarentur; ablato Xaverio, se in alias oras secessuros, urbe direptioni hostium relicta. Post multam altercationem, civitati adjudicatus est Xaverius: ut civibus solatio & præsidio esset; milites verò ad pugnam profectos, orationibus suis eminus juvaret. Sic dirempta lis est, & utrisq; periclitantibus præstò fuit vir Sanctus. *Bartol. in Vita lib. 2. num. 30.*

Eodem die obierunt.

Minister charitativus.

2. Tolosæ in Gallia, anno 1621, P. Guilielmus Trebosius, Gallus. Minister Collegii cùm esset; summa charitate providebat, ne quid sociis deesset, & ne ipsi legibus deessent. Si quis legi de verrendo cubiculo non satisfecisset; ipse illud, absente illo verrebat, purgamentis ad januam relictis, ut adverteret, se moneri. In missionibus longinquis & arduis magno labore versatus est, parcissima utens refectione, verberatione sui largissima. Pro salute viri nobilis, paulò ante mortem, vovit gestationem cilicii per hebdomadam cum cruenta sui flagellatione. Quod quamvis exequi, morbo impeditus, non potuerit; obtinuit tamen, quod optavit.

P. Franciscus Suarez mortuus dat Eucharistiam.

3. Ulyssiponæ in Lusitania, anno 1639, Hieronymus de Sylva Coadjutor, Lusitanus, vir eximiæ probitatis, & observantiæ disciplinæ religiosæ. Hic ipse est, qui Venerabilem Patrem Franciscum Suarium non semel in mentis excessu, & divino lumine illustratum vidit, atque ab eo vitâ jam functo, in deserto sacello Eucharistico epulo est refectus. Cùm enim à P. Rectore Collegii in itineris socium assumptus, præeunte in equo Rectore, ipse festo die Præsentationis DEiparæ V. divertisset ad Oratorium quoddam desertum, doleretq; se Ven: Eucharistiâ, ut semper eo die consueverat, refici non posse: vidit prodeuntem ad se P. Franciscum, præferentem in læva auratam pyxidem; audivitque dicentem: se illius reficiendi causâ divinâ voluntate missum; simulque promptum è pyxide divinum orbiculum famelico porrexit. Assecutus deinde Rectorem, cùm domum rediissent, accepit P. Rector epistolam à quadam Sanctimoniali S. Claræ scriptam, quâ totum referebatur, quod cum Fratre Hieronymo actum esset.

XV.

XV. OCTOBRIS.

1. FEstum Sanctissimæ Virg. & Matris Teresiæ admonet nos singularis erga illam observantiæ & cultûs, ob eximiam Societatis æstimationem, commendationem, imò laudem usque ad invidiam: ut patet tum aliunde, tum ex libro Vitæ propriæ, quem sua manu conscripsit. Inter cætera cap. 23. erumpit in DEI laudem: *Laudatus sit Dominus, quòd mihi gratiam dederit, obediendi meis Confessariis, quamvis imperfectè: qui quasi semper fuerunt isti benedicti homines Societatis JEsu &c.* Et paulò superiùs: *Fuit propter majus bonum meum, ut ego cognoscerem, & tractarem cum gente adeò Sancta, qualis est Societas JEsu.* Cap. 38 scribit, se vidisse in cœlo Nostros alba vexilla præferentes. *De aliquibus Religiosis*, inquit, *unius certi Ordinis, & de toto Ordine simul, vidi magnas res: vidi illos in cælo cum vexillis albis in manu aliquoties, & alias res similes magnæ admirationis: propter quod habeo dictum Ordinem in magna veneratione &c.* Quod per hunc Ordinem intellexerit & indicârit Sancta Societatem JEsu verbis expressis in Originali Vita à se conscripta; testatur non solùm Confessarius ejus, & Scriptor Vitæ, P. Franciscus Ribera; sed etiam Sanctius de Avila, Episcopus Seguntinus ipsius & ipse Confessarius. Plura videri possunt apud Lancicium *Tom. 1. pag. 81 & seqq. & apud Gomez in Elog: Soc. part. 1. Class. 7.*

S. Teresia commendat Societatem.

Eodem die obierunt.

2. Ciliæ in Styria, anno 1646, P. Paulus Cyrianus, Ungarus, inter alios 26 Socios per provinciam Austriæ sublatos, in obsequio pestiferorum extinctus. Grassante in oppido illo peste, nec ullo comparente, qui miserorum curam in spiritualibus susciperet; eam sibi spartam ardentissimo studio depoposcit P. Paulus, Græcii tunc degens. Sed oppidanos, quibus Societas non satis cognita fuit, ita deprehendit à se alienos: ut nec hospitio eum dignati sint, nec crustam panis, nisi ab ipsis pestiferis, impetrare potuerit. Sed his non motus Pater, domum occupavit, quam pestis, sublatis omnibus inquilinis, paulò antè vacuaverat, omni ad vitam tuendam subsidio destitutam; cœpitq; inde vestigare ægros, ultro se in domos ingerere, diu noctuq; montes & valles percurrere concionibus & exhortationibus tum suum institutum, tum civium spirituale periculum inculcare: effecitq; tandem hac Apostolica contentione, ut alios de eo sensus conciperent indigenæ; & quem aversati fuerant, studiosè prensarent. Sed bono seriùs agnito, diu illis frui non licuit, sublato paulò pòst eâdem lue ipso P. Paulo. *Ex Alegambe Victimis.*

Obsequium ingratis præstitum.

3. In Insulis Philippinis, anno 1650, P. Franciscus Puche, Hispanus. Arduas Missiones sibi deposcebat, flumina ita, ut erat vestitus tranabat, vestes ejus intimæ meri centones erant. Ægrum senecionem alicubi inventum, ad suum conclave deportavit, sua illum veste contexit, cibo refecit, in fide instruxit, baptismo expiavit, & paulò

Vestis honorata.

paulò post morientem, in cælum expedivit; mirè lætus hujus animæ lucro: veste verò, quâ senem contexerat, non nisi festis diebus utebatur. Accurrit aliquando manè ad Collegium nostrum, loci illius Decanus, moniturus nostros de flammis, quæ è domo nostra videbantur erumpere. Factâ omni diligentiâ nihil aliud deprehensum; quàm quòd eo tempore P. Franciscus inter ardentissima suspiria acriter se diverberaret.

Ignis ab orante.

4. Lugduni in Gallia anno 1628 P. Ignatius Pomponius, Gallus gloriosa morte, cum Sociis 9 occubuit, qui capita sua pro peste afflatorum salute devoverant. Anno sequente non ignobiliore morte prostrati sunt unus & viginti, in diversis locis Provinciæ Lugdunensis: Extra hanc provinciam in Gallia tredecim. Feracior gloriosorum funerum & coronarum fuit in Gallia annus 1630, quo sublati sunt unus supra viginti.

Victima charitatis.

XVI. OCTOBRIS.

S. Xaverius turbatam expeditionem iterum urget.

I. INopinatus casus fere disturbavit expeditionem, quam Malacæ S. Xaverius magno labore promovebat contra Acenos Mahometanos. Jam classis navium quinq; stabat in procinctu, miles non multus, sed alacer & fortis, ardebat prælium, effusa in portum cum præfecto civitas, calentibus votis & lacrymis iter felix precabantur, Xaverius in æde DEiparæ de Monte, Superos, ut secundarent, fatigabat; & jam sublatis anchoris ibant in altum. cùm repente in oculis omnium (ô abyssum judiciorum divinorum!) navis Prætoria scopulis impacta, dissolvitur, & profundo sorbetur. Oritur clamor & periclitantium & spectantium, accurritur undique ad juvandos naufragos ; è quibus nemo quidem periit, sed consternati omnes accusabant temeritatem suam, quòd tantillis copiis expeditionem tantam suscepissent, utiq; contra voluntatem DEi, ut ipsi ex hoc eventu ariolabantur. Nec parcebant mobilis vulgi linguæ vel Præfecto urbis, vel Xaverio, jamq; sermones in seditionem ibant. Mittit ergo Præfectus Mellus hominem, qui Xaverium accersat quantocyus ad sedandum tumultum. Faciebat ille tunc rem Divinam, jamq; ex DEo cognoverat, quid ageretur. Post sacrificium, antequam nuncius exponeret desideria Præfecti, jubet illum redire ad herum, atque monere, ut bono esset animo, DEum non defuturum causæ suæ. Ipse interea coram icone Virginis Matris prostratus, multa prece & lacrymis rem agebat nunc cum Filio, nunc cum Matre: ut afflictis propitios se præstarent. Posthæc descendit ad mare; Præfectum animat, populum oratione opportuna demulcet, jubetque sperare meliora. Itur ergo iterum in consilium: cives obstinatè damnant expeditionem; milites videntes, Martem spirare Xaverium, poscunt illam; quos firmat Xaverius luculenro vaticinio, de adfuturis eodem die duabus navi-

navibus ante solis occasum, quibus classis esset augenda. Suspensis in hunc eventum animis omnium, cum horâ ante solis occubitum illæ advenissent; incredibile est, quanta lætitiâ urbem impleverint, quot inde Xaverio factæ sint gratulationes, applausus, & amplexus. Decernitur ergo iterum expeditio, sed non una adhuc difficultate impedienda: ut clariùs appareret, felicem ejus exitum non civitati dissolutæ & pervicaci, sed meritis Xaverii datum. *Bartol. in Vita lib. 2. num. 31. & seqq.*

Eodem die obierunt.

2. In sylva Trevirensi, anno 1588, Richardus Biler, & Joannes Soppius, Novitii Germani, ab hæreticis, pro eo, quo in Jesuitas feruntur odio, trucidati. Corpora nudata feris objecta, sed post dies aliquot ab ipsis illæsa reperta, licet grassantibus eo loci agminibus luporum. *Victima fidei.*

3. Duaci in Belgio, anno 1652, P. Martinus l' Hermite, Belga, orandi & se affligendi studio insignis. Quàmvis omnis ejus ferveret oratio; in illa tamen quam pro injuriosis in se, fundebat, vel maximè exardescebat ignis. Calumniam enim aliquam, vel aliud mali à malevolis passus, illico se recipiebat in cubiculum, & prostratus ad pedes Crucifixi, ardenter ingeminabat: *Domine dimitte illis: non enim sciunt, quid faciunt. Per viscera, per vulnera tua, ne tribuas illis hoc peccatum.* Ita orantem tam liquida voluptate perfundebat DEus; ut nihil ei jucundius esset, quàm atrocem aliquam calumniam pati. Nihil erat tam arduum, aut odio vel invidiæ obnoxium, quod à superioribus sibi commissum, citra ullum humani oculi metum obedienter non perfecerit. Majoribus festis occurrentibus palàm in triclinio se cædebat. Visus est aliquando Armenteriæ inter jacentium sub dio militum ægrorum acervos, per diem integrum reptare ad capita singulorum, atq; eos expiare & solari. *Injuriarum condonati.*

4. Crumlovii in Bohemia anno 1625, P. Joannes Janus, Germanus opima charitatis victima cecidit; postquam & miro ardore se pestiferorum curæ devovit, & ea dedit zeli sui specimina: ut cùm defunctum, noctu terræ mandare vellet Rector, Magistratus se interposuerit, atq; clara die insigniq; pompa funus deduxerit; cui viri Senatorii humeros supposuerunt, adhibitis funalibus, & solemni Ecclesiasticorum comitatu. *Victima charitatis.*

XVII. OCTOBRIS.

1. ANno 1600 gravem dedit epistolam Vallisoleti Doctor Joannes Garcia Coronel, primarius in Academia Vallisoletana Theologiæ Professor, Romam ad P. Joannem Bapt. Plumbinum, Procuratorem Generalem Augustinianorum, pro doctrina Molinæ de Auxiliis Gratiæ, & contra Prædeterminationes physicas. Exponit ibi disertè, quomodo fere omnibus doctis per Hispaniam, suspectæ sint & invisæ Prædeterminationes illæ: Librum autem Molinæ audierit summis encomiis efferri. Certè, inquit, quæ contra illam (Molinæ doctrinam) objiciuntur, non multi ponderis sunt, & facile solvuntur. Authoritas virorum, qui contradicunt, me *Epistola pro doctrina Molinæ.*

moveret, nisi satis animadverterem; his particulares respectus misceri quos penetrare non est difficile &c. *Eleuther. hist. de Auxil. lib. 2. cap. 13.*

Tumult9 Duaceni.

2. In Belgio Duacenum Collegium gravis involvit hæreticæ plebis tumultus anno 1578. Circa decimam diei horam cum vexillo & tympano insana colluvies accurrit ad Collegium, atq; edictum promulgat: ut Socii omnes confestim urbe excedant. Quærenti Rectori, cujus imperio hæc gererentur, respondent: Populi. Poscenti, quid causæ esset? reponunt: sic visum plebi. Atqui Magistratum adibimus, inquit Rector: at illi, penes se auctoritatem Senatûs esse; proinde maturarent egressum, aliàs ignominiosè ejiciendi. Cedendum ergo fuit furentibus; dimissæ scholæ, discessum inter armatas cohortes, & plaustra conviciorum, prosequentibus magno numero discipulis & civibus honestioribus. Aquicintum se receperunt nostri: eò statim Senatus & Academici Thomam Stapletonium, Theologiæ Professorem, communi nomine ablegarunt, rogantes, ne longiùs abeant; sperare enim se, ubi impetus populi resederit, actutum revocandos. Nec aliter evenit. *Sacchin. hist. Soc. p. 4. lib. 6. n. 144. &c.*

Eodem die obierunt.

Martyrium P. Mastrilli.

3. Nangasachi in Japonia, anno 1637, P. Marcellus Franciscus Mastrillus, Italus. Admiranda utebatur familiaritate cum S. Francisco Xaverio, à quo in extremo vitæ periculo, illustri miraculo sanatus fuit, atq; jussus Indorum saluti se devovere. Vir innocentissimæ vitæ, incredibili ardens desiderio fundendi pro Christo sanguinem; multisq; à DEipara V. Sancto Eustachio, alijsq; Sanctis ornatus, gratijs. In Japonico itinere, multa & egit mira, & prædixit vera. Vix Japoniam feliciter quæsitam attigerat, cùm captus à barbaris, visus est toto capite collucere, & inter orandum in carcere, conspectus in splendoribus Sanctorum & à terra sublimis. Aquis primùm infusis, & violentè expressis, deinde candentibus instrumentis cruciatus, in foveam demissus est, Japonico more capite deorsum verso. Cum quarto jam die adhuc esset superstes, extractus inde, gladio subjectus est: sed non nisi tertio ictu caput avulsum, ingeminanti JESUM & MARIAM. Mox à morte, compluribus in Europa conspectus est gloriosus, variosq; varijs laborantes morbis adjuvit.

Concionator excellens.

4. Granatæ in Hispania, anno 1556, P. Alphonsus, seu Basilius, de Avila, Hispanus, concionator verbo & opere potens. Conciones ejus dicebantur Tuba divina, tonitru, ignis, fulmen cæleste: nunquam enim ascendebat cathedram, nisi cruenta flagellatione in se excitâsset flammam charitatis. Et tamen rogatus in extremis, ut aliquid diceret pro ædificatione Sociorum, dixit: Utinam, Patres, lingua hæc, quæ Ecclesiastæ munus obijt, in culina potiùs fuisset lacernula ad lebetes defricandos & abstergendos! Iniquos quosdam Judices, qui religiosum Sacerdotem publico supplicio affecerant, palàm die Dominico, pro concione, citavit ad tribunal Judicis vivorum & mortuorum, ubi se quoq; compariturum dixit; futurum autem, ut quem hic audire noluerint monitorem, ibi sint habituri Fiscalem. Post paucos dies religiosè de-

ceſſit P. Baſilius, eademq; nocte extinctus eſt præcipuus feralis ſententiæ author, quem alter quoq; brevi ſecutus eſt; familia utriusq; ad ſtipem corrogandam redacta.

5. Calliſij in Polonia, anno 1605, P. Joannes Cnapius, Polonus, Sancta heroum Charitatis morte defunctus in obſequio peſtiferorum; vir exquiſitus in religioſa diſciplina & animarum zelo flagrans. *Victima charitatis.*

XVIII. OCTOBRIS.

1. Ulyſſiponæ in Luſitania anno 1553 in Collegio noſtro S. Antonii apertæ ſunt ſcholæ publicæ, Rege promovente, & urbe petente. Quinq; primùm Claſſes inferiores, cum Theologia Morali patuerunt, tanto diſcipulorum concurſu: ut in ipſa illa Theologia, quæ minùs numeroſa eſſe ſolet, quadringenti numerarentur Auditores. Alias claſſes, præter numerum & alacritatem diſcentium, egregiè ornavit excellentia Profeſſorum, Cypriani Suarii, & Emmanuelis Alvari: quorum alter Rhetoricam, alter Grammaticam præclaris illuſtravit monumentis, quorum etiamnum fructuoſiſſimus in ſcholis uſus eſt. *Orlandinus hiſt. Soc. p. 1. lib. 13. num. 53.* *Vlyſſiponenſes ſcholæ.*

2. In Japonia primam expeditionem in regiam urbem Meacum ſuſcepit anno 1559, 8 Septemb. P. Gaſpar Villela, ſed tot obſtaculis periculisq; impeditam; ut ægrè hoc die Sacajum tenuerit. Jam repentina malaciâ in medio curſu defigebant navim àerei ſpiritus, regno ſuo timentes; jam horribili tempeſtate obruebant, omniaq; movebant; ut vel perderent, vel averterent Evangelii præcones. Fuit, quando velis pleniſſimis volans navis, repente conſtitit immobilis. Ergo ethnici circumire vectores, & ſtipem viritim exigere, qua ventum emerent ab idolis ſuis. Cùmq; ad Villelam veniſſent, contenderentq;, ut ipſe quoq; ſymbolam conferret: negavit ille, docens; non ab alio, quàm à Conditore cæli & terræ DEo ſperandam petendamq; opem. Illico conclamatur: ipſum infortunii eſſe cauſam; parumq; abfuit, quin præceps in mare ageretur, niſi DEus opportuno vento navim ſolviſſet. *Sacchin. hiſt. Soc. p. 2. lib. 3. n. 164. &c.* *Expeditio Japonica periculoſa.*

Eodem die obierunt.

3. Goæ in India Orientali, anno 1553, P. Gaſpar Barzeus, Belga, vir verè Apoſtolicus, S. Xaverij diſcipulus in prædicando Evangelio, & laborum æmulus; ſemper ab illo magni habitus. Laborum tantum ſuſtinuit, quantum denis operarijs, non ignavis, onerandis ſufficeret. Mira egit pro re Chriſtiana, præſertim in emporio Ormuſienſi. Inter extrema pericula intrepidus, ſentiebat ſe omnia poſſe in eo, qui imbecillitatem ſuam confortabat. Plura eaq; mira, dat ejus Vita. *Operarius laborioſus.*

4. Urgellæ in Hiſpania, anno 1605, P. Joannes Ricus, Hiſpanus, Eccleſiaſtes

Concio igne purgatorio expianda. egregius: sed cùm Majoricæ Rector, præter morem ibi concionaretur idiomate Castellano elegantiore; Alphonsus Rodriquez, qui ejus erat Socius, audivit à DEo: *Rector tuus expiabit concionem hanc igne purgatorio.* Qua re intellecta, P. Joannes nunquam deinceps eo idiomate usus est, orandi & corpus vexandi studio assiduè intentus. Cùm pro mortuo oraret Alphonsus, vidit eum radiis undique, sed potissimùm capite, collucentem, & velut coronatum.

Aviditas patiendi. 5 In America apud Hiroquæos, anno 1646, P. Isaacius Jognes Gallus. Incredibili ardebat patiendi desiderio: unde cùm aliquando totam noctem coram Venerabili Sacramento humi prostratus, peteret copiam, multa & acerba patiendi; responsum audivit: *Exaudita est oratio tua: fiet tibi, sicut à me petisti Confortare, & esto robustus.* Hurones ergo cùm excoleret in Nova Francia, captus ab Hiroquæis summè barbaris, admiranda passus est, avitâ planè veterum Martyrum fortitudine.

XIX. OCTOBRIS.

Monasteriense Collegium. I. MOnasteriense in Vestphalia Collegium institutum est anno 1588. Acriter se illi opposuerunt nobiliores duo è clero, omnes nervos intendentes; ut Jesuitæ vel non admitterentur, vel turpiùs ejicerentur. Sed in caput ipsorum brevi recidit ignominia. Cædis enim patratæ rei, non solùm dignitate privati, sed civitate pulsi sunt. Festivius quiddam evenit hæretico ministello. Circumjacentes hæreticos non leviter urebat propinquitas Jesuitarum Monasterii receptorum. Cùm igitur minister reformati Evangelii in territorio Osnaburgensi incidisset in quosdam cives Monasterienses, non potuit sibi imperare, quin acriter illis exprobraret admissionem Jesuitarum. Illi ut erant viri probi & simplices, audito Jesuitarum nomine, flexo poplite & capite aperto venerati sunt SS. JEsu nomen. *Jesuitarû nomen honorabile* Quod cùm iterum iterumq; facerent; stomachari Prædicans, & vix non disrumpi; tandem apertè denunciat: nequissimum genus hominum Jesuitas, non honore, sed omni probro dignos esse: at illi tum quoq; caput aperuerunt. Sic confusus, & in rabiem actus impudens rabula in fugam se conjecit; ne cumularet honores iis, quos infames volebat. *Sacchin. hist. Soc. p. 5. lib. 8. n. 88. &c.*

Lauffenum oppidum redit ad Ecclesiam. 2. In Helvetia Lauffenum oppidum anno 1588 Ecclesiæ restitutum est. Institerunt Episcopus Basileensis & Nuncius Apostolicus, etiam Pontificis interposita authoritate: ut eò de Societate quispiam mitteretur. Missus est ex Collegio Lucernensi zelosus & industrius Sacerdos Jodocus Itæus: qui mensis unius spatio, ita civibus & Prælatis prædictis suam probavit operam ut statio illi prorogata sit in menses quatuor, & Socius laborum datus Sacerdos alter è nostris. Hi tam dextrè fortiterq;

coe-

cœptum opus promoverunt: ut tota civitas cum pagis quinque & Præfectura Zuingensi, ejecto Prædicante hæretico, & occlusâ synagogâ Lutheranâ, ad Ecclesiam Romanam hoc die ultro redierint, contestati; eam se usque ad sangvinis profusionem & mortem propugnaturos. *Idem ibid. n. 81.*

Eodem die obierunt.

3. Bivonæ anno 1564, P. Petrus Venustus Italus, A. S. P. Ignatio missus in Siciliam, Novitios isthic religiose instituit, ac digna egit Apostolico viro. Inter alios Sacerdotem quendam publica scandala dantem, aggressus monuerat suaviter fortiterque: ut offendiculo esse desineret. Qui monitoris impatiens, redeuntem ex agro P. Petrum à tergo invasit, ac tertio vulneratum in capite, prostravit. Inventus Pater à Bivonensibus, cum volutaretur in sanguine suo, rogatusq; : num nosceret percussorem? affirmavit, sed nunquam prodere voluit, dicens: *Sinite illum: DEus illi ignoscat*: simulq; JEsu Nomine pronunciato, exspiravit, relicta post se magna sanctimoniæ famâ. *Percussor non proditus.*

4. In Lotharingia anno 1637, P. Laurentius Wortingtonus, Anglus, operarius tam extra, quàm intra carcerem Apostolicus. Post aliquot annorum labores Apostolicos comprehensus, carceris molestias toleravit biennio, tanto animarum fructu: ut ipse scripserit: Tot, tamq; frequentes ad expiandos animos ad me veniunt (in carcerem) ut hebdomada qualibet, in carcere plures, quàm in 6 vel 7 hebdomadis foris liber, excipiam confessiones. Denique proscriptus ex Anglia, venit in Belgium, & ad Missiones castrenses applicatus, plenus dierum & meritorum migravit ad Societatem triumphantem. *Ex Tannero.* *Carceris fructus.*

5. Lovanii in Belgio anno 1608, P. Martinus Delrio, Belga. Illustri genere ortus, summisq; honoribus illustris relictis Cancellarii Brabantiæ, & regii fisci Procuratoris, muneribus, Christum pauperem secutus est. Ad Societatem attulit non solùm ingentem nominis famam, linguarum plurimarum peritiam, ingenium omnigena eruditione prophanarum scientiarum instructissimum: verùm etiam virum bonum ad normam Evangelii probè efformatum. In Societate repuerascens, tam humilem docilemq; se præbuit tyronem; quàm eminentem, & scientiarum omnium varietate ad miraculum usque conspicuum, olim egerat Doctorem. Theologicis excultus studiis, laureâq; Doctorali ornatus, & acutissimum in speculativis, & solidissimum in sacris literis interpretandis egit Magistrum. Singularis promicabat ei in vultu candor animi, & castimoniæ, à prima adolescentia servatæ nitor. Compendium vitæ ejus Religiosæ dici potest humillima obedientia, & obedientissima humilitas. Scripsit, ediditque vir doctissimus complura tum ante, tum post initam Societatem: inter quæ celebrantur passim, & in judiciis adhibentur, ejus Disquisitionum Magicarum Libri 6, in Tomos 3 distincti. *Soutvell.* *P. Martini Delrio encomia.*

6. PP. Franciscus Ronsillus, & Georgius Blanerius. Navis prætoria, qua vehebantur, vadis impacta prope Nerium Gallæciæ promontorium, triste naufragium fecit. Pauci ope tabularum, aut brachiorum remigio, in littus evaserunt; plurimi vel hausti fluctibus vel rupibus illisi & obtriti sunt. Inclinata sensim unum in latus carina malum ingentem ita demisit, ut ejus apex sederet in terra, pontemq; veluti sterneret, quo dum utuntur è vectoribus præcipui, ac terram salui obtinent, sacerdotem *Victima duæ charitatis.*

 utrum-

utrumq; hortantur, saluti consulere. Illi verò facturos se negarunt, donec vel unus restaret in navi: & adhuc trecenti supererant: quos dum peccata confitentes audiunt, decumanus repente fluctus omnes obruit anno 1596, ejecta cadavera in facello proximo sepulta sunt. Konsillus in Hispania: Blanerus in Belgio natus erat.

XX. OCTOBRIS.

Institutio Episcoporū unde?

1. ANno 1562 Jacobus Lainius, Præpositus Generalis Societatis, præclaram habuit dissertationem in Concilio Tridentino, de Institutione Episcoporum, an sit immediatè à DEo, ut volebant Episcopi Hispani; vel mediante Pontifice Romano, tanquam Christi Vicario; prout sentiebant alii, Pontificis studiosiores. Fervebant partis utriusque studia fere usque ad contentionem. Lainius extra ordinem postremus disputavit, & integrum tempus solus explevit. In exordio sermonis commemoravit: ter se illi Synodo interfuisse, sub Paulo, sub Julio & sub Pio Pontificibus; semperq; se usum sinceritate loquendi, absq; fuco & respectu; eâdem etiamnum se usurum professus est: nullam enim sibi suppetere rationem aliter agendi, utpote nihil aut quærenti, aut speranti, aut metuenti. Postea quæstionem ingressus, dixit: Quatuor à se suscipi; Quæstionis explicationem, suæ sententiæ expositionem, alienarum confutationem, & suæ comprobationem. Eam porrò tenuit ipse, lateque ac solidè propugnavit sententiam, qua in Episcopos à DEo derivatur potestas, non immediatè, sed per Christi Vicarium, ac Divi Petri successorem, loquendo *de Potestate Jurisdictionis*, de qua potissimùm lis erat: *Potestatem Ordinis* eos accipere immediatè à DEo, concessit. Omnia tanta vi rationum & eloquentia deduxit: ut multi Patrum, oppositam secuti sententiam, vel apertè eam deseruerint, vel mentem suam uberiùs, & accommodatè ad sensum Lainii, declarârint. *Pallavicin. in hist. Conc. Trid. lib. 18. cap. 15. Sacchin. in hist. Soc. lib. 6. n. 85.*

Eodem die obierunt.

Victima fidei.

2. Badenæ in Germania, anno 1573, P. Georgius Schorichius, Germanus, à S. P. Ignatio Societati adscriptus, atq; à culinæ officiis ad literas ingenium transferre jussus, In Germania pro fide tanta gessit: ut Dux Albertus eum delegerit ad inferiorem Bavariam ad fidem Orthodoxam reducendam, Quòd ille feliciter præstitit: indeoque Badenam missus ad similes labores, veneno ab hæreticis propinato, sublatus est.

Victima charitatis.

3. Constantiæ in Germania, anno 1635, P. Balthasar Wegelin, Germanus. Per annos 30 Collegii Procurator accuratus, unaq; Operarius indefessus, laureatam mortem, ex charitate pestiferis exhibita, obtinuit, unà cum Sociis viginti & uno per Germaniam sparsis.

4. Posnaniæ in Polonia, anno 1655, P. Stanislaus Woysza, Ruthenus. Cùm informis, & fere monstrosus natus esset sine cranio & fere sine forma hominis, ope B. Stanislai Kostka, cui oblatus fuerat, plenè persanatus est. Nemo illo promptior sive ad infirmos, sive ad sanos juvandos Sacramentalis pœnitentiæ remedio. In animas Purgatorii quoq; prolixè liberalis, sæpe illas deposcendi auxilii causâ ad se ventitantes habuit. Injuriarum tolerantissimus, pro quodam sibi injurioso, per annos 13, statis diebus, per singulas hebdomadas certas orationes & mortificationes DEo offerebat. Matura deniq; cælo ejus Apostolica charitas, in arena peste infectorum, quibus indefessus deservìit, coronata est. *Sanitas ope B. Kostka.*

5. Lovanii in Belgio Franciscus Gruythuysen, Scholasticus, Belga. Non expectato Sacerdotio, properavit in gloriosam pestiferorum arenam, illique florem ætatis devovit, cum Sociis undeviginti, quos per diversa Belgij loca ejusdem gloriæ consortes habuit.

XXI. OCTOBRIS.

1. EX portu Sancianensi, anno 1552 literas dedit S. Xaverius ad P. Franciscum Perez; quas ita orditur: *Francisce Perez, mando tibi in virtute S. Obedientiæ, ne post visas hasce meas literas, hæreas ampliùs Malacæ, sed quàm primùm poteris, expedias te ad navigandum in Indiam &c:* scilicet Collegii Cocinensis futurus Rector; Rectori autem mandavit, ut eodem die, quo veniret Perez, traderet ipsi officium. Quod exordium, non formatum juxta stylum hodiernum, videri posset duriusculum, & præferre non parum despoticæ potestatis: sed rationem hujus styli & mentis suæ, paulò pòst in iisdem literis aperit humillimus, & suorum amantissimus Xaverius, subjungens: *Quanquam hæc, & his plura majora q;, confidebam, vos, sola voluntatis meæ indicatione, sine mora facturos: tamen ad majus vestrum meritum, interpono vim potestatis mihi traditæ.* Unde patet, melius esse, imperanti parere Superiori, quàm satisfacere suadenti, aut petenti. Multum enim respectus humani habere solet hæc obediendi ratio. *Epist. Novar. lib. 7. ep. 8.* *S. Xaverij epistola severa.*

2. In India, Goæ anno 1548, ipso hoc die, sacro S. Ursulæ, solemni pompâ delatum est ad templum Societatis Caput unius Virginis & Martyris, è comitatu S. Ursulæ. Cùm enim in itinere ventorum impulsu navis, qua vehebantur aliquot è nostris, impulsa esset in arenas & syrtes, excussoq; gubernaculo, omni spe salutis essent destituti: P. Gomius protulit in publicum sacrum Caput, invocatâq; ab omnibus Sancta Martyre, salvi evaserunt repente, non sine manifesto prodigio. *Orlandin. hist. Soc. P. 1. lib. 8. n. 119.* *Sacris reliquiis sedatur tempestas.*

Eodem die obierunt.

Victima fidei. 3. Nangasachi in Japonia, anno 1633, P. Julianus Nacaura, principe Japoniæ stirpe natus atque olim à Rege Bungi ad Gregorium XIII Pontificem Max. legatus, ad obedientiam Sedi Apostolicæ deferendam, Româ redux, in Societatem adscriptus est, in qua probum religiosum & impigrum operarium cùm egisset, ad scrobem Japonicam odio fidei raptus est. Cùm duceretur, populum comitantem allocutus, dixit: Illum se, illum Julianum esse, missum olim Romam à Japonia saniore & mitiore: pro illa Romana & vera fide se nunc vitam libenter deponere. Triduano tormento gloriam meritus æternam, decessit. Eodem mortis genere sublati cum illo sunt Petrus & Matthæus Novitii Japones.

Ecclesiastes insignis. 4. Panormi in Sicilia, anno 1656, P. Aloysius la Nusa, Siculus, Illustrissimis ortus natalibus, patriæ suæ Apostolus, innumerabilium animarum lucris, prædictionibus & signis conspicuus. Ecclesiæ munus per annos fere 40 persanctè gessit. Viderunt quidam ex dicentis fronte splendidissimum radium promicantem & auditores illuminantem; alii conspexerunt Angelum concionanti assistentem; alii ex orantis ore fulgidum radium in cælos vibratum; aliis visa est ejus anima, comitantibus SS. Ignatio & Xaverio, aliisque de Societate, & innumeris, quos cælo lucratus fuit, cælos conscendere.

Operarius insignis. 5. In Peru, anno 1622, P. Emmanuel Ortega, Lusitanus, magnus in Lusitania, Brasilia, Paraquaria, & Provincia Peruana operarius, pro DEi gloria & animarum salute. Tempore ingentis cujusdam exundationis, noctu per horam circiter natavit, ad baptizandos Indos, qui mergebantur, cum manifesto vitæ discrimine. Admiranda alia gessit, & passus est animarum causâ. Coadjutor spiritualis Formatus cùm esset, oblatam sibi 4 Votorum professionem non admisit: ne quid laxamenti in Instituto fieret sui causâ.

Mors gloriosa. 6. Regiomonti in Prussia anno 1653 P. Joannes Kihn Prutenus, cùm in vasta hæretica urbe, quam dira pestis depopulabatur, Catholicis Sacramenta, hæreticis ea, quæ poterat, subsidia strenuè ministraret, non sine stupore acatholicorum, glorioso agone consummatus est vir zelosissimus.

XXII. OCTOBRIS.

Privilegiorum confirmatio. 1. ANno 1552 Julius III Pont. Max: confirmavit Privilegia Societati concessa à Prædecessore suo Paulo III; quo ad Dispensationem circa Jejunia & cibos prohibitos, atq; Absolutionem à quibuscunq; casibus hæreseos, in foro conscientiæ: quæ & similia Privilegia, voluit non comprehendi sub quibusvis derogationibus, etiam in strictissima forma. Insuper concessit, ut cum facultate Generalis & aliorum, quibus ipse delegaverit, possint nostri, ex rationabili causa postponere Recitationem Horarum Can: Sacrificio Missæ, & Infirmis commutare in leviùs aliquid &c. *Bullar. Societ.*

2. In India epistolam dedit S. Xaverius ad P. Franciscum Henricum, labo-

laborantem in Travancoride, sed desiderantem inde excedere aliò, ubi fructuosior esset ejus labor. Docet eum Sanctus, id consilium non esse à bono, sed maligno spiritu, optante, regionem illam destitui omni operario Evangelico: ut nec parvuli, qui moriuntur, perveniant ad cælum, utpote baptismi expertes. Genus est, inquit, insidiarum ejus; majorem alibi divini obsequij spem ostentare: ut videlicet solicitet, atq; avertat eos, qui utiliter operam navant DEo ibi, ubi sunt. Itaq; vereor, ne te suo illo artificio aggressus, idcirco solicitet: ut ex istis abigat locis. At memento, te octo mensibus, quibus isthic versaris, plures animas conservasse, moribundis baptizandis infantibus, quàm omnibus annis, quibus in Lusitania & India fuisti &c. *Epistol. vet. lib. 2. ep. 8.* *Tentatio diaboli.*

3. Aliam dedit idem Sanctus epistolam anno 1552, ex Sanciano Sinarum portu ad Franciscum Peram: qua ex amplitudine & ardore Spiritus sui Apostolici, significat: se jam in procinctu esse ad solvendum in Sinense imperium, conducto ducentis aureis mercatore quodam Sinensi, qui eum expositurus esset ante portam urbis Cantonensis, & curaturus, ut ad Gubernatorem deduceretur. Quæcunq; sors apud hunc sibi contingeret, paratissimum se esse ad omnem, sive sint vincula & carceres perpetui, sive tormenta immanissima: cùm melius sit hæc pati, quàm negligere Evangelij propagationem. *Epist. Vet. lib. 4. ep. 15.* *S. Xaverius significat se solvere in Sinas.*

Eodem die obierunt.

4. Nangasachi in Japonia anno 1633, P. Joannes Matthæus Adamus, Italus. Ærumnas plurimas perpessus, Evangelii & animarum causâ, tandem comprehensus & fame cruciatus, extremos quinq; vitæ dies in tormento Japonico egit, de furca in fossam suspensus è pedibus; inde ad astra elatus. *Victima fidei.*

5. Callisii in Polonia anno 1634, P. Blasius Plczzinius, Polonus. Cùm adhuc adolescens insigni virtute præstaret; jussus est ab eo, cui erat in obsequiis, arenti terræ pluviam à DEo flagitare. Paruit Blasius, non diu oravit & cælum hactenus sudum, in pluvias affluenter solutum est. In Societate religiosum egit ad legum normam egregiè compositum. Dixit, duo se petiisse à DEo: ut, ne Domesticis molestus esset, non diu, sed acerrimè ægrotaret; nec diu in vivis superstes esset. Utrumq; obtinuit, ac insuper notitiam diei sui extremi, quem prædixit. *Pluvia oratione impetrata.*

6. Brunæ in Moravia, anno 1648, P. Samuel Richter, Moravus. Salutis animarum sitientissimus, promptissimum se ad illas juvandas, in quavis occasione præstabat; relicto etiam aliquando poculo, quo laboribus fessus sitim levare volebat. Sibi dictum censebat illud Psalmographi: *Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adjutor.* Adjuvit strenuè, donec in obsequio pestiferorum caderet gloriosè. *Zelus animarum.*

Testimonia de doctrina Molinæ.

1. ANno 1597 ab Inquisitione Generali Hispana expedita sunt Romam Testimonia authentica de sensu variarum Academiarum & doctorum Hispaniæ circa Controversiam ferventem inter Ordines PP. Prædicatorum & Societatis de Auxilijs Divinæ Gratiæ. Mandaverat enim suprema Inquisitio Hispana Academijs Salmanticensi, Complutensi, & Siguntinæ: ut suum de Controversia illa judicium perscriberent; idemq; ut facerent, doctissimos quosq; in Hispania viros rogaverat. Provincialibus item utriusq; partis injunxerat; ut, quod de Gratia sufficienti & efficaci sentirent, scripto consignarent, ad sedem Apostolicam mittendum. Obtemperatum ab omnibus accuratè. Digesta sunt omnia in Tomos 3, & Romam expedita anno dieq; prædictis, ad informandam Sedem Apostolicam. *Eleuther. hist. de. Auxil. lib. 2. cap. 26.* ubi ostendit: ex Episcopis alijsq; Doctoribus, quorum judicia Romam missa sunt, duplo plures fuisse pro Doctrina Molinæ, quàm contra illam.

Collegia in Gallia fundat.

2. In Gallia Guilielmus à Prato, Episcopus Claromontanus, anno 1560, inter mortales vivere desijt; Præsul in omnes partes optimus, ac memoriâ æternâ dignus, atq; à DEo datus Societati, collocandæ & educandæ in Gallijs. Tria Collegia Societati fundavit munificentissimè, temporibus difficillimis (quando scilicet illa, in suis initijs, nondum satis cognita, pro inutili, imò noxia habebatur) Billomense, Mauriacense, & Parisiense; quod regiâ sua munificentiâ gloriosè consummavit Ludovicus Magnus, Rex Christianissimus, *Sacchin: hist: Soc: p. 2. lib. 4. n. 92.*

Eodem die obierunt.

DEipara invisit P. Manconium.

3. Sassari in Sardinia, anno 1635, P. Joannes Andreas Manconius, Sardus, excellenti virtute, & prædicandi gratiâ celebris. DEiparæ V. cultui addictissimus, ejus aspectu multoties est honoratus, sed passim se illi sub Cruce spectandam obtulit. Semel tamen, cùm ille vexaretur importuna cujusdam fœminæ specie, identidem sese ingerente, ideoq; mœsto esset animo: Cæli Regina, comitantibus SS. Catharina, atq; Cœcilia, admirabili pulchritudine & splendore conspicuam se illi objecit, dixitque: *Vide, an pulchritudo, quæ corrumpitur, cum hac possit ulla ex parte comparari!* Ante mortem rogatus, ecquid illi maximo esset solatio in eo articulo? Quod, inquit, nullam consolationem ipse mihi unquam indulserim.

Innocentia vitæ.

4. Leodii in Germania, anno 1634, Rudolphus Russellus, Anglus, scholasticus, Vitæ innocentiam nullâ gravi noxâ temeratam, ut insigni virtutum apparatu ornaret, præter accuratam legum custodiam, duobus hisce usus est adminiculis. Nullam temporis particulam sibi elabi sine fructu sinebat; nec adamantinum suum decretum colloquendi semper de rebus piis, unquam violavit.

5. Hispali in Hispania, anno 1647, Joannes de Soria Coadjutor, Hispanus, concione audita saucius, relicta mercaturâ & sponsâ Societatem ingressus, semper in illa religiosè vixit, maximè postquam à gravi morbo per S. Ignatium miraculo est liberatus. Nullum diem elabi sinebat, quin regulis, bis quotidie consideratè legendis aliquid temporis impenderet. Voto se obligavit, ad vitandum quodvis deliberatum veniale peccatum: Sabbatho totius hebdomadæ defectus confessione expiabat, quàmvis id aliquoties per hebdomadam egisset, & veniâ gauderet, etiam quotidie communicandi. *Confessio frequens.*

XXIV. OCTOBRIS.

1. TAurini in Pedemontio anno 1568 apertæ sunt Scholæ, magna exultantium civium gratulatione & commoditate; post erectum anno præterito Collegium, non sine specialis Providentiæ divinæ argumentis. Templo illata sunt solemnissima pompâ, quinq; Sanctorum corpora, è quibus tria fuerunt SS. Martyrum è legione Thebæorum, Solutoris, Adventoris & Octavij; quartum Sanctæ Julianæ Virginis, quæ prædictorum Martyrum collegit, servavitq; reliquias; quintum S. Gussolini Abbatis ad S. Solutorem, qui virtutis excellentiâ famam Sanctitaits meruerat, Scholis & Collegio præfuit primus Rector P. Jacobus Acosta, quem celebrem fecit victoria de duobus Hugonottis reportata. Primus in arenam descendere præsumpsit discipulus: qui facili negotio subactus est. Discipuli ignominiam suam ratus magister, ipsum se congressurum denunciavit, ac Taurinensibus & Iesuitæ ostensurum: quid intersit inter discipulum & magistrum. Et erat literaturâ suorum non mediocriter tinctus, nec ulli cedebat audaciâ & verborum profluvio. Postridie commissum publicè certamen; tres horas tenuit. Ter ita victus hæreticus: ut tanquam intercluso spiritu, non posset hiscere; & quisq; videret, profligatum esse. Ad extremum pudore suffusus, quamvis in fronte admodum perfricta, ita discessit: ut diceret, conventurum se Acostam privatim. At comparuit nunquam, & petulantem illi linguam infamia egregiè frenavit. *Sacchin. hist. Soc: p. 3. lib. 3. num. 116. & n. 173. & p. 4. lib. 3. n. 67.* *Taurinensis schola.* *Certamen cum Hugonottis.*

Eodem die obierunt.

2. Conimbricæ in Lusitania, anno 1604, P. Hieronymus Carvalius, Lusitanus. Orationi sex quotidie horas dabat, & genua centies submittebat. Paupertatem tam tenerè coluit: ut in ejus veste curiosus quispiam nonaginta numerârit assutos centones. Solicitus aliquando de pœnis Purgatorii tolerandis, vidit apparentem sibi Virginem DEiparam, audivitque dicentem: Metum poneret; se non solùm in hac vita, sed etiam in Purgatorio gementium esse Advocatam. Cùm 45 esset annorum scripsit: sibi adhuc quindecim superesse annos vitæ: atq; ita evenit. *DEipara Patrona in Purgatorio.*

3. Rhotomagi in Gallia, anno 1626, P. Joannes le Sec, Gallus, Charitate ac

zelo

zelo præſtanti, caput ſuum bis in obſequium peſtiferorum devovit. DEiparæ cultui addictiſſimus, aſſiduè illam ſolicitabat: ut cui ipſa ad Societatem aditum aperuiſſet, etiam perſeverantiam impetraret. Exercitia ſpiritualia inchoaturus, dixit extrema ſibi futura, & diem obitûs, qui ita evenit, nominavit.

Mors prævisa

4. Murciæ in Hiſpania anno 1558 P. Marcus Antonius Fontova, Hiſpanus. Vices agebat Præpoſiti Provinciæ Aragoniæ, qui in Urbem profectus fuerat: ſed cùm lues contagioſa quaſdam Hiſpaniæ partes corripuiſſet, heroico charitatis obſequio ſe ipſum immolavit, ceciditq; charitatis victima cum Sociis duobus. Valentiæ eodem anno ex eadem cauſa occubuerunt Coadjutores duo, plures Barcinone cum Rectore ſuo P. Joanne Geſti; Anno ſequente Murciæ P. Gaſpar Lopez; Anno 1560 Gandiæ extincti quatuor eodem charitatis igne.

Victima charitatis.

5. P. Michaël Turrianus, Complutenſis Academiæ rector, antequam Societati nomen daret, ab eadem Romam miſſus ad propugnanda ibi ejus jura. Romæ cum degeret occurſum aſpectumq; noſtrorum hominum ita refugiebat, ut ne ſuſtineret quidem in ſermone mentionem de illis fieri, malevolorum obtrectationibus circumventus. Itaque vix Joannes de Vega, Orator Catholici Regis ab eo exoravit, ut ipſum P. Salmeron obiter, noctu, ſecretis in ædibus, conveniret. Multis precibus ab eo obtinuit P. Salmeron, ut idem beneficium præſtaret Ignatio Venit in condictum pomerii locum Turrianus oratione meditata contra Ignatium, tanquam certiſſimum præſtigiatorem, munitus. Quem ubi conſpexit Ignatius, & comiter, ut ſolebat, ſalutavit: ille perculſus aſpectu viri, ejus comitate, atq; adeo *Spiritu qui loquebatur*, victus, ruit in amplexum, & deſine inquit, plura; tuus ſum, quid me jubes facere? Poſt quadriennium ſuſceptus ad Societatem, eum S. Ignatius pupillam oculi ſui vocitabat. Ejuſdem nomen S. Borgias in libro vitæ ſcriptum vidiſſe fertur. Cùm parotide laboraret, ac lapſus humor in guttur, cibi & vocis meatum intercluderet, quo die migravit è vita, conſtitit humoris fluxus, ac liberas apertasq; fauces tamdiu reliquit dum ſacro viatico reficeretur, quo piè ac religioſè ſumpto, iterum occluſo gutture eſt oppreſſus anno 1593 ætatis ſuæ 85. *Iuvenc. 779.*

Mutatio affectûs erga Societatem.

XXV. OCTOBRIS.

S. Xaverius ſcribit ad P. Barzæum.

1. ANno 1552 Epiſtolam dedit S. Xaverius ex Sanciano Sinarum inſula ad P. Gaſparem Barzæum, Goani Collegij Rectorem, Virum fundìtus Sanctum & Apoſtolicum. Inter cætera, Memento, inquit, quæ apud te reliqui præcepta, lectitare, atq; obſervare ſedulò: maximè verò illa, quæ ad ſubmiſſionem animi pertinent, in quibus jubebam te exerceri quotidie. Vide etiam atq; etiam; ne circumſpiciens ea, quæ DEUS per te ac Socios univerſos effecit, obliviſcaris tui. Mihi verò pro mea erga vos omnes charitate, pergratum eſſet, vos unà cum animis veſtris conſiderare; quàm multa DEus veſtro vitio facere omittat: atq; hæc malim vos intueri, quàm quantas res per vos DEUS faciat. Nam prior cogitatio pudorem, ac demiſſionem animi afferet vobis, veſtræ imbecillitatis miſeriæq; admonitis; po-

fterior autem facile in elationis & arrogantiæ discrimen adducet, nixos alienis bonis, præclarisq; facinoribus, hoc est, Divinis. Circumspice, quæso quàm multis hæc perversa cogitatio periculum creârit: quàm exitialis hæc Societati pestis, si semel in ea serpere cœperit, sit futura. *Epist. Vet. lib. 4. ep. 14.*

Eodem die obierunt.

2. Neti in Italia, anno 1637, P. Michaël Montaltus, Italus, eximius DEiparæ V. cultor. Festa ejus præveniebat jejunio, pane & aquâ definito, & insomni nocte, quam orando & pia legendo transigebat. Ipsis festis diebus, eam quam è charta in cubiculo habebat, DEiparæ imaginem floribus adornabat, atque coram ea Formulam votorum Societatis, & alteram se illi devovendi, renovabat. A carnibus, etiam cùm Concionatorem ageret, abstinebat, plerumq; pane cibario, & aquâ contentus; somnum non in lecto, sed in sella, pallio obvolutus, capiebat. *DEiparæ cultor.*

3. In Brasilia, anno 1645, P. Antonius de Mattos, Lusitanus, Hollandico carcere per biennium maceratus, opinionem sanctitatis inde extulit. Cùm valeret, noctu somnum capiebat stans, & baculo innixus, ut faciliùs excitaretur ad laudem DEo persolvendam. Cùm Collegia vel Provinciam regeret; responsum ad interrogata non dabat priùs, quàm conjectis in Crucifixum, vel humi defixis oculis, animum collegisset. Quibusdam preces ejus expetentibus, dixit: facturum se; sed ipsi hoc illudve occultum peccatum caverent. Quendam mari se committere non audentem ob metum piratarum, monuit: ut certa peccata occulta expiaret, & certa quædam pietatis officia obiret; sic securum navigaturum. atq; ita evenit. *Notitia secretorum.*

4. Landspergæ in Germania, anno 1636, Magnus Angerer, Coadjutor, Germanus. Per annos 22, magno impigritatis exemplo, pistorem, hortulanum, & omnia egit, citra ullum laboris tædium, citra ullum pietatis detrimentum. Inter laborandum, Marianum Rosarium mordicus ore tenebat, manibus occupatis, dentibus illud versabat, & lingua DEiparam salutabat, rarâ industriâ. *DEiparæ cultor.*

XXVI. OCTOBRIS.

1. ANno 1578 supplicem epistolam dedit ad Præpositum Generalem, Euerardum Mercurianum, Guilielmus Alanus, Sacerdos pijssimus è præcipua nobilitate Anglicana: qui orta persecutione Catholicorum in Anglia, recepit se in Belgium, & profugos ex Anglia juvenes Catholicos colligebat in Seminarium quoddam Duaci, piorum eleemosynis sustentandos. Suasum subinde Gregorio XIII Pontifici Max. ut simile Anglicanum Collegium institueret in Urbe, futurum columen collabentis Ecclesiæ Anglicanæ, Pontifex, ut erat in omnem occasionem juvandæ & propagandæ Ecclesiæ intentissimus, erexit novum Seminarium, facileq; collecti sunt adolescentes Angli non pauci, quibus præpositus est Mauritius quidam Kolenocius; adjuncti duo è Societate, qui administrationis ac disciplinæ

domesticæ formam præscriberent, ac in usum deducerent. Illecti adolescentes humilitate & comitate nostrorum, optabant, ipsos præfici Seminario; quod etiam visum est Alano: ideoq; honorificas supplicesq; dedit literas ad Everardum Generalem; ut Societas ejus Seminarij susciperet gubernationem. Renuit Everardus graves ob causas: sed cùm juvenes non contenti Præfecto suo: eò descendissent, ut maluerint deserere Seminarium: Pontifex revocatos quiescere jussit, curamq; & administrationem omnem Societati demandavit. Et favit Pontificiæ dispositioni, ac Societatis curis, DEus; dando tam felicia domui illi incrementa; ut plurimos tum pijssimos Confessores, tum fortissimos Martyres aluerit, alatq; etiamnum. *Sacchin. hist. Soc: p. 4. lib. 7. n. 10 & seqq.*

Eodem die obierunt.

Ecclesiastes excellens. 2. Toleti in Hispania, anno 1584, P. Franciscus Strada, Hispanus, Ecclesiastes tanti spiritus, ut ei vix parem habuerit Societas. Incredibili vi dicendi percellebat, conterebat, & in quam vellet partem flectebat corda, etiam juvenis, nondum Sacerdos, nec sublimiore literaturâ tinctus. Concionibus suis, & S. P. N. Exercitiis scitissimè traditis, velut duplici quodam Eliæ Spiritu, concussit Italiam, Belgium, Galliam, Lusitaniam & Hispaniam; odia internecina inter cives & civitates composuit, religiosas domos ascetis implevit, Societati complura Collegia erexit. Rogatus à P. Ribadeneira; unde illi esset ea vis in dicendo; ingenuè respondit: sibi inter dicendum, radium quendam & impulsum cælitus illabi, quo totis præcordiis intimè commoveretur. Labori & orationi intentus, modicum dabat somno: & expertus est, sibi dormienti à DEo infusam tantam homiliarum Divi Chrysostomi peritiam: ut illo licèt antea nunquam lecto, ita concionaretur, acsi totum absumpsisset. Tantus cùm esset, indignum tamen Societatis instrumentum semper & animitus se reputabat.

S. Ignatius apparet P. Kesselio. 3. Coloniæ in Germania anno 1574. P. Leonardus Kesselius, Belga, P. Francisci Stradæ concionibus Societati genitus, Vir potens docendo & agendo, præsertim in Colonia Agripina ab hæresi servanda. Cùm ibidem peste infectis serviret, non animas tantùm, sed corpora quoq; divinitus curabat: ut passim diceretur: quotquot Kesselio sua peccata aperirent, protinus convalescere, & vitam instituere magis probam. Incredibili tenebatur desiderio, S. Patrem, tunc adhuc superstitem, videndi & alloquendi, ideoq; petiit Romam eundi veniam. Sed S. Pater piis ejus votis cumulatè annuens, Coloniæ se illi videndum miraculosè præbuit.

Victima fidei. 4. Nangasachi in Japonia, anno 1633, P. Antonius de Sonsa, Lusitanus, odio fidei primò exilium perpessus, deinde redux in Japoniam, aquæ in os infusæ & violenter expressæ tormento cruciatus, demum in fossam capite deorsum suspensus, octavo die gravem illum agonem feliciter consummavit.

Pietas doctrinæ juncta. 5. Romæ anno 1556 P. Andreas Frusius, Gallus, non minus vitæ probitate, quàm doctrinæ laude spectatissimus, adeò: ut illum S. Ignatius aliiq; Angelo simillimum judicarent. Linguarum Latinæ, Græcæ, Hebraicæ erat peritissimus, Theologus, Jurisperitus, Medicus, Mathematicus insignis, præstans Musicus, præclarus

Ora-

Orator, Poëta summus & omnino Extemporaneus. Exercitia Spiritualia S. Patris ex Hispanico Latinè interpretatus est, isq; liber primus è Societatis lucubrationibus, typis prodiit in lucem. *Soutvell. in bibl. Soc.*

XXVII. OCTOBRIS.

1. GOæ in India, anno 1578, solemnis celebratus est Baptismus. Sacro fonte abluta est Neptis Mealis regis ad quem regnum Idalcanis de jure pertinebat. Eodem die post meridiem Rudolphus Aquaviva viginti catechumenos lustralibus aquis tinxit: inter quos fuit vir Maurus genere, qui nullius hominis suasu, ex Balegate venit, baptizari petens, & quidem sine mora; quod diceret, se nescire, quando esset moriturus. Factum satis pio desiderio. Ecce autem statim à baptismo tanto sanguinis profluvio soluta illi est narium vena; ut anima corpore soluta, tempore eodem & militantem & triumphantem ingressa sit Ecclesiam, DEo divitias bonitatis suæ mirabiliter spargente. *Sacchin: hist: Soc: p. 4. lib. 6. n. 228.* *Mors senis statim post baptismum.*

Eodem die obierunt.

2. Valentiæ in Hispania anno 1615, P. Petrus Bellidus, Hispanus. Orationi præter horam ordinariam duas alias dabat manè, vesperi tot, quot obedientia & ratio officii permittebat. Incipiebat Meditationem à Christi Passione, deinde ad attributa divina mentem erigebat, deniq; voluntatem suam divinæ mactabat, in holocaustum; visus ab oratione prodire toto vultu radiis illustri. Multos monuit de rebus secretissimis. Sub mortem dicente quodam: *Sursum corda*; respondit: Jam est ibi. Persona quædam sanctitatis opinione illustris, cùm rogasset Dominum: An omnes nostri qui in eo Collegio degebant, salvi essent futuri, & an cum Purgotorio? Responsum accepit: Salvandos omnes, sed tres tantùm sine Purgatorio, inter quos Pater Bellidus. Hoc cùm Patri Petro sub mortem referret superior, lætus subjunxit: Gloria Patri & Filio & Spiritui S. & felix decessit. *Oratio efficax.* *Salus sine purgatorio.*

3. Burdigalæ in Gallia anno 1620, P. Guilielmus Bailius, Gallus. Mirabili instructus erat vi ad agendum cum hæreticis ita, ut pauci cum illo agentes, abierint non conversi. Vocatus ad ægros disponendos ad mortem, antequam domo prodiret, inclementer se pro illis cædebat. Ad pulpitum sacrum non ascendebat, nisi acri flagellatione præmissa, cilicio indutus, & linguâ per aquam lustralem expiata. Santonas Calvini erroribus infectissimos, eo purgavit studio: ut à S. Eutropii, Santonum Apostoli, temporibus, nullus visus sit, ita Religionis negotium promovisse. Magorum, sagarumq; artes tam solerter deprehendebat: ut nunquam aberrârit. In Sacrificio divino, cùm Venerabilem hostiam communicaturus manu tenebat: Da mihi, ajebat, Domine JEsu animas, pro quibus victima factus es salutaris. Zelo animarum, & celebritate nominis sui eò devenit: ut velut proverbio appellarentur *Bailij* qui in eo genere maximè strenui essent. *Soutvell. in bibl. Soc.* *Præparatio ad conciones.*

4. Romæ anno 1705 P. Thyrsus Gonzalez, Præpositus Generalis, Hispanus. Societati præfuit annis 18; communi judicio & famâ, etiam Curiæ Romanæ, Vir Sanctus

ctus & Doctissimus. Societatem gubernavit juxta Instituti rigorem, accuratus in munere suo humanorum negligens respectuum, in adversis fortis & constans.

XXVIII. OCTOBRIS.

Collegium Germanicum Romæ.

1. NAtalis est hic dies Collegij Germanici in Urbe, S. Ignatij zelo & cura primùm conditi. Cœptum est nobilissimum hoc opus sub Julio III Pontifice, suadente Cardinale Morono, qui Nuncium Apostolicum in Germania egerat; operam verò, curam & dexteritatem omnem impendente Ignatio. Nullum enim visum est præsentius subsidium ad juvandam inclytam Nationem Germanam, ab hæresi fere oppressam: quàm si in ipsa Roma, velut sinu Magistræ gentium, educarentur & bonis literis moribusq; formarentur juvenes Germani, qui doctrinâ sanâ & zelo Apostolico patriæ subvenirent. Collecti sunt initio juvenes quatuor supra viginti, quibus à Pontifice jussus est S. Pater scribere leges vivendi & studendi, totamq; Domum per suos gubernare. Sumptus necessarios benignè suppeditabat Pontificis & quorundam Cardinalium liberalitas. Sed brevi factum est, ut tam præclarè cœpta penè conciderent; sublato è vivis Julio Pontifice. Paulus enim Quartus, orto inter ipsum & Imperatorem bello, subsidia consueta subtraxit; Cardinalium quoq; largitiones in publica annonæ caritate desinebant: nec deerant ex ipsismet, qui Ignatio suaderent ejus Collegij dissolutionem temporibus tam iniquis. At illi mens fuit alia, tamq; generosa; ut Cardinali Augustano reposuerit: *Subtrahant se omnes, quos ea cura gravat; sustinebo solus, etiamsi me venundari propterea oporteret.* Et sustinuit, juvante DEO. Iuvenum enim, jam non paucis auctorum, partem amandavit ad varia Collegia nostra extra urbem, partem in urbe detinuit suisq; impensis aluit, etiam cùm res satis angustæ domi essent. Prospiciebat enim divinitus edoctus, fore tempus; quo id Collegium, ut numero personarum, ita redditaum copia abundaret, cresceretq: in summam Ecclesiæ Germanæ utilitatem, hæreseos autem ruinam. *Bartolus in Vita S. Ign. lib. 4. n. 18. Orland. hist. Soc: p. 1. lib. 12. n. 8.*

S. Borgiæ Nativitas.

2. In Hispania splendidum Societati, imò universæ Ecclesiæ ortum est lumen, nascente, anno 1510, S. Francisco Borgia, primogenito Joannis Ducis Gandiæ, futuro Societatis Præposito Generali Tertio. *Sacchin. hist. Soc: p. 3. lib. 8. num: 37.*

B. Kostka susceptus ad Novitiatum.

3. Romæ anno 1568, B. Stanislaus Kostka, postquam à laboriosissimo itinere, per aliquot dies est refectus, die SS. Apostolis Simoni & Judæ Sacro, Tyronibus Societatis in Domo Professa est aggregatus. *Sacchin. hist. Soc: p. 3. lib. 4. n. 62.*

4. Ibi-

4. Ibidem anno 1604 habita est coram Clemente VIII Congregatio & disputatio 33. de Auxilijs Gratiæ. Voluit Pontifex disputari de Scientia Media; quæsitumq; *An S. Augustinus, ante absolutum Decretum Divinæ voluntatis, agnoverit, dari in DEO Cognitionem certam & infallibilem contingibilium, dependentium à causa libera: qualem Molina DEo per Scientiam. Mediam tribuit?* Affirmativè respondit P. Bastida, latèq; probavit ex Sacris literis & S. Augustino. *Eleuther. hist. de Aux: lib. 5. cap. 43.* *Cognitio contingibilium.*

5. Anno 1707 Pontifex Max: Clemens XI epistolam dedit ad M. Ducem, seu Czarum Moschoviæ Petrum Alexewicium, qua significat: multum solatij se cepisse, ubi ejus Ablegatus declaravit: ipsum constituisse, Catholicis per universas ditiones suas liberum & publicum concedere Religionis suæ exercitium; insuper fundare Conventum PP. Capucinis, & Collegium PP. Societatis JESU, ad erudiendam bonis literis, moribusq; probis juventutem; *quod consilium, inquit, magnam profectò populis tuis utilitatem est allaturum:* deniq; Missionarijs Chinensibus liberum permittere passum per terras sibi subjectas. *Ex literis Româ datis.* *Litera Pontificis ad Czarum Moschoviæ.*

Eodem die obierunt.

6. In India Orientali anno 1568. P. Franciscus Lopez, Lusitanus. Post multos animarum causâ exantlatos labores, cùm Cocino Goam navigaret, à Mauris comprehensus, & multum diuq; solicitatus est; ut ad Mahometem deficeret, Execranti impium facinus, hasta in pectus adacta, caput acinace fissum, corpus in mare projectum. *Victima fidei.*

7. In mari anno 1596, P. Georgius Vallier. & P. Franciscus Rosillus, Hispani. Cum exercitu Martini de Padilla in Angliam navigare jussi, horrida tempestate noctu involuti sunt. Deficiente evadendi spe, Patres omni, qua poterant, ope juvabant perituros, donec ipsi quoq; haurirentur. Pauci, qui variâ industriâ evaserunt, testati sunt: in densissimis illis tenebris, in quibus alter alterum videre non poterat, Patrum circumcursantium, & Christi Crucifixi imaginem circumferentium, vultus tanto splendore fulsisse, acsi meridiano sole illustrarentur. *Lux involutis.*

8. Mexici in America anno 1572 P. Franciscus Bazanus, Hispanus. Indias expetiit, ut experimento probaret, quemadmodum ipse ajebat, an arbor inutilis eò translata aliquid boni fructus sit allatura. In Societate, sedulò splendorem familiæ Marchionum S. Crucis, & ingenium doctrinamq; occultavit, delituitq; per 5 annos sub Francisci Aranæ nomine, inter labores domesticos sedulus & modestissimus Coadjutor. Re posteà compertâ, studiis iterum est applicatus, & sacris Ordinibus initiatus transmisit in Americam, tam in itinere, quàm regione illa, insignia præbens Viri Apostolici argumenta. *humilitatis.*

XXIX. OCTOBRIS.

Liber exercitiorum vindicatus

1. ANno 1645 Congregatio Lusitana PP. Benedictinorum, secuta exemplum Congregationis primariæ Cassinensis, Exercitiorum Spiritualium libellum vindicavit S. Ignatio; declaravitq; eum non esse à quopiam Benedictino monacho, ut recens quidam Historiæ Benedictinæ authot perperam scripserat, compositum. Quam suam Sententiam publico Decreto firmatam, communicavit hoc die Societati. *Bartol. in Vita S. Ign. lib. 1. n. 21.*

Academia Vilnensis instituta

2. Vilnæ in Litvania anno 1579 in Collegio Societatis per Valerianum Episcopum fundato, Studium Generale, seu Academiam & Universitatem Scientiarum, bonarumq; Artium, instituit Gregorius XIII, à *Societate in omnibus ac per omnia, moderandam ac gubernandam:* illiq; Privilegia quarumvis aliarum universitatum gratiosè concessit, *Bullar. Cherub. Constit. 102 Greg. XIII. incip. dum attenta &c.*

Charitas & naufragium duorum è nostris.

B. Ignatij ope unus e naufragio liberatur.

3. In litore Malabarico P. Antonius Abrerus vela faciebat cum P. Bernardino Senensi. Orta subitò Cocinum inter & Culanum hac die 1611 fœda tempestas classem sex navigijs majoribus & alijs minoribus bene multis constantem & Asiaticis onustam mercibus fregit. P. Abrerus ducentos Ethnicos, nullis ante monitis & adhortationibus victos, ad Sacrum baptisma perduxit. P. Bernardinus milites omnes, quorum ingens erat numerus, salutari confessione expiavit, neq; suæ prius vitæ consulere sustinuit, quàm eorum salutem sempiternam in tuto collocasset. Euersa demum naui jactabatur undis, cùm ad B. Ignatium ore animoq; conversus, cernit oblatam ex improviso adnatare trabem. Huic se applicat, perq; iratos fluctus diu jactatus ad litoris cautes ejicitur. Exciuerat indigenas procellæ fragor & prædæ spes. Ab ijs haud dubiè spoliandus & necandus Ignatium rursus appellat, cujus ope mitigata barbarorum feritas incolumem accepit ad litus. Servatam superûm beneficio vitam dolor propemodum ademit. Paululum in littore processerat, cùm incidit in cadaver Socii charissimi P. Antonii Abreri. Triste ac dulce onus mœrens ad PP. Franciscanos deportavit, quorum in æde sacra sepultum est. *Juvencius fol. 486.*

Eodem die obierunt.

4. In Japonia prope Fuximam anno 1633. P. Matthæus de Couros, Lusitanus, vir verè Apostolicus, tam in agendo, quàm patiendo. Ecclesiam illam non solùm excoluit maximis laboribus, ut Missionarius: sed etiam pro Episcopo gubernavit an-

nis 9

nis 9. Societati Japonicæ bis præfuit Præpositus Provincialis, temporibus difficillimis, & ardente persecutione. Admiranda sunt divinæ Provinciæ argumenta, quibus inter summa & assidua pericula famulum suum protexit, ad solatium afflictæ illus Ecclesiæ. Jam per montium inaccessorum juga, per sylvas & vepreta vagabatur: ut instantes falleret exploratores; jam flumina & maria pererrabat, jam per alias, & alias provincias irrequietus cursitabat. Aliquando in cæca subterranea specu per menses octo commoratus est; subinde satellites fugiens, in arcta delituit latebra, qualem memoratur S Felix subiisse, araneo opere repente prætextam. Inter tot vitæ discrimina, & quotidianas mortes tabescens, decrevit tandem indulgere veteribus desideriis, quibus actus fuit in Japoniam, & Meacensi Magistratui ultro se sistere; si fortè placeret DEo, ut inter flammas peteret cælum. Sed aliter DEo visum. Mox adfuit quispiam, qui evocatum P. Matthæum ad juvandum hominem leprosum, in semoto mapali degentem, ex urbe deduxit ad ægrum: ubi ipsemet, ærumnis fractus placidè exspiravit, Japonicæ suæ expeditionis anno 43. *Soutvell. in bibl. Soc.* *Missionarius Laboriosus.*

5. Antverpiæ in Belgio anno 1625, cùm in populum magna strage grassaretur lues contagiosa, hoc die gloriosè occubuit Thomas Verleyn Belga, Coadjutor, unus è 15 heroibus, qui in ea urbe sub vexillo charitatis meruerunt, & felici clade sublati sunt. *Victima charitatis.*

XXX. OCTOBRIS.

1. GRegorius XIII anno 1576 confirmavit, extenditq; Privilegium Societatis, ædificandi & habitandi ubiq;, etiam intra cannas aliorum Ordinum. *Bullar. Soc:* Constit: incip: *Salvatoris Domini nostri &c.* *Privilegiũ pro habitatione nostrorum.*

2. Institutam in Collegio Romano, recenter fundato à Gregorio XIII Lectionem de Controversijs fidei, primus hoc die, anno 1576 tradere cœpit P. Robertus Bellarminus, aptissimus ad id muneris visus, tum ob ingenij ac eruditionis excellentiam, tum ob linguarum Græcæ & Hebraicæ peritiam, & comparatam septennio Lovanij in Belgio, agendi cum hæreticis experientiam. Nec fefellit opinionem de se conceptam. Ita rem egit; ut non solùm quotidianis lectionibus satisfaceret: sed pro vastis Controversiarum suarum Voluminibus multam coacervaret materiam. *Petrasanz in Vita lib. 2. cap. 5.* *P. Bellarminus incipit docere Controversias.*

3. In Valle Tellina Collegium recenter inchoatum, anno 1560 dissipatum est à Grisonibus, seu Rhœtis, Vallis dominis, hæresi jam infectis, ac pro ea tam ardenter zelantibus: ut si alicubi vel unus esset Lutheranus, pro ipso daretur prædicans, atq; ex publico aleretur. Socij, quàmvis sub titulo Magistrorum tantùm, essent ingressi, & à Concionibus publicis abstinerent, exturbati. Sed dum in una valle Societatem non tolerat Satan: DEUS illi aditum, stabilemq; possessionem aperuit in pluribus vicinæ Sabaudiæ, imò in tota ditione Ducis Sabaudij per Antonium Possevinum, *à Rhœtis nostri expelluntur.*

non

non pridem Societati aggregatum. *Sacchin. hist. Soc: p. 2. lib. 4. num: 56. & c.*

Eodem die obierunt.

Honor ex carcere. 4. Moguntiæ in Germania anno 1620, P. Joannes Sylvorstius, Belga. Groeningæ Catholicis operam præclaram præstitit, non minore fructu, quàm labore. Ab hæreticis igitur raptus in vincula, viso eminus carcere, procumbens in genua, gratias DEo retulit pro tanto honore. Pro tribunali fidenter respondit: se non minùs ausum isthuc venire ad hæreticos convertendos, quàm ipsi sunt ausi Antverpiam ire pro Catholicis pervertendis. In periculis & angustiis, magnâ fiduciâ DEo dicere solebat: *Tuus sum ego: salvum me fac.*

Libertas in loquendo. 5. Posonii in Hungaria, anno 1634, P. Georgius Kaldi, Hungarus, vir acris ingenii, eloquentiæ & virtutis. Multa egregiè dixit ac scripsit contra hæreticos. Biblia sacra ab illis depravata, restituit integritati suæ, & Hungarico idiomate edidit. Gabrielem Bethlehemum, Transylvaniæ principem victoriis insolentem, palàm Tyrnaviæ corripuit: quod tot millia Christianorum Turcis prodidisset. Ea propter extrema illi timebantur: sed ea libertate majorem ab eo principe retulit æstimationem & honorem, donatus etiam luculento pecuniæ subsidio, pro Bibliorum sacrorum impressione.

Radius ab Eucharistia. 6. Caltagiroriæ anno 1622, P. Franciscus Farsia, Italus. Licentiùs vivens in sæculo, cùm fortè occurrisset Venerabili Eucharistiæ, quæ per plateam deferebatur, erumpens inde radius ita hominem perstrinxit, mutavitq; ut subitò in alium mutatus, ad Societatem se receperit, & plures exemplo suo ad frugem reduxerit. Eximius deinceps fuit in cultu ejusdem SS. Eucharistiæ ac potissimùm in iteranda crebriùs communione spirituali: & dignabatur illum subinde DEus cælestibus visis & solatiis, sapore quoq; & odore admirando in usu ejusdem Sacramenti.

XXXI. OCTOBRIS.

P. Matthæus Riccius mortuus idola subvertit. 1. POstquam Pechini apud Sinas, post obitum P. Matthæi Riccii, viri Apostolici, & quasi Parentis Ecclesiæ Sinensis, multo labore, & singulari Imperatoris gratiâ, Villam suburbanam, valde opportunam, pro ejusdem sepultura compararunt Socii (non enim licet in urbibus sepelire defunctos) delatum est illuc defuncti corpus, non ea pompâ, qua Sinæ utuntur, & est triumpho, quàm funeri similior; sed eo apparatu, qui Christianos & Religiosam modestiam decebat: solemnibus verò exequiis dicta dies prima Novembris. Intecim tumulo paratus est locus, divinoque consilio factum: ut qui per universam vitam expugnârat idola, mortuus ea secum sepeliret. Erat in ea Villa ædificium non inelegans, in cujus aula primaria ara consurgebat ingens è lapide; cui insidebat monstrum grande, à capite ad calcem inauratum (quod Sinæ *Ticam* vocant, atq; tellluri thesaurisque præesse fabulantur) in capite coronam, manu sceptrum gestans. Plutonem veterum gentilium Europæorum referebat. In

utroq; pariete picti videbantur decem Inferni principes, qui reorum scelera cognoscentes, ad meritas damnabant pœnas. Ante eos stabant dæmones, multò terribiliores, quàm nos pingimus, variis pœnalium instrumentorum signis instructi, atq; horribiles. Damnatorum quoq; supplicia ita repræsentabantur, ut spectantibus horrorem incuterent; nam alii in lecticis ferreis torrebantur, alii ferventi oleo coquebantur, alii in frusta discerpebantur, alii medii secabantur, alii à canibus lacerabantur &c. Cæterùm hæc inferorum terriculamenta dæmon ita composuit: ut non solùm sceleratos non coërcerent, sed incitarent. Facillimum enim illa evadendi modum adstruebant: si nimirum certo ritu adoraretur idolum, & ministris ejus aliquid stipis offerretur. Idola igitur omnia dejecta, concremata & deleta; ara ipsa diruta, parietum in fano pictura calce incrustata est. Tum in recenter erecta decentiore ara elegans Salvatoris nostri imago hoc die collocata est; tumulus aptatus, in quo deponeretur defuncti corpus, & locus pro cœmiterio designatus. *Trigautius in expeditione Sinensi lib. 5. cap. 21.*

Eodem die obierunt.

2. Corcagiæ in Hibernia anno 1604, Dominicus Colinus, Coadjutor, Hibernus. Claro satus genere, contra Sectarios Centurio militavit in Gallia, deinde in Hispania dux classiarius per annos octo; semper & miles bonus & vir probus. *In Societatem* receptus, missus est in Hiberniam ad populares suos juvandos: ubi captus ab hæreticis, varieq; solicitatus, ut ad eorum castra transiret; cùm fortis in fide & religione persisteret, crudeliter tortus, & manibus post terga revinctis, in veste Societatis ad patibulum raptus est. E scalis gravissimè monuit Catholicos, ne spe, metúve, aliisq; hæreticorum artibus, sinerent se perverti. *Suspicite*, inquiebat, *in cælum, & priscam fidem, quam preclari majores vestri sunt professi, non degeneres perseveranter conservate: pro qua & ego nunc, ut videtis, mortem oppeto.* Mox deturbatus & excarnificatus est. *Victima fidei.*

3. Majoricæ anno 1617, Alphonsus Rodriquez, Hispanus, notæ Sanctitatis Coadjutor, à Christo D. & ejus Matre Sanctissima tenerrimè dilectus, plurimisq; singularibus gratiis ornatus. Inviserunt aliquando ægrotantem, dirisq; doloribus cruciatum, atq; ad lectuli pedem considentes, dulci colloquio recreârunt, ac persanârunt. Piâ simplicitate dixit aliquando: *O Mater DEi, si tantum me amares, quantum ego te!* Respondit illico DEipara: *Falleris, mi Alphonse: plus ego te amo, quàm tu me.* Aliàs cum Patris cujusdam comes fuisset, ac largo sudore madidus orationi instaret: DEipara V. sudorem illi lacrymasq; abstersisse, traditur. Multa illi arcana & futura revelata; & vix quidpiam erat, quod oratione non impetraret. Merebatur has cæli gratias & solatia profundissima sui demissione, & acri mortificatione. Dirè se flagellabat, jejuniis macerabat, cibos sale non condiebat, in omnem se affligendi occasionem assiduè intentus. *DEiparæ amor*

4. Lugduni in Gallia anno 1663, P. Theophylus Raynaudus, Gallus Nicensis. Quanta

Doctrina juncta virtuti. Quanta fuerit viri eruditio, patet tum ex 19 Tomis in folio, editis de materiis diversissimis; tum ex elogiis, quibus eum honorarunt doctissimi, primæq; dignitatis Scriptores. Doctrinam tantam ornarunt non mediocria virtutum decora. Regularum religiosarum inprimis observans, cibi parcus, castimoniæ tam studiosus: ut necessaria cum mulieribus colloquia, verbis admodum paucis definiret. Vocationis suæ tenacissimus, etsi subinde nec adversa deessent, nec solicitatores, qui magna & splendida promittebant extra Societatem: datam ei fidem, omnibus aliorum promissis habuit potiorem. *Soutvell. in bibl. Soc.*

I. NOVEMBRIS.

Privilegia Societatis. 1. PAulus III Pont. Max. anno 1549 Privilegia plurima Societati largitus est ad melius regimen ejusdem & ministeria, per Constit: incip. *Licet debitum pastoralis officij &c.* Bullar. Societ.

P. Barzæus extemporaneus Orator. 2. In India cùm Chiaulenses Christianos viseret P. Gaspar Barsæus, vir sanctitatis fama & zelo Apostolico clarus; occurrit venienti cum clero populus, omissis, quos in eum festum diem adornarant, ludis cannarum & taurorum; supplicant, urgentq; , ut de sacro pulpito audiri ne gravetur. Excusat ille, quod id sine Vicarii offensa fieri non possit. Sed tumultu à populo concitato, misit ipse Vicarius, petiitq; : ut populo satisfaceret. Auditus est extemporaneus Orator, eo gustu: ut iterum audiri mereretur. Nondum finierat prandium, cùm adfuit vir primarius, qui civitatis nomine institit: ut ne gravaretur iteratò famentem populum verbo DEi reficere, quandoquidem ejus præsentiâ diu frui non liceret. Vicario assentiente, ducitur in campum apertum, cùm templum nullum caperet auditorem. Ubi excitatum pulpitum conscendit, eo verborum pondere, & affectuum ardore dixit: ut vastum illud auditorium, plorantium fletu, & misericordiam poscentium clamore, assiduè resonaret. Finita concione primores urbis flexo poplite, cum lacrymis obsecrarunt: ut S. Sebastiani templum, & annuum reditum pro fundatione Collegii admitteret. Sed festinanti ad alia de his tractare non licuit. *Bartolus Asiat. hist. lib. 5. num. 24.*

P. Riccii exequiæ. 3. Apud Sinas solemni apparatu celebratæ sunt exequiæ P. Matthæi Riccii, de quo heri. Quàmvis enim Sanctis Omnibus festus esset is dies: quia tamen Sinenses, etiam Christiani, solemnissimè, & non lugubri paratu, celebrant funera suorum; visum est magno illi Servo DEi id honoris non denegandum. Convenêre Neophyti omnes, cereis suis suffitibusque instructi ad agendam celebritatem; Missa prima de Omnibus Sanctis, qua potuit, pompa, & Musicorum concentu, cantata est: ea peractâ, Patris tumba

tumba è loco, ubi asservabatur, in ædem sacram delata, cœptumq; recitari Officium Defunctorum, cui altera Missa funebris successit, ac denique post solitos Ecclesiæ ritus, in præparato fornice Defuncti depositio, inter veras largasque Christianorum, præsertim Doctoris Pauli, unius è primariis Mandarinis, lacrymas, *Trigautius in Expedit. Sinensi lib. 5. cap. 21.*

Eodem die obierunt.

4. Ximabaræ in Japonia anno 1622, P. Petrus Paulus Navarrus, Italus, cum duobus Sociis Japonibus, Dionysio Fugixima, & Petro Onizucca, odio fidei combusti. Pro morte tam gloriosa paravit se P. Petrus præmissis Confessione generali, & Exercitiis S. Patris. Audita mortis sententiâ, Rosario è collo pendente, velut torquatus, cilicio insuper armatus, ivit ad rogum, Sociis præcinens Litanias; cecideruntq; felices victimæ Fidei & Charitatis Christianæ. *Victima fidei.*

5. Limæ in India Occidentali anno 1592, P. Joannes de Atienca, Hispanus. Inter orandum ardentius Vallisoleti, sentire sibi visus est humeris suis insidentem Indum, atq; identidem flagitantem: *Veni & juva me: Veni & juva me.* Ivit sine tergiversatione, & viriliter juvit apud Peruanos, superatis gravibus difficultatibus magno animo, prudentiæ & zelo. *Indus opem implorat.*

6. In Gallia prope Biterras anno 1629 P. Claudius à S. Columba, Gallus. Cultui Venerabilis Sacramenti impensissimè addictus, singulis propè horis illud visitabat in Sacello domestico, ibiq; etiam noctes magna ex parte ducebat insomnes. Si aliquando sacris operari non posset; Communione Spirituali, ut vocant, centies repetita per diem, damnum compensare nitebatur. Occubuit pestifera lue, quâ tactis in pago quodam operam præstitit indefessam. *Victima charitatis.*

7. Eodem in obsequio anno 1618 felicem & laboriosam animam posuit Duaci P. Gerardus Vervianus postquam bis de contagiosa morte triumphavit superstes.

II NOVEMBRIS.

1. ANno 1567 prima in Peruviam, Indiæ Occidentalis regionem, suscepta est à Societate expeditio, postulante, urgente, & sumptus omnes largè suppeditante Philippo II Rege Hispaniarum. Ante octiduum parata jam profectione, ita Oceanus insolescere cœpit, ut ab inferorum satellitibus concitari videretur ad absterrendos Evangelij præcones. Sed viros fortes, præsertim in causa pia, non terrent, sed animant, pericula. Postquam Calendis Novembribus deferbuit mare, postridie vela data mitioribus jam ventis. Prospera fuit, nec infructuosa navigatio, Sociis vectores omnes, inter quos complures regij Ministri, ad eximiam modestiam & pietatem, componentibus. *Sacchin. hist: Soc: p. 3. lib. 3. n. 265.* *Expeditio in Peruviam.*

2. Romæ anno 1578 Prælectiones Theologicas exorsus est P. Franciscus Suarez, & quidem auspicatissimè. Ipsum enim Pontificem Max. Gre- *P. Suarez inchoat Romæ Theologiam.*

gorium XIII Auditorem habere meruit primæ Lectionis suæ. Dedit id gratiæ Pontifex humanissimus, tum eminenti doctrinæ viri, quam fama secundissima longè lateq; celebrabat; tum excitandæ aliorum Auditorum aviditati. Primo aspectu visus est Suarez quibusdam famâ suâ minor; quòd annum secundum supra trigesimum nondum explésset: at ubi audiri, atq; thesauros eruditionis suæ aperire cœpit, communi suffragio superasse famam, & Pontificem auditorem meruisse, est pronunciatus. *Massejus in Vita cap. 8.*

Patres Basiliani componuntur. 3. Anno 1686 P. Carolus de Noyelle, Præpositus Generalis, literis datis ad P. Thomam Ujeyski, olim Episcopum Chijoviensem, amplas ei gratias egit, pro felici labore impenso conciliandis Patribus Ord. S. Basilij, cum Illustrissimo Russiæ Metropolita, qui compluribus annis dissidebant, nec vel Nunciorum Apostolicorum industria, nec Curiæ Romanæ authoritate componi poterant. Commissum deniq; negotium ferè desperatum Patri Thomæ: qui sua comitate, prudentiâ, & sanctimoniæ opinione ita partes circumegit: ut plenè & huic & illi fuerit satisfactum, & pax æterno decreto sancita. *Brictius in Vita cap. 41.*

Eodem die obierunt.

Mortificationi vices supplet DEus. 4. Duaci in Belgio anno 1609, P. Georgius Colibrant, Belga, affligendi sui singulariter studiosus. Modum ponere jussus tot suis mortificationibus obedienter respondit; se quidem pariturum, sed DEum vices suas acturum, & suppleturum. Nec multum fluxit temporis, cùm acerbissimis calculi doloribus cruciari cœpit. Familiare illi fuit hoc acroama: *Ad vitam æternam.* Ad hanc dirigebat, & trahebat omnia.

Victima fidei. 5. In Germania anno 1642, P. Laurentius Passokius, Silesius. Præclaræ operæ in castris Catholicis positæ insigne præmium tulit, mortem gloriosam. Cùm enim tribuni cujusdam in Lipsiensi pugna vulnerati, confessionem exciperet; ab hoste hæretico victore deprehensus, interrogatus est, quis esset? dixit, se Sacerdotem esse Catholicum. Jussus MARIAM Virginem DEiparam execrari, non tantùm renuit, sed in amplas ejus laudes erupit. Gladio igitur percussus, & glande plumbea trajectus, feliciter occubuit. In eadem acie, eodemq; opere deprehensus P. Matthæus Grameirus, Bohemus, simili nece sublatus, simili laurea donatus est.

Humilitas. 6. Granatæ in Hispania, anno 1611, P. Aloysius Ponce Hispanus, Ducis de Arcos filius. Quantùm eminuit sorte nascendi, tantùm se deprimebat spiritu solidæ humilitatis, promptus ad omnium etiam abjectissima obsequia. Rerum terrenarum usu ita se privavit: ut nihil etiam tenue, acciperet, daretq;, nisi petita priùs & obtenta facultate. Confessionalem sedem tam diligens occupabat: ut diceret, se nisi hoc titulo, non mereri panem quotidianum. A medico monitus de morte imminente, *Benedictus*, inquiebat, *DEus, qui me beneficio tanto dignatus est; ut desideratam illam horam videam, quâ moriar in ejus domo.*

III. NOVEMBRIS.

1. FEcit potentiam in brachio suo Magnus Indiarum Apostolus Xaverius, quando illud Romam vehebatur ex India anno 1614. Æquum videbatur Claudio Aquavivæ, Præposito Generali, ut non sola India gloriaretur novi Apostoli sacro Corpore, sed parte saltem aliqua illius frueretur Europa. Iussit ergo à Corpore adhuc integro & incorrupto, Goæ quiescente, præscindi Brachium, ac Romam devehi. In itinere incidit navigium quo sacra lipsana vehebantur, modicum, & non armatum (cercurum vocant) in Batavos piratas: qui prædam conspicati, harpyarum instar advolabant. Cùm non suppeteret modus evadendi, vel se defendendi, Rector Domus Probationis Goanæ, Sebastianus Gonzalez, qui sacrum pignus vehebat, arrepto Brachio Xaveriano prodit ad navis marginem, & reliquis in genua procumbentibus, mandat hostibus jam jam assultum parantibus, ne propius accedant. Mira res! illico hostilis myoparo ita stetit defixus, acsi subito gelu mare duratum fuisset. Interim cercurus feliciter evasit, attonitis hostibus, Romamq; tenuit cum thesauro suo. *Bartolus in Vita lib. 4. num. 40.*

Brachium S. Xaverij vehitur.

2. Duacenum in Belgio Collegium exemit S. Pius V. anno 1568 ab omni Universitatis Duaci existentis jurisdictione. Cum enim Lectiones Scholasticæ jam inchoandæ essent, & Illustrissimi hospites invitati essent, misit ad Collegiũ Magistratus Academicus, inhibendo; ne quid tentarent nostri: si Scholas aperire vellent, debere ipsos primùm Academiæ juramentum præstare, seu incorporari eidem. Composita res est ad tempus, donec Româ venirent responsa, permissumq;, ut scholæ inchoarentur. Interim S. Pontifex interposuit authoritatem suam, & missis ad Academiam literis, hac die datis, decrevit declaravitq;: ut Collegium cùm omnibus Studiosis suis, exemptum esset à jurisdictione Academiæ, & secundùm Institutum suum liberè doceret juventutem. *Sacchin. hist. Soc. p. 3. lib. 4. n. 208.*

Exemptio Scholarum Duacenarum.

3. Decreto 8 Congregationis Generalis XIV statutum est: ut quotannis per universam Societatem celebraretur Commemoratio omnium in Societate defunctorum, eo die, qui à Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum primus occurreret non impeditus; Sacerdotes omnes sacrum facerent paratu nigro; cæteri verò Coronam, seu tertiam Rosarij partem recitarent pro ijsdem Defunctis in Societate.

Commemoratio defunctorum.

Eodem die obierunt.

4. Eboræ in Lusitania anno 1608, P. Antonius Pinas Lusitanus. Nimium gracilis cùm esset corpore, & à medicis vix tribus aut quatuor annis victurus diceretur: ad Societatem admissus non est. At ille medicis in faciem resistens, Ego, inquiebat, & in Societate vivam, & vobis omnibus superstes ero: quod & evenit. Ter se ad obsequia pestiferorum exposuit, subiitq; labores gravissimos, victor. Fratris germani literas ita, ut venerant, obsignatas, per tres annos in cubiculo habuit, iis pro atramentario tegendo usus.

Victor in lue.

5. Hispali in Hispania anno 1609, P. Melchior de Saniuan, Hispanus. E tyrocinio suis reddi debuit, ut furentem parentem, virum nobilem, compesceret: at ille voto concepto se obligavit ad redeundum; id quod præstitit. Gubernationi Collegiorum & Provinciarum maximam ætatis partem impendit, eo memorabilis, quod mira suavitate acerrimus esset religiosæ disciplinæ vindex. Quotidie diem claudebat mortis imminentis memoriâ & meditatione.

Severitas suavitate mixta.

6. Ingolstadii in Germania, anno 1634 Michaël Alber, Germanus, Coadjutor. Strenuus in obsequio pestiferorum, invidenda morte occubuit, post amissos in eodem obsequio Socios quatuor: inter quos laudatur zelus Patris Thomæ Resch; quòd intra 13 annorum spatium, recensuerit ad centum & undecim millia capitum, quæ pro sacro pœnitentiæ tribunali à noxis suis absolvit.

Victima charitatis.

IV. NOVEMBRIS.

S. Caroli Borromæi affectus erga Societatem.

1. FEstum S. Caroli Borromæi Card. & Archiepiscopi Mediolanensis, ob oculos nobis ponit ejusdem singularem, munificam & constantem benevolentiam erga Societatem. Cùm sacris Ordinibus initiatus, se ad primam hostiam DEO offerendam præpararet; adiit domum Professam Romanam, in qua Sacris S. Ignatij Exercitijs excultus est. Post celebratum primum Missæ Sacrificium, secundum obtulit in Saccello ejusdem domûs, quo S. Pater usus est. Cùm ad sanctiorem vitam aspiraret, elegit pro directore P. Joannem Bapt. Riberam, cujus ductu maximis passibus ad culmen perfectionis tendebat. Primis Sacerdotij sui annis quolibet anno, postea bis in annos singulos, animum excolebat Exercitijs S. Ignatij, semper adhibito è Societate directore aliquo; imò alios quoq;, quos poterat, inducebat ad eadem absolvenda; specialiter Clericos Seminarii sui singulos iisdem exerceri curabat, tum in ipso ad illud ingressu, tum ante susceptionem sacrorum Ordinum; concinnavitq; pro illis habitaculum multis distinctum cellis, cui titulum inscripsit, *Asceterion.* Quotiescunq; iter suscipiebat, adesse sibi voluit comitem è Societate, ac vespere ab eo proponi puncta Meditationis. Confessario ordinariè utebatur Patre Adorno, quem ita reverebatur: ut transiens cubiculum ejus, caput reverenter in-

clinaret, Mediolani Collegium & domum Professam fundavit, Domum Probationis Aronæ: præterea author fuit, ut in Helvetia duo fundarentur Collegia, Lucernense & Friburgense. Nec mori voluit sine assistente sibi P. Adorno; cui post mortem gloriosus apparuit, prædixitq; , brevi secuturum. *Lancicius tom. 2. Opusc. 17. cap. 3. Nadasi in Anno dier. Memor 13 Jan. de P. Francisco Adorno.*

2. S. Franciscus Xaverius anno 1549 epistolam dedit ad Socios Goanos, in qua illos monet inprimis, ut in defectu Concionatorum studeant populum ædificare probæ vitæ exemplis. *Boni*, inquit, *apud improbos vitæ exemplo assiduè concionantur, atq; adeò plus, quàm concionatores è suggestu sæpe proficiunt; cùm longè plus momenti ad permovendum, sit in factis, quàm in dictis.* Deinde obnixè commendat, ut sui ipsorum curam habeant. *Magnopere hortor: ut vobis ipsi, quod caput est, primùm attendatis. Qui enim sibi nequam est, cui bonus erit? Quomodo alios curare potest, qui se ipsum negligit? Quomodo attentus ac diligens erit in rebus alienis, qui est dissolutus in suis &c? Epist. Veter. lib. 3. ep. 6.* *Epistola S. Xaverij ad Socios Goanos.*

Eodem die obierunt.

3. Ulyssiponæ in Lusitania, anno 1599, P. Petrus de Fonseca, Lusitanus, magnum Societatis in Lusitania columen, tum ob religiosam prudentiam ac sanctimoniam, tum ob doctrinam & libros editos; tum ob res gestas, sive à privato, sive à Rectore Conimbricensi, Præposito Ulyssiponensi, Assistente Romano. Philippus II Hispaniæ rex maximis quibusdam negotiis ipsum adesse voluit. Domos Orphanorum & Catechumenorum, Seminarium quoq; Hibernorum, sua industriâ erexit. Domum Conversarum inchoavit, Xenodochia stabilivit, Fratres B. Joannis DEi in Lusitaniam evocavit; & plura alia bono publico indefessus instituit. Miræ fuit modestiæ in opinione sua submittenda sententiæ alienæ; miræ efficacitatis in tranquillandis mentibus perturbatis; miræ tranquillitatis in rebus turbidis & afflictis. Si à quopiam offensus fuisset: *Ego verò* ajebat, *bene illi faciam, velit, nolit.* Omnis ejus vitæ series instar horologii fuit: ita omnia ejus negotia in horas suas scitè distributa erant. *P. Fonseca encomia.*

4. In Japonia anno 1614, P. Jacobus de Mesquita, Lusitanus, quam annis 48. magno labore excoluit. Tres Japonicorum Principum Oratores ad Obedientiam Gregorio XIII. Pont. Max. deferendam, deduxit in Europam. Redux in Japoniam, cùm gravissima persecutio misceret omnia, è regno proscriptus, exul ærumnis confectus, in tenui piscatoris casa contabuit. *Exul ob fidem.*

5. Syracusis in Sicilia anno 1621, Michaël Florius, Coadjutor, Italus. Quamvis eleganti quem diuturno labore excoluerat, præesset horto; nullum illius fructum delibavit unquam. Ad extremam usque senectam, vesperi ad sanguinem usq; se cædebat quotidie. Sub agonem ipsius comparuit ad portam Collegii homo ignotus, qui compluribus accensis facibus, eam ædium partem, in qua Michaël moriebatur, miro lumine illustravit. *Mors gloriosa.*

Eleemosyna lucrosa. 1. S. Xaverius è Japonia epistolam dedit anno 1549 ad Petrum de Sylva, Præfectum Malacensem, qua inter cætera commendat ei Japones pauperes, qui jam sunt, ac futuri sunt Christiani. Utitur autem ingenioso conceptu à lucrosa Lusitanorum negotiatione ducto. Quodsi, inquit, tantum mihi fidei tribueres, ut sumere me sineres officium tui in his locis Procuratoris; spondere ausim, effecturum me: ut quamcunq; mihi commiseris pecuniam, eam tibi plus quàm centuplicato fœnore repræsentem; idque lucro à periculis itinerum & naufragiorum planè securo. Scire aves, quod hoc sit genus compendiosissimæ nundinationis? Missis ambagibus, dicam. Induc, sodes, in animum, largiri nobis, quod dividamus egentibus harum terrarum Christianis, qui modò sunt, & qui mox fient. Hujus sic collocatæ sortis, spondeo, fidejussore Christo, plus quàm centuplum in cælo tibi reddendum &c. *Epistol. Veter. lib. 5, ep. 15.*

Sodalitas impia conversa. 2. Anno 1561 expediti à Pio IV in Ægyptum ad Cophtorum Patriarcham, Alexandriam tenuerunt PP. Christophorus Rodericius, & Baptista Elianus. In itinere cùm Christianos, qui eadem navi vehebantur, ad normam probi Christiani facile composuissent, non parum negotii habuerunt, in dissolvenda prava quadam Sodalitate, quam inierant inter se decem nobiles juvenes. Creabatur singulis hebdomadis Præfectus, cui ceteri parerent; leges sibi condiderant, quarum transgressores certâ pecuniâ mulctabantur; omnia autem Bacchum & Venerem spirabant. Effecerunt tamen Patres, præsertim orationibus ad DEum fusis; ut improba illa Sodalitas in sanctam converteretur. Sensim enim pudere cœpit petulantes illos insolentiæ suæ, videntes, etiam vilissimos alios ad omnem probitatem in eadem navi compositos. Ergo tandem decreverunt mutare stylum, oppositasq; sibi scribere leges. Qui obscœnum verbum proferret, aut jurare audiretur, qui statutas preces negligeret &c. mulctam penderet. Factum deniq; ut electus Præfectus omnibus imponeret mandatum de noxis suis per confessionem Sacramentalem expiandis. Et sic insolens illa de grege Epicuri decuria, in sanctam versa est cum omnium admiratione Sodalitatem. *Sacchin. hist. Soc. p. 2. lib. 5. n. 135 & seqq.*

Fuldæ tumultus in nostros. 3. Fuldæ in Germania anno 1573 gravissima concitata est ab hæreticis Nobilibus, & quibusdam insolentioribus Ecclesiasticis, in Nostros tempestas. Citati sunt hodie ad Concilium, quod ipsi conflarunt. Sed Abbas, civitatis Dominus & Rom. Imperii Princeps, vetuit illud adire, suamq;

prote-

protectionem cumulatè promisit & præstitit. *Sacchinus hist. Soc. p. 4. lib. 1. n. 91.*

Eodem die obierunt.

4. Xaoceæ apud Sinas anno 1593, P. Franciscus de Petris, Italus. Magno labore, nec minore periculo, rem Christianam promovit apud Sinenses. Coadjutori, in Vocatione sua firmando, dixit: se ad Societatem à DEipara V. invitatum disertis verbis: *Ingredere Fili mei Societatem, & in ea vocatione persevera.* Mortis suæ tempus non semel ex vero prædixit Leni febricula tentatus accersiuit P. Riccium; quem arctissimè complectens, Vale, inquit, mi Pater, Deus me vocat paucisq; post horis expiravit. *Iuvencius l. 19 part 5* *Vocatio ad Societatem.*

5. Limæ in India Occidentali, anno 1613, P. Stephanus Paez, Hispanus. Ad animarum salutem in illis partibus efficaciùs procurandam, usus est cultu & ope singulari DEiparæ V. Cujus Sabbata, panis & aquæ levamento contentus, transigebat. Ad perfectionem religiosam, per heroicas de se relatas victorias contendebat. Mortui corpus cùm ad templum deferretur, visus est S. Ignatius ab ara maxima illi obviàm ire, & P. Stephanum summa gratulatione excipere

6. Vallisoleti in Hisp. anno 1642, P. Ludovicus de Valdivia, Hispanus. Postquam in Americam se transtulit, primùm in Provincia Peruana insignem Novitiorum Magistrum, & post triennium Theologiæ Professorem egit. Deinde ad fundandam Provinciam Chilensem translatus, multa pro Indis passus est, & egit contra quosdam violentos illorum oppressores. Denique ut Regem ipsum certiùs informaret de misero illarum gentium statu: in Hispaniam remigravit. Rex agnita hominis prudentia & dexteritate, infulas ei Episcopales obtulit: sed repulsam passus, institit: ut Regii Visitatoris munus in illis regionibus admitteret, regiâque suprema authoritate statueret: quidquid ad pacificandos populos illos, & promovendam religionem adverteret necessarium. Accedente Præpositi Generalis Claudii assensu, munus, arduum sanè, admisit Valdivia, Oceanum remensus est, auctoritate Regia universam provinciam inspexit, supra decem Indorum millia iniqua servitute exemit, Hispanorum quorundam violentiam coërcuit; rebusque ex sententia, & commodo Religionis, compositis, repetiit Hispaniam, ut Regem de gestis informaret. Qui probatâ Patris operâ, iterum illi dignitates varias obtrusit; sed quas Valdivia longè post humilitatem religiosam habuit. *Soutvell. in bibl. Soc* *Visitator regius*

7. In Perside anno 1660, P. Alexander de Rhodes, Gallus. Primus cum uno Socio lumen Evangelii intulit in regnum Tunchin, Sinis finitimum, spatioque annorum trium supra quinq; hominum millia Christo subjecit, inter quos non pauci Mandarini aliiq; è prima Nobilitate. Cùm à rege juberetur regno exesse: ita per idoneos Catechistas rem Christianam promovit: ut intra triennium numerus fidelium creverit ad 30 millia. Simili felicitate fidem propagavit in Cocincina: verùm & inde ejectus, rediit in Europam, conscriptisque Sociis migravit in Persidem, ubi post annorum aliquot gloriosos labores, adiit iter Æternitatis, quievitq; in Domino. *Soutvell. in bibl. Soc.* *Conversio multorum.*

Fuldæ tumultus augetur, & sedatur.

1. CUm Fuldæ ad datam heri citationem non comparuissent nostri: hodie ab iisdem hæreticis nobilibus, & insolentibus Ecclesiasticis, lata est sententia proscriptionis: ut intra decimum quartum diem Fuldâ excederent; si cunctentur, se validiore brachio adacturos. Quò cùm progressam rem videret Abbas optimus: ad opem Cæsaris confugit, mirâq; facilitate ac celeritate, præter opinionem omnium impetravit mandatum: ne quis vel Abbatem, vel Catholicos, ac nominatim, ne quis quempiam è Societate læderet. Quo promulgato, quies nonnulla rediit: atq; Abbas rem ad meliorem statum reducere conatus est. *Sacchin. hist. Soc. lib. 1. part. 4. num. 91. & 92.*

Duacum revocantur nostri

2. Duacena quoq; tempestas, ab hæreticorum furore concitata, detonuit. Senatus furentis plebeculæ plebiscitum rescidit, & honorifico edito decreto, Societatem summis ornatam laudibus, ne redire gravaretur, orabat, missis à Senatu & Academia Legatis Stapletonio & Ferrario. Ita quindecimo ab excessu die ad pristinas sedes & labores redierunt Socii, eò civitati cariores, quò majore temeritate fuerant ejecti. *Idem ibid. n. 146.*

Card. Bullionius absolvit exercitia.

3. Romæ anno 1699 Eminent: Cardinalis Bullionius, Societatis amantissimus & amicissimus, ad Domum Probationis Tyronum nostrorum se recepit, spiritualibus S. P. N. Exercitiis novem dierum spatio vacaturus: ut se pararet imminenti solemnitati & muneri; aperiendæ scilicet Portæ Sanctæ pro Anno Sancto Jubilæi Magni. Quod munus Pontifex ipse obire consuevit: sed Innocentium XII adversa valetudo impedivit.

Ericus à Lotharingia non obtinet aditū ad Societatem

4. Hac die anno 1601 Card. Bellarminus literas dedit ad Ericum à Lotharingia Episcopum & Comitem Virodunensem, qui per Bellarminum admissionem ad Societatem impetraturum se speravit, quam à Pontifice maximo & Aquaviva impetrare non potuerat. Honorum ille lucem fugiens, delegerat Societatem, ubi delitescere tutò posset, in qua scilicet præclusum, interposita voti religione, sacris dignitatibus aditum noverat Romamq; contendebat anno 1596 in comitatu 20 adolescentium nobilium pari desiderio æstuantium, ut peteret à summo Pontifice veniam pedi pastoralis deponendi. Etsi autem iter ingressus erat dissimulato consilio, latere tamen omnino non potuit: ac Mussipontani collegii rector illud subodoratus, ad Claudium Aquavivam scripserat, quanti interesset publicæ rei, ut vir tantus Ecclesiæ sibi commissæ gubernacula non abjiceret. Monitus à Præposito Generali Pontifex, Ericum in statione jussit consistere

re, Gravior Aquavivam de illius comitibus angebat solicitudo. Profugerant è Gallia, genere omnes & pietate clari, sed insciis plerịq; invitisq; parentibus. Satiùs igitur duxit, ut illorum bona pars cum Erico rediret in patriam. Quinos Romanis tyronibus addidit; alios remissos ad Virodunensis Probationis domicilium, non nullos in aliud tempus distulit, molestiam & turbas ab eorum parentibus orituras reformidans. Quod Ericus nec per Bellarminum obtinere potuit, hoc ejus consangvineus adeptus Carolus à Lotharingia, qui Societatem amplexus anno 1622, dignum se Ignatio alumnum præbuit. *Juvencius fol. 907*,

Eodem die obierunt,

5. In Syria anno 1653, P. Joannes Amieu, Gallus. Per annos 18, multum laboris impendit Missionibus illis. Alepi Sodalitia duo Maronitarum erexit, tertium Armenorum; Francorum cœtum restituit. Missionem Damascenam ac Tripolitanam instituit; Sidoniam stabilivit, ibiq; Francorum Sodalitium posuit, multa perpessus. Familias integras tum à Mahumete, tum à Græco schismate abduxit. Maroniticam tempestatem prudenter tranquillavit, & pro Romano Maronitarum Collegio utiliter laboravit, Vir Apostolicus, & rebus magnis agendis omnino idoneus. *Sodalitia fundata*,

6 Limæ in Peruvio anno 1614, Alphonsus Oyandus, Novitius, Hispanus, Virginitatis florem ut non solùm integrum, sed undequaq; nitidum & vigentem conservaret; multa & acri mortificatione corpus atterebat, cilicijs asperrimis undequaq; contectum, & flagris laceratum. Per DEiparam V. insigni orationis dono excelluit, ejusq; sola cogitatione dulcissimis diffluebat lacrymis, Illi offerebat, quidquid ageret; totusq; in id incumbebat, ut digna tali Reginâ offerret. In nullam legem nostram peccare visus est, nec unquam verbum otiosum loqui auditus *Virginitatis flos*,

7. Madriti in Hisp. anno 1669 P. Joannes Antonius Velasquez, Hispanus, Postquam Collegia Monfortense, Segobiense, Abulense, Methymnense, Vallisoletanum, Salmanticense, totamq; provinciam cum laude gubernavit: Madritum evocatus à rege Philippo IV, constitutus est Consultor Congregationis ibidem erectæ, de Immac: Conceptione DEiparæ V. tuenda: quo in munere per annos aliquot egregiè versatus est, editis etiam duobus Tomis in fol. de eadem Concept. Immac: ac tertio de MARIA Advocata, Alios 3 eruditos Tomos edidit in Psalmos, & Epistolam S. Pauli ad Philipp. septimum de Augustissimo Eucharistiæ Sacramento. Prudentia, eruditione & virtute viri captus rex prædictus, imposuit eidem: ut semel singulis hebdomadis secretò se accederet, admoneretque; si quid pro bona regni administratione desideraretur: at ille non minùs humilis, quàm sapiens, negavit homini è Societate id muneris convenire. *Soutvell. in bibl. Soc*, *Defensor Immac. Conceptionis*,

VII. NOVEMBRIS,

1. DIdacus Alvarez, ex sacro Prædicatorum Ordine, anno 1596 Romam venit, acturus totis viribus contra librum Molinæ de Concordia liberi arbitrii cum auxiliis gratiæ, Convenit sine mora Cardinalem Ale- *Controversia de auxilijs gratia*.

xandrinum, Protectorem Ordinis sui, ex eodem assumptum ad Senatum Patrum Purpuratorum, ejusque patrocinium in negotio gravissimo imploravit. Ex parte Societatis, ubi intellexit Claudius Aquaviva Præpositus Generalis, Controversiam ex Hispania trahi Romam: omnes omnium Provinciarum Ordinis sui superiores Doctoresq; per literas consuluit: an istud certamen totius Societatis nomine esset suscipiendum? Ad quod mirâ concordiâ, ac velut ore uno responsum ab omnibus est in hanc sententiam. In libro P. Molinæ nihil apparere, quod acriorem mereatur censuram; ideoq; abdicandum vel destituendum non esse justa defensione. Cæterùm videri satis fore, si Provincia ipsius, tutelam libri suscipiat, agatq; causam illius. Quod attinet ad doctrinam de Efficacia Auxiliorum Gratiæ: cùm per totam Societatem & in omnibus ejus scholis rejiciatur sententia Prædeterminantium physicè voluntatem humanam; de hac Controversia suscipi posse certamen nomine totius Societatis. Claudius his acceptis responsis, admiratus tam diversarum mentium in unam sententiam, sine mutua communicatione conspirationem, constituit: ab hoc unanimi consilio non discedere. Sed adversariis placuit, non totam concitare & impugnare Societatem; satis gloriosam arbitrati reportaturos se victoriam; si Molinam debellâssent. *Eleuther. hist. Auxil. Grat. lib. 3. cap. 1.*

Eodem die obierunt.

2. Genuæ in Italia, anno 1657, P. Augustinus Centurionius, Italus. Post Rempublicam Genuensem, cui Dux præfuit, magna cum laude administratam, gravissimisque aliis negotiis in variis ad reges legationibus perfunctus, in Societatem se recepit Septuagenario major. Malebat in eam vineam vel undecimâ horâ venire, quàm non venire. Adhuc sæcularis, cùm Ducis munus gereret, quotidie Pane Angelico vescebatur: ut inde robur gratiamque traheret ad illud rectè administrandum. Securiùs tamen esse judicabat in Religione quàm sæculo mori. Tota ejus familia religiosa dici potest: cùm & pater illius, & mater, fratres, sorores, filii, filiæ, variis religiosis ordinibus sese addixerint, raro exemplo. Vixit in Societate non toto biennio, sed virtute cœlo matura.

Familia religiosa.

3. Messanæ in Sicilia, anno 1622, P. Cæsar Cossus, Italus. Somno quatuor tantum horas, reliquum orationi dabat. Diebus 15 ante festum Assumptionis DEiparæ V. totidemque ante festum S. Michaëlis jejunabat. Nunquam extra consueta tempora, etiam in summis caloribus bibit, nunquam ullis cibis oleum salémve adhibuit; sabbatis nihil cocti cibi admisit. Pro meritorum augmento in supremo senio biennem cœcitatem non minùs alacriter quàm fortiter tulit.

Abstinentia.

4. In Bœtica anno 1621, Joannes de Aguilar, Coadjutor, Hispanus. Maluit in Societate Coadjutorem temporalem, quàm in celebri alio Ordine, ad quem invitabatur.

batur, Sacerdotem agere. Procuratorem ruralem per annos 30 non minus religiosum, quàm laboriosum egit. Duas horas, antequam alii surgerent, in oratione posuerat. Modico pane contentus, ipse agrum colebat, ipse seminabat, & granum excutiebat: vespere non priùs cibum sumebat, quàm recitato DEiparæ V. rosario. Domum à laboribus redux non refectionem quærebat, sed jejunia stringebat; ubique sui domitor severus.

Procurator insignis.

VIII. NOVEMBRIS.

1. S. P. N. Ignatius anno 1607 insigni miraculo sanavit eximium quendam virum è sacra D. Dominici Familia, P. Alvarum de Molina, definitorem, & aliis gestis officiis clarum. Jacuit in America Limæ, octo annorum paralyticus, ut nec pedem, nec manum, nec linguam in voces articulatas movere posset; neq; ullum restabat humanum remedium. Contigit: ut P. Jacobus de Oheda, ejusdem Ordinis Theologiæ Professor, Societatis & S. Ignatii amantissimus, ægroto offerret legendam Vitam S. Ignatii à Ribadeneira scriptam compendio. Inter legendum sensit æger singularem erga Sanctum in se crescere fiduciam, quæ eò evasit: ut ipso die Sanctorum Omnium voto concepto, de ipsius festo quotannis prævio jejunio, & aliis quibusdam pietatis exercitiis celebrando, se ipsius intercessioni humiliter commendârit ad impetrandam sanitatem. Iterabat hæc pia desideria & preces per totam octavam: cùm sub vesperum interiori jussu subitò moneri se sentit: *Surge & ambula*; cui voci comes impetus quidam animi adfuit, quo excitabatur ad exiliendum è sedili, in quo collocatus fuerat. Surgit ergo, stat super pedes suos, format gressus, denique fidenter confert se ad locum, quò Patres convenerant ad publicam Theologicarum Thesium propugnationem. Improvisus hospes quanto stupore defixerit omnes, vix credibile est: postquam autem ordine narravit omnia, quomodo per S. Ignatium sit sanatus: omnes, stupore in gaudium converso, intermissa disputatione, ad agendas DEo gratias, hymnum Eucharisticum, *Te DEum &c.* Solemniter decantarunt. Inde Patribus nostris, rem ut gesta erat, nunciant, quam & instrumento legitimo, authoritateq; juridica consignârunt. Audito hoc miraculo, Christophorus Mesa, Societatis adhuc tyro, ad viam in domum æternitatis jam comparatus, ubi didicit; nostros convenire pro gratiis DEo agendis ob sanitatem Patri Prædicatori per S. Ignatium concessa, petiit à DEo; liceret sibi surgere, & cum Sociis hymnum Eucharisticum absolvere. Obtinuit petitum, & exinde consanescens, integræ restitutus est valetudini. *Bartol. in Vita S. Ign. lib. 5. n. 10.*

S. Ignatii ope paralyticus sanatus.

Item tyro Societatis.

Eodem die obierunt.

Homo lingua aliarum creaturarum.

2. Romæ anno 1612, P. Bernardinus Piccius, Italus. Severus in se ipsum, corpori negabat, quidquid bonâ conscientiâ poterat; infligebat pœnas, quas poterat. In laude divina assiduus, dicebat, Hominem esse linguam aliarum creaturarum; ideoque debere illum etiam harum vice laudare DEum. Si quando per valetudinem sacro operari non posset: Coronam B. V. recitabat, & mox vires sufficientes impetrabat. Fœminæ optanti lacrymarum donum, author fuit: ut B. V. lacrymas meditaretur, & Filio offerret. Fecit illa, & impetravit. Inter orandum, aliquando visus est P. Bernardinus in aërem sublevatus, & cælesti concentu recreatus.

Victima charitatis.

3. Gandavi in Belgio, anno 1634, P. Nicolaus Iamot, Belga, Philosophiâ cum laude traditâ, ad pretiosiorem lauream aspirans, Gandavi pestiferorum obsequio se tradidit: ubi juvenem è domo ejectum, Sacramentis munitum, in humeros sublatum, viâ longissimâ ad Nosocomium deportavit: ac post heroicos alios labores nobili morte honoratus est.

Tumulus sponte apertus.

4. Trajecti in Belgio anno 1571 P. Henricus Dionysius, Belga, vir in scholis & pulpito sacro præstans in docendo, disputando & movendo. Inter alios zeli sui fructus habuit Nicolaum Stratium, Decanum Trajectensem: quem à vita liberiore ad formam Evangelicam adduxerat. Ut animum gratum Magistro suo testaretur Decanus, testamento cavit: ut eodem, quo P. Henricus, tumulo conderetur. Mira res! Biennio post, ea ipsa, qua Decanus moriebatur, nocte, P. Henrici tumulus occulta virtute apertus est, ut mortuum Decanum reciperet, quiescerentq; simul corpora, quorum animus fuerat unus. Puellæ, à nativitate mutæ, quæ ægro P. Henrico lac caprinum afferre consueverat, post mortem dicitur apparuisse, ac miseræ opem tulisse.

IX. NOVEMBRIS.

P. Julius Mancinellus venit in Turciam.

1. P. Julius Mancinellus, postquam in Missione Ragusæa, in Dalmatia, egregie per biennium laboravit, fructu amplissimo; rogatu Regis Christianissimi, & Venetæ Reip. jussus est à Gregorio XIII Pontifice ad partes Turcicas operam suam transferre. Anno igitur 1583 cum Sociis quatuor Constantinopolim attigit heri; mox Galatam, seu Peram (quod est oppidum urbi Constantinopolitanæ proximum & oppositum in altero sinus marini litore) concessit, ad auspicandam ibi perpetuam Societatis Missionem, quam Sixtus V. firmavit, & etiamnum ibi perdurat. Ibi non tam Turcis convertendis, quod periculosissimum, quàm Christianis excolendis, & apostatis ad Ecclesiam reducendis, operam impendunt Socii. Exceptus est Mancinellus cum Sociis singulari benevolentia à Consulibus Gallicæ ac Venetæ nationis; consignatumque illis est ex voluntate Pontificis vacuum cœnobium S. Benedicti cum templo: ubi muniis Societatis insistentes, proximorum saluti sese impenderunt. *Sacchin. hist. Soc. p. 5. lib. 3. num. 23. Tanner. in Soc. Apost. Imit.*

Eodem

Eodem die obierunt.

2. Madriti in Hispania anno 1656, P. Joannes de Guadarrama, Hispanus. Quamvis ingenio & eruditione excelleret; Grammaticâ tamen solâ docendâ occupari voluit; & quibus potuit vijs, Professionem 4 Votorum fugit. Catenam latam plenam ferreis aculeis diu noctuq; gestabat, etiam in morbo & arduis Missionibus, quas pedibus, sine viatico obibat: adjiciebatq; quotidie flagellationem sui cruentam per horæ dimidium. Integras horas orabat, expansis in modum crucis brachijs, vel prostratus in terram; miro interim odore sæpe fragrans. Cùm æger siti arderet, cuidam aquam offerenti respondit: *Non; quia est contra regulam, & volo esse fidelis DEO etiam in minimo.* Cardinalis Toletanus eum tanti faciebat: ut iis, qui illi confiterentur, 80 dies indulgentiarum concesserit. *Humilitas.* *Observantia regularum.*

3. Conimbricæ in Lusitania, anno 1553, Alphonsus Vasius, Scholasticus, Lusitanus. Præcipuo studio intentus erat, ut coram DEo versaretur, ubique; jamq; usu ipso rem sibi facilem reddiderat. Christum reverebatur in Superiore, Apostolos in Patribus, in aliis alios Christi discipulos. Horæ plures illi oranti, & lacrymis manantì, suaviter fluebant. Per quinq; menses lecto affixus, nullo die omisit matutinæ orationis horam, vesperi aliâ quoq; adjectâ, præter duplex Examen. Sic religiosè occupatus, quievit in Domino. *Præsentia Dei.*

4. Caleti in Gallia anno 1606 Remigius Croisius Belga. Cùm enim post captum ab Hispanis Caletum, urbem Galliæ maritimam, oratu Præfecti eò missi essent nonnulli è nostris, qui civibus & præsidio, contagiosa lue laborantibus, auxilio essent: Frater Remigius, dum nulli parcit labori, prædictâ mortis horâ, gloriosè occubuit. *Victima charitatis.*

X. NOVEMBRIS.

1. EPistolam dedit S. Xaverius ad P. Franciscum Mansillam, in India laborantem, ac tædiosum ob fructûs parcitatem. Excitat ergo & solatur illum, commendatq; plurimùm etiam refractarios. Summopere, inquit, te oro atq; obsecro, Frater charissime: ut erga istam nationem benevolentiam & charitatem præteferas non vulgarem; teq; vicissim diligi ab omnibus, & amari velis. Sic enim habeto: si ab eis diligaris, fore, ut istorum animos flectas, quocunq; libitum fuerit. Itaq; eorum imbecillitatem infirmitatemq; moderatè ac sapienter feres; atq; illud tecum animo reputabis: si minùs tales nunc sint, quales esse velis, certè aliquando futuros. Quodsi quidquid velles, nequiveris ab illis impetrare: accipies, quod datur; quod idem me facere solitum non ignoras. Hoc autem erga illos animo eris, ut talem eis te præbeas, qualem bonus pater improbis filiis: ut nunqnam eis consulere desinas, quamvis cernas, multis eos vitiis coopertos &c. *Epist. Veter. lib. 1. ep. 7.* *S. Xaverij monita.*

2. Romæ habita est anno 1603 coram Clemente VIII Congregatio & disputatio 20 de Auxiliis Gratiæ; propositumq; : *An omnia quæ Moli-*

na

Disputatio de auxiliis gratiæ. *na docet circa actus omnes, qui elici possunt à libero arbitrio, simul cum his, quæ de lege dixit, ea omnia dicat & asserat in ordine ad affectum Justificationis? Et an ex his, quæ de libero arbitrio & lege affirmat, resultet immediata ac proxima, vel remota præparatio ad justificationem & gratiam?* Pro Molina respondit P. Ferdinandus Bastida, ostenditq; manifestè, neutrum doceri à Molina.

Testimonium pro doctrina Molinæ. 3. Anno 1601 egregiam pro Molina dedit Epistolam hac die Academia Complutensis: quam cùm Doctor Petrus Michaël, Academiæ Procurator Clementi VIII consignaret in manus, respondit Pontifex: Non deesse, qui dicerent, Censuram illam, non fuisse è sensu Magistrorum Complutensium, sed compositam & dictatam à Patribus Societatis. Doctor ergo prædictus cùm Doctores Complutenses de hoc dicto certiores fecisset: dederunt illi anno sequente 5 Aprilis aliam Epistolam, sanctè contestantes: omnino suam esse Censuram illam, datam ad requisitionem Sacræ Inquisitionis. *Eleuth. hist. Auxil. lib. 4. cap. 35.*

P. Sfortia Pallavicinus Card. 4. Anno 1659 ab Alexandro VII Pont. Max. solemniter in Sacrum Purpuratorum Ecclesiæ Patrum Senatum relatus est P. Sfortia Pallavicinus; quam tamen dignitatem constanter recusavit, donec Præcepto Obedientiæ Sanctæ adigeretur. *Soutvellus in bibl. Soc.*

Eodem die obierunt.

5. Camberii in Gallia, anno 1623, P. Antonius Suffren, Gallus. Post domicilia & Provincias cum laude gubernatas, cùm in gravem morbum incidisset, & preces pro eo indictæ essent; cuidam Fratri Coadjutori impensiùs oranti, facta adspectabilis DEipara V. dixit; P. Antonium eo morbo non moriturum: & convaluit. Cùm autem aliquot pòst annis, P. Joannes Suffren ejus frater editis præclaris spiritualibus libris clarus, periculoso morbo conflictaretur: P. Antonius inter sacrificandum, DEo caput suum devovit pro illo in vita retinendo, tanquam utiliore. Ab ara redux, illico febri, quæ ei fatalis fuit, correptus est; P. Joannes convaluit. *Charitas fraterna.*

Amator DEiparæ. 6. Antverpiæ in Belgio, anno 1626, P. Guilielmus de Pretere, Belga, DEiparæ V. amori & honori toto corde ac animo addictus, per annos 20 tria ejus Sodalitia accuratissimè gubernavit, quibus quartum deinde addidit. Dictitabat: se honori Mariano propagando esse paratum longissimè vivere, dilata beatâ æternitate. Multos, etiam primæ notæ, ad fidem orthodoxam, & varios Ordines religiosos, perduxit serviens animabus indefessè in quavis occasione etiam cum capitis periculo præsente.

7. Florentiæ in Italia, anno 1630, P. Marcellinus Albergottus, Italus. Meditatus de peccatis venialibus, cùm videret, ea omnia in hac vitâ vitari non posse, fervida moriendi cupidine accensus, petiit; ut peste afflatis servire, adeoq; finem peccandi facere, posset. Impetravit utrumq;, illud à Superioribus, hoc à DEo. Cùm

Florentino Collegio præesset Rector, rogatus à P. Ministro, quid in rebus angustis capiendum esset consilii? Respondit: Subsidium quærendum esse in Oratorio. Quæsivit Minister in armariolo oratorii: sed nihil invenit. Ubi autem occurrit, Patrem Rectorem videri intelligendum de oratione ad DEum fundenda; instituta hæc est ferventer coram Ven: Sacramento; & postridie lautum auxilium ex insperato allatum est Collegio.

Subsidium in Oratorio.

XI. NOVEMBRIS.

1. Collegium Methymnæ Campi in Hispania, anno 1552 insigni vexatione exercitum est. Abbas loci, & Vicarius idem Episcopi, nescitur qua de causa, ipsa D. Martino sacra luce, per tabellionem edixit; ne nostri Confessionibus, concionibusq; operam darent: priusquam de vita doctrinaq; ipsorum cognosceretur. Nova res & insolens visa Patribus; ut qui Abbate ipso nec inscio, nec invito fungi munijs suis cœpissent, imò & literas Apostolicas, & Privilegia inspicienda dedissent. Protinus ergo Rector Collegii, cum uno è Patribus Doctore, Abbatem conveniunt, exploraturi, quid maleficii in Sociis notasset. At ille, simul ac in conspectum venerunt, ignominiosissimis verbis illos proscindere, ut seductores, latrones, &c. parumq; abfuit, quin baculo, quem manu gerebat, pulsatos abigeret; abripi tamen in vincula & carceres jussit; nec nisi urgentibus summis amicorum precibus, sub noctem dimisit, insigni dato specimine; quo passiones hominem abripiunt, si non domentur maturè. *Orlandin. hist. Soc. lib. 12. p. 1. n. 50.*

Vexatio Collegij Methymnensis.

2. Anno 1590 feliciter in urbem rediit P. Robertus Bellarminus, emenso itinere laborioso & periculoso in Galliam & ex Gallia, cum Card. Henrico Cajetano, à Sixto V. expedito ad subveniendum afflictæ Ecclesiæ Gallicanæ. Quæ expeditio ut felicius procederet, visum est Pontifici, addere Legato comitem P. Bellarminum. Ingens, qua ibatur, fuit populorum studium videndi Bellarminum, editis Controversiarum Tomis jam famosissimum. Ipsi hæretici avebant nosse vultum viri, qui in regno ipsorum tantam fecisset confusionem. In ea legatione duo illum fecerunt celebriorem: alterum, quòd à Cardinale nullatenus adduci potuerit, ut aliquid consilii daret in negotiis politicis; alterum, quòd eo ipso anno eventuram Pontificis mortem non semel prædixerit, quamvis ille integra uteretur valetudine. Reduci in urbem post fata Sixti, non diu attritas vires reficere licuit. Admotus enim à Gregorio XIV inter alios emendationi sacrorum Bibliorum, quam cœperat Sixtus, eam præstitit operam: ut ipsius potissimùm labori debeamus editionem Sixtinam, qua nunc utimur. *Petrasancta in Vita l. 2. c. 9.*

P. Bellarmini reditus Romã.

Emendatio Bibliorum.

S. Xaverii brachii Romam delatum.

3. Claudius Aquaviva censuit, ut, cùm integrum Xaverii corpus Oriens possideret, ejusdem aliqua parte Occidens frueretur. Goani patres veriti, nequid oriretur tumultus à civitate, si res palàm fieret, nocte tacita in ædem sacram ubi corpus beati depositum asseruatur, se hac die contulerant anno 1614. Contremuit ædes tota ter, & ingenti metu omnes concussit. Cùm trepidi referrent gradum, unus animosior cæteris, vocem tollens, orare sanctum instititit, ut qui suis majoribus tam audiens dicto semper fuisset, eandem obedientiam demonstraret exemplo memorabili, nec sacri corporis partem Europæ supplicanti denegaret. Visus est annuere Xaverius, & sedato terræ motu, Patres ædem ingressi partem brachii, quæ protenditur à cubito ad carpum cum ipsa manu desecuerunt. Caro mollis & lenta, ut corporis vivi apparuit; fluxitq; rosei, & puri sanguinis magna vis, quam linteo reverenter exceptam Patres ad Philippum IV in Hispaniam miserunt. Sacrum pignus P. Sebastianus Gonzalez Rector domus probationis Goanæ, qui petebat urbem Indicæ Provinciæ procurator mirabiliter prædonum incursu liberatum, Romam feliciter devexit.

Obedientia post mortem.

Eodem die obierunt.

Victima fidei.

4. In Germania anno 1631, P. Joannes Arnoldi, Germanus, impiger operarius in sylvescente vinea DEI. Cùm divinis operatus, à sacro & concione rediret: apparatus sacer à rusticis hæreticis direptus; mox in ipsum Patrem facto impetu graviter eum sudibus delumbarunt, deinde ascia perfracto capite, arbori est alligatus. Jugulum illi præscindens barbarus rusticus, *I nunc*, inquiebat, *& hoc ore, si potes, tuum illud, Dominus vobiscum, proclamato*.

Victima fidei.

5. In Philippinis insulis anno 1649, P. Vincentius Damianus, Italus. In ipsis Indiis, Indias magis abstrusas & barbaras scrutatus, apud Jubigenses & Bacerenses heroe Apostolico digna gessit, ac passus est: donec in Crucifixi amplexu, odio fidei lanceâ confixus, candidam innocentiæ stolam, nulla graviore noxâ unquam inquinatæ, tinxit in sangvine suo & Agni.

Lectulus defuncti.

6. Consentiæ in Italia anno 1653, P. Theodorus Massimanus, Italus, eximiæ virtutis famâ, potissimùm autem orandi assiduitate, coram Tabernaculo Eucharistico clarus. Ipsa, qua decessit, nocte, Sanctimoniali singularis pietatis, per quietem objecta est species lectuli holoserico aureo floridoq; pretiosè instructi: cumq; interrogaret; Cuinam sponso cælestis hic thalamus pararetur? audivit, parari cuidam virtute insigni, tunc è vita migranti. Hoc responso accepto experrecta, illico æris nostri campani mortuale signum audivit, didicitq;, eum tunc vitâ functum. Neq; alienum esse à vero obiectum illud lectuli schema crediderunt ii; quibus tam Sanctimonialis illius, quàm P. Theodori virtus perspecta erat.

XII.

XII. NOVEMBRIS.

1. INdiarum Apostolus S. Xaverius anno 1552 è portu Sancianensi dedit Epistolam ad Dominum Jacobum Pereiram, sibi amicissimum, & erga se munificentissimum. Scribit inprimis se stare in procinctu ad solvendum in Sinas, modò mercator Sinensis, grandi pretio, ab ipso hoc D. Pereira accepto, conductus, fidem non fallat. Si fefellerit, significat: se aliâ viâ tentaturum ingressum in Chinam, scilicet cum Legato regis Sionis, quem intellexit mittendum ad Imperatorem Sinarum. Addit deniq;: Faxit DEus: ut in Sinarum regis aula aliquando nos videamus! nam & Pereira nomine regis Lusitaniæ iturus erat ad Sinarum regem; sed invidiâ Præfecti Malacensis detinebatur. Me quidem, subjungit Xaverius, si in Sinas penetravero, aut servum in Cantonis carcere, aut certè in Pechini regia vinctum offendes. DEus nos pro sua immensa benignitate, in Sinarum regno; sin minùs, certè in cælesti, jungat & copulet. Amen. *Epistol. Veter. lib. 4. ep. 16.* *S. Xaverius solutiurus in Sinas scribit.*

2. Ex eadem insula Sancianensi eodem tempore aliam dedit idem Sanctus epistolam, ad P. Franciscum Perez, Malacæ manentem: qua significat; dimissum esse à se ex Societate Fratrem Fereiram, mandatq; Perezio, ut eum nec sub tectum recipiat, nec Goæ recipi patiatur, nec in eadem cum ipso navi iter agat: suadeat autem illi, ut se recipat ad PP. Franciscanos, vel Dominicanos, juvetq; illum in eo negotio pro posse. In epilogo Epistolæ; Ora, inquit, plurimùm pro nobis divinum Numen: nam periculum diræ servitutis præsentissimum adimus apud Sinas. Sed consolatur nos hoc reputantes, quod persuasissimum habemus: longè præstare, captivum & vinctum esse solo DEi amore; quàm libertatem, quantumlibet jucundam, ignavâ ingratâq; fugâ laborum Crucis Christi, emere. *Epist. Recent. lib. 7. ep. 12.* *Dimissus à S. Xaverio.*

Eodem die obierunt.

3. Romæ anno 1615, P. Fabius de Fabiis, Italus, de stirpe Magnorum illorum Fabiorum. Generis claritatem illustravit religiosa excellenti virtute, & præclarè gestis muneribus, Magistri Novitiorum, Rectoris, Provincialis, Secretarii, Assistentis, Quidquid ageret, etiam in pusillo corpore magnum se Fabium prodebat. A tauro ferociente in cornua sublatus & malè quassatus, cùm moneretur; ad S. Xaverii brachium, tunc ex India allatum, votum conciperet: negavit, se valetudinem miraculo quæsitam velle; malle, quod malit DEus. *A tauro in cornua sublatus.*

4. Brunæ in Germania, anno 1643, P. Philippus Streidt, Bohemus. Ubiq; divinis, & sui recollectioni intentus, etiam apud vulgus Sancti nomen meruit. P. Mar-

tinus Stredonius Provincialis, vir eximiæ sanctimoniæ famâ notus, de illo inter plura sic scripsit: *Nullam diei horam, qua non totam animam in DEum reflecteret, ipsi unquam elapsam esse, exploratissimum est.* Examinis particularis curam tam altè sibi impresserat: ut eo die, quo illud negligeret, se nec dignum pane religioso, nec filium Societatis, putaret. DEiparam V. ingeniosis pietatis industriis venerabatur, cujus præsidio constantem vitæ innocentiam credebatur conservâsse.

Examen particulare.

5. Londini in Anglia, anno 1606, Parvus Joannes, seu Nicolaus Odoenus, Anglus. Sub adscito Joannis Parvi nomine diu latuit, & in pusillo corpore magnam vim animi prodidit. Excelluit ingenio ad fabricandas latebras, quibus Patres & Sacer apparatus tegerentur, multisq; annis, sub specie famuli illis servivit. Deprehensus tandem, & in carcerem conjectus admiranda toleravit. Iterum liber, iterumque captus, acerbissimis tormentis per plures dies cruciatus est, ut proderet latebras factas. Sed ille perstitit infractus, nec verbum ullum ei extorqueri potuit, quod alicui noceret,. Tormentis non tantùm non cessit, sed voluntarias mortificationes adjiciebat, cilicio nunquam deposito, etiam in carceribus: donec fortis & sancta anima, visceribus tormentorum immanitate jam effluentibus, è lacero corpusculo feliciter evasit.

Victima fidei.

XIII. NOVEMBRIS.

1. HOc etiam die ex insula Sinensi, Sanciano anno 1552, qui extremus ei fuit in vita mortali, epistolas dedit ad Socios, S. Xaverius. In data ad P. Gasparem Barzæum, Rectorem Collegii Goani, scripsi inquit, ad Franciscum Perez: ut Malacâ discederet quàm primùm, & cum omnibus Sociis in Indiam se reciperet. Etenim nunc quidem tanto bono indigna videtur civitas illa, quæ causa fuit tanti mali; quòd iter nostrum in Sinas, divinæq; gloriæ amplificationem, per summam injuriam impediverit. Iterum tibi mando: ut recentissimum illud mandatum meum summo studio diligentiâq; conficias; hoc est, ut transigas cum Episcopo; ut Malacæ Excommunicationes rite pronunciandas curet, in quas inciderunt ii, qui nostro itineri obstiterunt: siquidem Legati Apostolici nomine Sinas petebam. Id adeò mihi curæ est duabus de causis, primùm, ut Malacensis Præfectus intelligat, quàm grave in se admiserit scelus, & quàm gravem pœnam incurrerit; ne posthac is sit in alios, qui fuit in me. Deinde ut nostri Ordinis homines, qui deinceps rei Christianæ causâ, Malacam, Moluccum, Japoniam, Sinas petent, retinere audeat nemo. Et quoniam plerosq; homines hodie magis pudet hominum, quàm DEI; quicunque ejusmodi sunt, tantæ notæ atq; ignominiæ metu, à tam projecta audacia absterreantur &c. *Epist. Vet. lib. 4. ep. 17.*

S. Xaverius urget excommunicationem.

2. In Sardinia anno 1564, Calari, quæ urbs Proregis sedes est, pridem ardenter desideratum, hodie tandem erectum est Collegium, post adventum

Calari nostri suscepti.

ventum

ventum Sociorum decem. Effusa obviam civitas, prolixis omnium ordinum studiis excepti sunt hospites; nec quidquam omissum, quo cives optimi alacritatem & humanitatem suam testari possent. *Sacchin. hist. Soc. p. 2, lib. 8. num. 56.*

Eodem die obierunt.

3. Petricoviæ in Polonia anno 1607, Paulus KostKa, Polonus, Beati Stanislai Kostka Germanus, sed in illum iniquior, dum Viennæ studerent. Videtur DEus id dedisse meritis & precibus Beati adolescentis: ut Paulus tandem saperet, & cælestia præ terrenis haberet. Ergo ad saniora conversus, totum se & sua impendit divinæ gloriæ, erecto Patribus Franciscanis Prasnicii templo & cœnobio; Parochiali Ecclesiâ & Xenodochio proventibus aucto; & fortunis suis tam liberaliter in pauperes dispersis; ut regno cælorum omnino se maturum ostenderit. Sub hæc impetrata à Claudio Aquaviva copiâ ingrediendi Societatem, quam diu multumq; quæsierat; dum in procinctu est, ad Societatem triumphantem, ut spes est, migravit. *Paulus Kostka impetrata Societate moritur.*

4. Viennæ Austriæ anno 1669 P. Joannes Bucellenus, Italus Brixiensis. Præter Collegia varia, Provinciam Austriæ gubernavit rara laude suavitatis, & fortis executionis. Missæ sacrificium eo animi ardore obibat: ut è sæcularibus complures eam operirentur horam, quâ ille celebrabat, Horas Canonicas ut plurimùm ante Ven: Sacramentum humi prostratus recitabat. Annua S. Patris exercitia pridie præmisso jejunio auspicabatur; è quibus semper se ipso major prodibat. Corpus exquisitis modis vexabat, etiam in modicis nihil illi indulgendo, quod non extorqueret aperta necessitas. Observatus est, in triclinio & alijs consessibus, per annos 30 & ampliùs, nunquam se reclinâsse: in cubiculo etiam, sedili utebatur sine reclinatorio. Hyemali tempore nulla admittebat manuum tegumenta, nihil in cibis delicatum, nullum in cubiculo administrum, etiam in senili ætate, & munere Provincialis; quo perfunctus, Bibliothecæ publicæ curam suscepit, libros accuratè componebat & quot hebdomadis mundabat, ipsum quoq; verrendo pavimentum. Tam humilem virtutem, & constantem in se austeritatem, singularibus identidem fauoribus honorabat DEus. *Soutvell. in bibl. Soc.* *Austeritas.*

5. Constantiæ in Germania anno 1625 P. Paulus Laymann, Germanus, vir quàm profundè doctus, tam humilis & modestus Quantus fuerit in Theologia Morali & Iure Canonico, locupletes sunt testes Volumnia edita, avideq; à doctis direpta. Consulebatur passim, etiam ex locis admodum remotis; & responsa habebantur pro oraculis: sed ipse videbatur nescire eruditionem suam; tam parum illâ afficiebatur. *Soutvell. in bibl. Soc.* *Doctrina cum humilitate.*

XIV. NOVEMBRIS.

1. P. Edmundus Campianus, gloriosus Christi athleta, post toleratos jam acerbissimos equulei cruciatus, anno 1581, adductus est in aulam dictam Vestmonasterium, cum P. Thoma Cotamo: ubi recitato accusationis libello, jubentur ad sese purgandos, pro more recepto, manum sustollere: quod cùm fecissent alii, qui aderant in eadem causa Catholici, Cam- *P. Edmundus Campianus in tribunali Anglico.*

panus autem ob brachia vi tormentorum dissoluta, manum attollere non posset; unus de Sociis accessit, & reverenter deosculatus, modicè manum ejus extulit. Tum Campianus: Profiteor coram DEo & Angelis ejus, & hoc, cui adsto, tribunali: me nec criminis læsæ Majestatis, nec perduellionis, nec ullius in patriam conjurationis, reum esse. Idem profitentibus & aliis Christi Confessoribus, abducuntur omnes in carcerem, post dies aliquot perimendi. *Sacchin. p. 5. hist. Soc. lib. 1. n. 243.*

P. Molinæ causa defenditur. 2. Anno 1598 Madriti in Hispania egregiam dedit epistolam Maria Imperatrix, Caroli V. filia, Maximiliani II Imperatoris conjunx, Rodulphi II & Matthiæ Imperatorum Mater, ad summum Pontificem, Clementem VIII quâ ei eximiè, & materno planè affectu commendavit Societatem, ac specialiter causam P. Molinæ & libri ejus, utpote in Lusitania & Hispania rite approbati à S. Quæsitoribus, aliisq; viris doctissimis. Adjunxit huic quatuor alias epistolas ejusdem sententiæ, ad Card. Aldobrandinum, Madrucium, & S. Severinæ, atq; ad Ducem Sessæ; cui impensè commendavit: ut latè per Urbem spargeret, quod à plerisq; tunc ignorabatur; scilicet Librum Molinæ judicio contradictorio, ut ajunt, à supremo Lusitanæ Inquisitionis Senatu examinatum, & communibus suffragiis, etiam PP. Dominicanorum absolutum esse. *Eleuther. hist. de Auxil. lib. 3. cap. 5.*

Eodem die obierunt.

Concionator insignis. 3. Ferrariæ in Italia, anno 1598, P. Benedictus Palmius, Italus. Ab ipso S. P. N. susceptus, magnum & insigne dedit Historiæ Societatis argumentum. Concionando tantopere valuit; ut Auditorum voluntates videretur in lingua circumferre, & dicenti fuerit acclamatum: *Beatus venter, qui te portavit.* Primus inter Italos vota 4. fuit professus, primusq; Concionator è Societate à Pontifice assumptus.

Pacis & charitatis victima. 4. In regno Bengala Indiæ Orientalis, anno 1602, P. Franciscus Fernandius, Lusitanus. Dum totum se impendit saluti barbarorum; ortâ inter eos & Lusitanos rixâ, accurrit Pater, ut partes componeret. Sed à furente turba probris & pugnis pessimè acceptus, atq; ad carcerem abreptus, in ferro & ærumnis diem supremum obijt, si non fidei, certè pacis & charitatis victima.

Vires auctæ Missionario. 5. Apud Sinas anno 1628 P. Nicolaus Trigautius, Belga. Quàmvis corpore esset admodum debili: non dubitavit tamen arduam in Indiam Missionem petere. Eâ impetratâ, tantæ corpori accesserunt vires: ut omnibus immensi itineris incommodis suffecerint; imò etiam ad remetiendum iterum iterumq; idem iter, quando inde expeditus fuit Romam Procurator, fuerint sufficientes. In vastissimo illo imperio, aliquando duas ternasq; provincias, Galliæ Hispaniæq: pares, ob paucitatem operariorum curandas habuit: quas Apostolicis passibus peragrabat; donec fatiscente corpore, requievit à laboribus suis. Multis editis libris Latino Sinicoq; idiomate, rem Christianam promovit. *Soutvell. in bibl. Soc.*

XV. NOVEMBRIS.

1. IN Japonia anno 1551, cùm S. Xaverius in regia Bungensi dies 40 egisset, cum ubere animarum conversarum proventu, & non unâ insigni victoria in publica coram rege ac proceribus disputatione Bonzios profligasset; abitum parante navi Lusitana, convenit regem, quem constanter habuit benevolentissimum, vale ac salutaria illi daturus monita, siquidem sacro Fonti se nondum præbuit idoneum. Monuit ergo: ut agnitam veritatem cordi haberet, atq; sic uteretur temporalibus, ne bona amitteret æterna. Interea Bonzii repetitis cladibus efferati, desperata coquebant consilia, non solùm de Xaverio, sed Lusitanis omnibus cum ipso rege suo, quemadmodum Amanguccii fecerant, tollendis: priùs tamen semel adhuc disputationis aleam tentare voluerunt, evocato ad illam Bonziorum totius Japoniæ doctissimo, Fucarondono. Certamini dies sequens designatus. *Bartolus in Vita lib. 3. num. 41.* *Disputatio S. Xaverii cum Bonziis.*

2. Anno 1615 post obitum gloriosæ memoriæ P. Claudii Aquavivæ, in Congregatione VII Generali, electus est in Præpositum Societatis Generalem P. Mutius Vitelescus, Italus, patria Romanus, illustri & antiqua familia oriundus: postquam insigni cum laude gubernavit Romæ Collegium Anglorum, deinde Collegium Neapolitanum, Provincias Neapolitanam & Romanam, atq; Assistentis Italiæ munere functus fuit. Triginta ferme annorum spatio sapientissimè Societatem gubernavit. *Soutvellus in Biblioth. Soc.* *P. Mutius Vitelescus Generalis.*

3. Idem P. Mutius hoc die anno 1639 prolixam præclaramq; dedit epistolam ad Patres Fratresq; Societatis, de celebrando Anno sæculari & Jubilæo ejusdem: quod quomodo faciendum sit, instruit. Vult in omnibus instaurari primævum Societatis spiritum, præcipuè per accuratum studium Orationis, per assiduam Christi patientis Meditationem, per S. Patris Exercitia spiritualia, per efficacem ordinationum executionem, procurandam potissimùm à superioribus, & per Jubilæum ab Urbano VIII Pont. Max. concessum Societati. *Ex Epistolis Generalium.* *Annus sæcularis Societatis.*

Eodem die obierunt.

4 In Paraquaria, anno 1628, P. Rochus Gonzalez de S. Cruce, Indus. Totus in animarum salutem effusus, varios isthic populos mitigavit, & Christo subjecit. Ipse barbaris mapalia concinnabat, leges & agros dabat, agriculturam docebat, rempublicam & magistratus ordinabat, communis omnium, rusticus, pater, magister, præfectus & omnia. Post sacrum celebratum, ab irruentibus conjuratis clavâ lignea, silice armata, percussus, caput confractum & resectum. Quinquaginta tres barbari *Occisus loquitur.*

testati sunt, auditus à se prodeuntes è truncato corpore has voces: *Occidistis eum, qui vos diligit: occidistis corpus meum, & ossa mea contrivistis; at non animam, quæ jam versatur inter beatos in cælo. Multæ vobis calamitates evenient ob mortem meam. Quia venient filij mei, pœnas repetituri ob violatam DEi Matris imaginem.* At illi: Hem, præstigiator ille adhuc loquitur! Mox evulsum illi cor è pectore, & unà cum teli cuspide, quâ confixum erat, injectum in ignem: sed combusto telo, cor integrum inventum, & anno 1633, Romam perlatum.

Cor in igne integrum.

5. Ibidem, eadem tempestate involutus, occubuit P. Alphonsus Rodriquez Hispanus, non uno Indico acinace concisus. Corpora circa templum raptata, igni bis injecta, unà cum eburneo altero, & altero plumbeo Crucifixo. Sed tam corpora, quam Christi Crucifixi simulacra, integra reperta sunt postridie inter cineres templi combusti.

Corpora & Crucifixi illæsi ab igne.

6. Antverpiæ in Belgio, anno 1624, P. Adrianus Mangotius, Belga Animarum salutem ardenter promovebat verbo, calamo & exemplo. In extrema ætate tam gravem memoriæ passus est defectum; ut præsentissimus sibi, ne nominis quidem proprij meminerit. Habuit tamen in promptu paucas voculas, quas opportunè promebat. Si quid in laudem ejus diceretur, dicebat: *Miser sum.* Si quis compassione ductus, miraretur ægritudinem ejus, dicebat: *Dominus est*; cujus scilicet dispositione justissima, hæc evenerunt. Si contentiosè disputantes, vel altercantes audiret, monebat: *Fratres sumus.* Aliàs infracto signaculo obseratum os habebat, nec nisi lacrymis loquebatur.

Memoriæ defectus.

XVI. NOVEMBRIS.

1. IN Japonia coram rege Bungi celebri certamine concurrerunt, Indiarum Apostolus Xaverius, & Fucarondonus Bonziorum princeps, atque oraculum Japonum. Initio non levis regem incessit metus, ne Xaverius par non esset versatili hominis ingenio & linguæ: sed cùm non nisi absurdam Pythagoræ metempsychosim, & extremam libidinis fœditatem, quæ viget in Japonia, propugnandam suscepisset; Xaverius vi tanta rationum bruti illius redarguit impudentiam, ut moto omnibus stomacho ac rege jubente, aulâ sit ejectus. Exarsit belluino furore omnis Bonziorum natio, parumque abfuit; quin cum Xaverio Lusitani omnes, & rex ipse perirent. Monebant, urgebantq; Xaverium Lusitani, ut in navim se reciperet, & cum ipsis solveret in Indiam: at ille quodvis discrimen pro Christo subire maluit, quàm fugam arripere sibi turpem, Neophytis scandalosam, hostibus optatam. Perstitit ergo intrepidus, ac DEO protegente illæsus. *Bartolus in Vita lib. 3. num. 43. & seqq.*

Disputatio S. Xaverii cum Bonzijs.

2. Anno 1656 fortem dedit Epistolam ad Patres Fratresq; Societatis P. Goswinus Nickel Præpositus Generalis, de vitando spiritu Nationali & Provinciali, ob ingentia, quæ affert, damna. Nam 1. illo prædominante, Soci-

Spiritus Nationalis.

Societas ſalva eſſe non poteſt; dividit enim ſeparatq; membra à ſe invicem & à corpore. 2. Injuriam facit hic ſpiritus Chriſto, cujus membra ſumus omnes, qui nos in unum corpus redegit, & ſuam Societatem appellavit. 3. Obſcurat bonum nomen Societatis, & ſcandalum dat adverſariis noſtris, dum audiunt digladiari inter ſe Jeſuitas, & unam Provinciam vel nationem pugnare contra aliam. 4. In apertum diſcrimen adducit Societatem; quæ ut ſine charitate & animorum conſenſione ſtare non poteſt; ita nec ſubſiſtere cum ſpiritu nationes & provincias collidente. 5. Spiritus nationalis eſt certiſſima peſtis, & mors Charitatis, ideoq; ignotus omnino fuit primis Patribus, qui ex diverſiſſimis collecti nationibus, unam planè Angelicam, conflarunt Societatem, non ſolùm in una provincia, ſed in una domo viventes, ut unius moris & ſpiritus, charitate omnes conflante in unum. Unde, quod Auguſtinus dixit ad Eccleſiam in Pſal. 121. opportunè applicat Societati: O *Jeruſalem* (ô Societas!) *quæ ædificaris ut civitas, cujus participatio ejus in idipſum: fiat pax in virtute tua, fiat pax in dilectione tua: quia virtꝰ tua dilectio eſt.* Ex epiſtolis General.

Eodem die obierunt.

3. In America apud Tepeguanos, anno 1616, P. Ferdinandus de Tovar, Indus, Illuſtri & benefica erga Societatem ſtirpe ortus in Nova Hiſpania, cùm adhuc puer, videret matrem adornantem ſcriniolum pro aſſervando capite Patris Gundiſalvi de Tapia, recenter in odium fidei cæſi, ſcriniolum autem illud eſſet nimis anguſtum, dixit Ferdinandus ad matrem: Nimis anguſtus eſt loculus iſte pro hoc capite. *Serva hoc ſcrinium, mater, meo capiti: nam & ego ſic cadar.* In Societate totus effuſus in Tepeguanorum ſalutem, cùm veneficus quiſpiam illos concitâſſet in Patrem, & omne nomen Chriſtianum, Pater Ferdinandus clavâ profligatus & lanceâ confoſſus, occubuit, inſultantibus barbaris: ut ſuum nunc *Pater noſter, & Ave Maria,* decantaret. *Victima fidei.*

4. Madriti in Hiſpania, anno 1628 P. Gaſpar Sanctius, Hiſpanus. Humaniores literas, rarâ conſtantiâ, docuit per annos 30; & quidem per annos 12, antequam Sacerdotio initiaretur; poſt Theologiam & Sacerdotium, annos 18, curſu nunquam interrupto, etiam per triennium, quo Collegium rexit. Nunquam viſus eſt iratus, nunquam mentitus, nunquam alicujus gravis noxæ reus: humilitate autem & religioſa ſimplicitate ſemper conſpicuus. Hucti juſſus Dæmon ab exorciſta, in templo oſculari pedes omnium humillimi, ad pedes P. Gaſparis ſe abjecit, eoſque eſt oſculatus, Gaſpare illum, ut mendacii patrem arguente. Applicatus tandem Explicationi S. Scripturarum tradendæ in Collegio Complutenſi; tanto ſtudio & ingenio id egit: ut 10 Tomos egregios interpretationis ſuæ ediderit. *Sotvellus in bibl.* *Humaniores literæ 30 annis doctæ.*

5. In Friſia anno 1651, P. Daniel Stullius, Belga. Apoſtolico ſuo ſpiritu multum profecit apud eam gentem. Inter magis arduos labores, illo ſe ſtimulo excitabat: *Bono animo eſto, Daniel. Bene tibi erit. Magna illa gloria parvo non emitur.* Euchariſtiam à cujuſdam nauſeante ſtomacho ejectam, intrepidus hauſit. Cùm ægro malè de ſe

merito Evangelica charitate miniſtraret; mortem inde, & vitam traxit immortalem.

XVII. NOVEMBRIS.

1. BOnzios Japones cùm accepta heri ureret ignominia, nec matura adhuc videretur, quam concitarent, populi ſeditio: certamen infauſtum inſtaurare cum Xaverio decreverunt.

Pariſienſes afficiuntur Societati.

2. Pariſiis cùm & ſcholarium noſtrorum & aliorum proborum creſceret notabiliter numerus, nec omnes caperent Sacelli anguſtiæ: novi jacta ſunt fundamenta ab Epiſcopo Cypri anno 1588. Soli Convictores ſexaginta ſupra ducentos, iique melioris notæ, numerabantur. Collegio ſatis frequenti additæ lectiones de S. Scriptura, Lingua Hebræa, & diſciplinis Mathematicis: ut nihil jam deeſſet, quod ad perfectionem Academiæ deſideraretur. Apparuit etiam communis Procerum erga Societatem propenſio in Conventu, qui de publicis rebus habitus eſt. Ubi cùm non nemo adverſariorum agendum putaret, inſtaretque, de Societate vel ejicienda è regno, vel prohibenda docere: qui hujuſmodi propoſitionibus & libellis excipiendis præerant, reſponderunt; Agendum potiùs eſſe, ut Collegia Societati quàm plurima per Galliam ſtruerentur. *Sacchin. hiſt. Soc. p. 5. lib. 8. n. 106.*

Eodem die obierunt.

Victima fidei.

3. In Paraquaria anno 1628, P. Joannes de Caſtillo, Hiſpanus. Impigrè ſatagentem pro re Chriſtiana, Caciquii cujuſdam divinitatem, ſibi arrogantis, juſſu, turba barbara invaſit, fuſtibus delumbatum, nudumq; per invia & devia raptavit, multis vulneribus concidit, telis confixit, deniq; arbori in modum crucis alligatum, ſaxis capiti illiſis, trucidavit. Baptizatos à Patre, ut quodammodo expiaret, impoſtor ille, capita eorum aquâ calidâ abluit, linguas teſtâ raſit, quaſi infectas ſale Baptiſmatis, & profeſſione fidei Chriſtianæ.

Amator DEiparæ.

4. Platæ in Hiſpania, anno 1626, P. Alphonſus Cortes, Hiſpanus. Scrupulis vexatus cùm à DEipara V. remedium ardenter peteret; accepit ab illa monitum; ut eſſet magis addictus juvandis animabus Purgatorii. Eidem ſolicito, num bene negotium ſalutis ſuæ ageret? reſpondit illa: *Bene ipſum bene rem agere*; adjecit tamen, *ut ea, quæ ageret, majore perfectione exequi niteretur.* Adfuit etiam morienti, & liquidiſſimo ſolatio clientem ſuum perfudit.

Imitator B. Aloyſii.

5. Romæ anno 1638, Petrus Angelus Bonchriſtianus, Italus, Scholaſticus. Familiariſſima ei fuit ad eximiam virtutem incitatio, Vitarum B. Aloyſii, & Joannis Berchmans, lectio; quorum præcipuè imitabatur modeſtiam, ſilentium, & ſui afflictationem. B. Aloyſii vitam in ſinu geſtabat, & antè ac poſt ſumptam ſacram Synaxim, caput ex ea legebat. Triduo ante cineres carnibus omnino abſtinebat. Morti vicinus, auditus eſt ſæpe ingeminare: *Gaudeo Domine, quod ſis immenſus, infinitus, omnipotens, miſericors, & ſummum bonum. Volo, quod vis. Exulto quod majeſtas tua ſit tam grandis, tam bona & amabilis.* His intentus mori deſiit.

XVIII. NOVEMBRIS.

1. S. Ignatius cum Sociis Romæ abſolvitur mirabiliter, ac liberatur juridicè ab atroci fœdaq; calumnia, anno 1538. Comparuerat Romæ, & ſe in multorum gratiam inſinuaverat quidam, religioſum eremitam Auguſtinianum indutus: qui cùm etiam è cathedra præſumpſiſſet Lutheri commendare errores; notatus à Sociis Ignatii, ac privatim monitus, non tantùm non reſipuit, ſed ipſos monitores ſuos non dubitavit arguere hæreſeos, & accuſare. Ignatium, jactitabat, Compluti, Salmanticæ, Lutetiæ ac noviſſimè Venetiis damnatum hæreſeos, & rogo cum ſcriptis ſuis addictum, fugâ ſibi conſuluiſſe; nominabatq; hujus rei teſtes aliquot Hiſpanos ſui ſimiles. Deniq; eò rem deduxit: ut Ignatius cum Sociis, ſi non crederentur hæretici, vehementi tamen ſuſpicione laborarent, & ab hominibus paſſim deſererentur. At ille, ut ordinatè procederet, inprimis ad Aſſertorem ſalutis ſuæ, principemq; Advocatum Chriſtum recurrit, admonuitq; eum promiſſi, quo nuper ſpoponderat: ſe illi & Sociis Romæ propitium futurum. Audiit, nec opem diſtulit Salvator, inde illam more ſuo præbens, unde minimè poterat ſperari. Cardinalis, ſacri Collegii Decanus, falſis de Ignatio rumoribus ita fuit præoccupatus; ut amicorum quendam ſeriò moneret, ne quid commercii cum illo haberet. Is ubi id ipſum ad Ignatium detulit; nihilo commotior Ignatius, ſolùm petiit, ut ipſo admittente, poſſet cum Cardinale loqui. Ad ſecretum admiſſus colloquium, ita ei ſuam probavit innocentiam: ut Cardinalis genibus flexis veniam ab illo precaretur, & poſt duarum horarum congreſſum, honorificentiſſimè deducens, fidum ſe illi Patronum ſemper futurum ſanctè teſtaretur; quod & præſtitit. Sic animatus Ignatius, non habuit ſatis, privatim agnoſci innocens, coram publico Gubernatoris Urbis tribunali convenit calumniatorem, ut publico decreto abſolveretur innocentia. Et quidem in prima actione manifeſtè confudit hominem, producto proprio ipſius ſcripto, quo, antequam à Sociis Ignatii argueretur hæreſeos, inſigne ſcripſerat ad amicum elogium Sanctitatis Ignatii. Deinde opportuniſſima Divinæ Providentiæ diſpoſitione evenit; ut eodem planè tempore Romæ adeſſent Iudices illi tres, à quibus Compluti, Pariſiis & Venetiis dicebatur Ignatius eſſe damnatus. Rogati ergo, perlibenter teſtimonium dederunt veritati, non ſine encomio ipſius luculento. Adfuerunt & ex variis urbibus, in quibus laboraverant Socii, teſtimonia graviſſima Epiſcoporum & principum, non ſolùm de innocentia, ſed etiam ſanctitate illorum. Viſum ergo fuit

S. Ignatius cum Sociis à calumnia liberatus.

non paucis, & ipsi Gubernatori, satisfactum esse cumulatè Ignatio tam præclaris documentis; nec esse necesse, ut ad publicam palinodiam adigerentur calumniatores, aut Decreto Judicis finiretur causa. At ille non præsenti solùm, verùm & futuris prospecturus temporibus, ad summum Pontificem recurrit, supplicavitq; ut negotium Decreto publico terminaretur. Annuit Pontifex; nec Gubernator ampliùs tergiversari potuit. Solemni ergo & perhonorifico decreto calumnias accusatorum detexit ac diluit. Ignatii verò doctrinam sanam, sanctamq; vitam commendavit: DEus autem non multum dilatâ vindictâ calumniatores severè castigavit. *Bartol. iu Vita S. Ign. lib. 2. n. 24 &c.*

Disputatio de auxiliis gratiæ. 2. Coram Clemente VIII habita est anno 1602 Congregatio Decima & disputatio de Auxil. Grat. cùm autem Gregorius de Valentia, Theologus Societatis, adversa laboraret valetudine, substitutus ei est P. Petrus Arrubal, Professor Romanus. Proposuit Pontifex: *An Molina consentiat Cassiano quoad hanc Propositionem: Quod homo in natura lapsa habeat naturale judicium ad cognoscendum bonum & malum; habeatq; naturalem facultatem ad utrumq; amplectendum, absq; eo, quod aliquam ponat distinctionem?* Respondit Arrubal: Molinam illi non consentire. Quamvis enim in homine lapso agnoscat naturale illud judicium, & naturalem motum voluntatis: non tamen sine distinctione agnoscit. Distinguit enim semper; quòd tale judicium intellectûs, & motus voluntatis solùm valeat ad finem naturalem, non autem supernaturalem: qua distinctione non utitur Cassianus. Probavit utrumque. *Eleuther. hist. de Auxil. lib. 5. c. 14.*

3. Anno 1603 eodem die habita est Congregatio & disputatio XXI. Quæsitum fuit: *An juxta S. Augustinum, Liberum arbitrium & Gratia sint duæ causæ partiales, concurrentes ad eundem actum efficiendum?* Respondit P. Bastida: eam omnino esse doctrinam S. Augustini, probavitq; latè. *Ibid. cap. 25.*

Eodem die obierunt.

3. Romæ anno 1575, P. Jacobus de Ledesma, Hispanus. Romam tendenti, ut Societatem ingrederetur, Augustæ Christus D. conspiciendum se dedit; bono animo esse jussit, promisitq; futurum; ut castè & perseveranter in obsequio DEi persisteret. Brixiæ verò vidit, audivitq; DEiparam V. eadem, & auxilium in morte promittentem. Adfuêre cum illa Sanctæ, Maria Magdalena, S. Catharina Martyr, & S. Catharina Senensis, quæ in recessu, cælesti voce extollebant virtutem castitatis, canentes: *Quantum est donum castitatis, quod confert DEus pietatis! Divina res est castitas, Divina sunt & præmia, quæ continenti dat DEus.* Vixit in Societate excellenti virtute atq; doctrina, altioribus studiis diu præfectus.

Castitatis laudes.

4. In

4. In nova Hispania, apud Tepeguanos, anno 1616, odio fidei à barbaris trucidati occubuerunt, P. Didacus de Orosco, Marchionis Morraræ nepos; P. Bernardus de Cisneros, P. Ludovicus de Alabes, & P. Joannes de Valle; Viri ad tam gloriosum mortis genus præclarè dispositi excellenti virtute, præsertim sui mortificatione & Apostolico zelo. Illud singulare occurrit de Patre Ludovico: quod cùm eum adhuc infantem, sacris undis tinctum, in librum baptizatorum referret Parochus, è S. Dominici familia Religiosus, quodam præclaræ cruentæq; illius mortis vaticinio, solius illius nomen, præter morem, grandi & rubro charactere in librum retulerit. Ajunt DEiparam V. ter ipsi locutam, & de genere mortis odio fidei inferendæ, disertè certiorem fecisse, etiam die expresso, quo id futurum esset. Ut igitur ad tam gloriosam mortem rite se disponeret, multa castigatione corpus exercebat, animum verò prolixa excolebat oratione, ad tres quatuórve horas productâ. *Victima fidei.*

5. P. Joannes de Valle mira industriâ & labore. Indos excolebat: ut eos orare doceret, ciboscq; parare; factus est illis colonus, coquus, pater, frater, servus & omnia, Arte pacificandi dissidentes, mirificè præstabat: unde *P. Ioannes à Pace* dictus est. DEiparæ V. suprà quàm explicari possit, addictus, in omnes artes eam colendi & extollendi assiduè intentus erat: respondi tq; Virgo pari affectu Clienti suo. Trimestri ante mortem scripsit; se à Tepeguanis odio fidei occidendum. *Missionarius industrius.*

XIX. NOVEMBRIS.

1. CUm Romæ novum domûs Professæ templum, regali magnificentia Alexandri Farnesii Cardinalis erectum esset; placuit Claudio Aquavivæ anno 1587, Reliquias S. P. Ignatii in illud deferre hoc die; tempore scilicet, quo ex omnibus Provinciis missi Procuratores convenerant Romam. Conditæ sunt sub dextrum latus aræ majoris, cum inscriptione lapidi incisa: Ignatio Societatis JESU Fundatori. Quæ quidem translatio miro ornata est spectaculo. Nam tumbâ apertâ, in qua deposita erant sacra lipsana, viderunt illa quidam ex Patribus præsentibus, stellis quibusdam conspersa, vividissimo splendore micantibus, aurei unius magnitudine. *Bartol. in Vita S. Ign. lib. 4. num. 39.* *Reliquiæ S. Ignatii.*

2. Londini in Anglia anno 1581 è carcere, in quem odio fidei compacti fuerunt, P. Alexander Briantus, aliiq; plures Confessores, evocati rursus sunt ad tribunal ad sententiam audiendam. Cæteros anteibat P. Alexander, crucem, quam in carcere sibi fabricârat, manu præferens. Incussatus ab hæretico audaciæ, jussusq; illam abjicere: *Neutiquam*, inquit, *id faciam; Miles Christi sum, vexillum ad mortem usq; non deseram.* Audacior alter cum crucem illi eripuisset; *Potes* inquiebat, *Crucem mihi extorquere de manibus, de corde non potes. Moriar pro eo, qui prior mortuus est pro me.* Pronunciata in omnes capitali sententiâ, vultu hilari elataq; voce occinuit P. Edmundus Campianus: *Te DEum laudamus, te Dominum* *P. Briantus cum aliis damnantur ad mortem.*

confitemur! Servinus subjecit: *Hæc dies, quam fecit Dominus: exultemus & lætemur in ea!* Alii alia, omnes exultabant in DEo JEsu suo. *Sacchin. hist. Soc. p. 5. lib. 1. n. 246 & seqq.*

Congregatio Gen. XIV.

3. Anno 1696, cùm elapsum esset novennium à postrema Congregatione Generali XIII, inchoata est sub P. Thyrso Gonzalez Præposito Generali, Congregatio XIV. Quàmvis enim indicta fuisset in diem 15 Nov, quia tamen aliqui adhuc non advenerant, qui sperabantur propediem adfuturi, dilatus est Conventus in hunc diem. *Ex Decret. Congreg.*

Eodem die obierunt.

Victima fidei.

4. In Nova Hispania, apud Tepeguanos, anno 1616, P. Joannes à Fonte, Hispanus, odio fidei cæsus à barbaris, cum P. Hieronymo Moranta, & ipso Hispano. Fuit P. Joannes omnino indefessus in laboribus & ærumnis. Ipse laterculos Indis conficiebat ad domos construendas, ipse aratra fabricabat & ducebat, ipse sanis famulus, infirmis coquus, medicus, nutritus, pater & omnia. P. Hieronymus verbo & opere potens, plurimis saluti fuit; vel una concione convertit quingentos. Deprehensus est aliquando in loco ab arbitris remoto, altera manu Crucifixum gestans, altera acerbè se flagellans, & ubertim plorans oransq; pro Indorum salute, & concionum suarum efficacitate. Cædendum in fidei odium, prædixit Alphonsus Rodriquez. Ipsius & Sociorum pro fide cæsorum heri ac hodie, corpora, post tertium mensem reperta sunt humi strata ciliciis tecta, & planè recentia, duobus canibus illa custodientibus.

5. Romæ anno 1672 P. Joannes Bapt: Giattinus, Siculus Panormitanus, vir tam præstantis ingenii: ut omnes disciplinas liberales, quas tradit Societas, egregiè sit assecutus, & magna cum laude docuerit. Præter patriam & Latinam linguam calluit Græcam, Hebraicam, Syriacam, Chaldaicam, & Arabicam; manibus quoq; à natura instructus tam industriis: ut facile quidquid faciendum occurreret, effecerit. Historiam Concilii Tridentini à Card. Pallavicino Italicè conscriptam, insigni elegantiâ in Latinum transtulit idioma; variasq; conscripsit Tragœdias & Comœdias, quas fere quot annis agunt Romani Seminarij adolescentes, plaudente & proficiente auditore. Inter literarios hosce labores non minus illum exercebat virtutis religiosæ studium, atq; animarum zelus, quibus juvandis & frequenter ad populum dicebat conciones, & pœnitentibus nunquam defessas aures dabat. *Soutvell. in bibl. Soc:*

Tragœdiæ & Comœdiæ.

XX. NOVEMBRIS.

Clericis Societatis licet concionari.

1. GRegorius XIII Pont. Max. Facultatem olim à Paulo III concessam Societati, ut etiam non initiati sacris ordinibus, si tamen idonei essent, possent populo prædicare verbum DEi, renovavit, & extendit etiam ad Clericos primâ tonsurâ tantùm insignitos, distinctè prohibendo: ne quis illos impedire præsumeret. *Bullar. Societatis.*

2. S. Xaverius post acres in Japonia cum Bonziis concertationes, & quadriennem in Japonia commorationem, Rege Bungi ultimùm salutato,

inter Christianorum lacrymas, & votorum nuncupationes pro ejus reditu, solvit in Indiam anno 1551, In eo itinere decumana tempestate jactatus, grandi miraculo navim salvavit, sed grandiore scapham, quam cum hominibus quindecim à navi avulserat tempestas. Cùm enim crederetur, vel statim interiisse, vel navim nequaquam assequi posse: Xaverius mente ad DEum elevata prædixit; scapham ante triduum elapsum adfuturam salvis omnibus, quos vehebat. Nec fefellit eventus. Adfuit tandem, & ultro commodèq; ad navim accessit scapha; cùmq; ex illa educerentur amissi, ac rogarentur: quomodo tanto tempore jactati, adesse potuissent? responderunt, se præsenre Xaverio timuisse nihil: ipsum omnibus animos addidisse, imò & scapham rexisse; idq; juramento affirmabant. Tum enim verò omnes occupavit stupor: siquidem & qui in navi erant, Xaverium semper in oculis habebant; & qui in scapha jactabantur illius præsentia & ope non carebant, communicante se Apostolo omnibus, etiam ultra vires naturæ. *Bartolus in Vita lib. 3. n. 50.* *S. Xaverii præsencia in duobus locis.*

3. Apud Sinas anno 1585 P. Rogerius & Almeida opportunissima occasione invitati Sciauquino discedentes, ubi P. Riccium cum Fratre Lancitani reliquerunt, in Sinarum interiora felicissimè penetrarunt, navigatione amœnissima per duos menses protracta. Interim Riccius Sciauquini alterum publicum baptismum insigni pompâ instituit, baptizatis personis 20, selectis. *Sacchin. hist. Soc. p. 5. lib. 5. num. 163.*

Eodem die obierunt.

4. In Hispania anno 1581, P. Didacus Borassa, Hispanus. Romæ, Dilingæ, Parisiis, tanto nomine ac frequentia Philosophiam docuit: ut alicubi *Philosophi* cognomentum tulerit, à quingentis auditus. Cæterùm simplicitate religiosa & obedientiâ cœcâ fuit illustrior. Hirundinem in arbore sedentem accipere jussus, ivit, & aviculam facile cepit, atq; ad Superiorem detulit, DEO vetera Patrum exempla restaurante ac commendante. *Avicula jussu superioris capta.*

5. In Hispania Nova apud Tenerapam anno 1616, P, Ferdinandus de Santaren, Hispanus, odio fidei à barbaris Tepeguanis cæsus, post multos labores illorum causâ exantlatos. Avidissimus ærumnarum dictitabat: *Velle ærumnas carere, idem esse; ac velle Christo tergum obvertere, atq; illum solum sub cruce relinquere.* Per annos 23 horridam illam vineam infracto animo coluit, DEo tandem par labori incrementum dante. Suprà 40 nova templa erexit, atq; ut minimùm quinquaginta millia capitum sua manu baptizavit. Qui fidei felix progressus non potuit non exacerbare dæmones, & satellites eorum: ut ad opprimendos omnes Christi operarios conjurarint; & non paucos, de quibus præcedentibus diebus, sustulerint morte cruenta. Prælusit P. Ferdinandus neci suæ crebra acriq; corporis sui castigatione; cui non proprias solùm adhibebat manus; sed subinde à duobus Indis arbori voluit alligari, & dira flagellatione concidi. *Victima fidei.*

cidi. Ante mortem rogavit barbaros, qua de causa, violentas manus sibi inferrent? Respondêre barbari: satis superq; causæ esse, quod Christianus Sacerdos esset. Ita illi clavâ confractum caput, cerebrumq; dispersum.

XXI. NOVEMBRIS.

Congregatio Gen. VIII.

1. POst obitum P. Mutii Vitellesci Præpositi Generalis, ex ejus, dum viveret scripto suffragio renunciatus est Vicarius P. Carolus Sangrius Assistens Italiæ: qui Congregationem Generalem Octavam indixit, inchoavitq; hoc die, anno 1645; à qua electus est Generalis P. Vincentius Carafa. *Ex Decr. Congr. 8.*

P. Petrius in Sinis honoratq

2. Apud Sinas cùm P. Francisco Petrio concessa esset anno 1565 venia adeundi Cantonem urbem Sinensem: datus est illi hodie Senatus, coram quo exponeret postulata sua. Exposuit ille per libellum supplicem; se esse hominem literarum amantem, & præter scientias naturales, etiam cælesti quadam & divinâ instructum se esse: ad quam florentissimo & eruditissimo illi regno communicandam, optare se ac petere stabilem locum, in quo posset figere domicilium, & pro Regis ac regni felicitate offerre DEo cæli & terræ sacrificia. Quæsitum est ex illo: quædam esset illa cælestis divinaq; doctrina? Respondit Pater: Docere se, quomodo DEus cæli terræq; Conditor sit colendus, cujus beneficio homines vitam & beatitudinem æternam consequi possent; cultum autem illum consistere partim in certis ritibus, partim, & maximè, in observatione mandatorum ejus; qualia sunt: fidem ac pietatem colere, parentes honorare, proximum diligere, nemini injuriam facere &c. Quibus auditis, Mandarini se invicem admirabundi inspectantes, continuò vestem purpuream Damasceno textu afferri jubent, eamq; humeris Patris injiciunt, tanquam tesseram viri præstantis ac eruditi. Sed plus impetrari tunc non potuit. *Sacchin. hist. Soc. p. 3. lib. 1. n. 140.*

P. Franc. Suarez defunctus Eucharistiam dat.

3. In Lusitania anno 1637 Venerab. P. Franciscus Suarez, jam ante annos viginti defunctus, insigni beneficio recreavit Fratrem nostrum Hieronymum de Sylva, Coadjutorem, hominem vitæ valde religiosæ, & P. Francisco, dum viveret, perfamiliarem. Habebat is in more, ut diem Præsentatæ in templo DEiparæ V. communione Eucharistica celebraret: constitutus autem in itinere quodam, cùm copiam habere non posset divini epuli, deflexit in via ad desertum quoddam Sacellum; ut saltem piis affectibus pasceret animam. Et ecce procedentem ad se videt P. Franciscum, sibi notissimum, Sacerdotali habitu indutum, auratam lævâ pyxidem gestan-

ſtantem; qui ubi dixit ſe divinitus miſſum ad eum conſolandum, cæleſtem ei panem porrexit, deſiitq; videri; liqueſcente præ animi deliciis Hieronymo. *Maſſejus in Vita P. Suarii cap. 24.*

Eodem die obierunt.

4. Romæ anno 1584, P. Franciſcus Turrianus, Hiſpanus, Concilio Tridentino magna doctrinæ opinione atque authoritate interfuit, à ſummo Pontifice miſſus. Societatem amplexus eſt ætate jam gravis, at ſenectâ utili adhuc & viridi; inter tyrones magno planè humilitatis documento verſatus. Illud multæ atque reconditæ eruditionis ſuæ, ac poſitæ operæ in pervolutandis bibliothecis, pretium tulit: quòd cùm Pius V. feſtum Præſentationis è Breviario, ceu minus antiquum, expungi paſſus eſſet: ille ex vetuſtiſſimis ſcriptis atque Patrum authoritatibus, ita antiquitatem ejus Feſti probavit, ut reſtitutum ſit. Cujus laboris præmium videtur fuiſſe pia mors ipſo hoc DEIparæ V. feſto oppetita. Virtutem eximiam admiranda eruditione, & copiâ editorum Librorum eximiè illuſtravit; ſupra quinquaginta recenſet *Sourvellus in bibl. Soc.* *Feſtum Præſentationis B. V Breviario reſtitutum.*

5. Ingolſtadii in Germania, anno 1634, Nicolaus Martius, Scholaſticus, Germanus morum innocentiâ, magno Indiarum deſideratarum zelo, atque heroica charitate inſignis. Tertium philoſophiæ annum agens, cùm peſtem latè graſſari videret, advertit ſe jacturam Indiarum, quas impetrare nondum potuerat, utcunque compenſare poſſe glorioſo labore in obſequio peſtiferorum. Annuente itaque ſuperiore, ſolennibus verbis ſe devovit DEO, pro ſalute Sociorum: & biduo pòſt ſuffocatus catarrho, inſignis victima charitatis occubuit. *Victima charitatis.*

6. In caſtris Sigiſmundi III. Regis Poloniæ, ad Smolenſcum, anno 1609, P. Fridericus Bartſchius, Prutenus. Societatem Romæ ingreſſus, Viennæ Auſtriæ Theologiâ excultus, Vilnæ in Litvania Theologicâ laureâ ornatus, datus denique eſt Sigiſmundo Regi arbiter conſcientiæ. Propter eximias virtutes, excellentem doctrinam, & in converſando comitatem, Proceribus regni, aulicis, & ipſis hæreticis gratiſſimus & venerabilis, ſecutus eſt regia caſtra ſub Smolenſcum in Ruſſiam: ubi dum militibus contagioſa lue infectis, impigrè omnem impendit operam, contracta lue deceſſit. Corpus Vilnam juſſu regis delatum, ſolemnibus exequiis, panegyri, & præſentiâ Sereniſſimæ Reginæ Conſtantiæ cum Principe Filio, eſt honoratum. *Soutvell. in bibl. Soc.* *Victima charitatis.*

7. Bruxellæ in Belgio anno 1658, P. Jodocus Andries, Belga, Eccleſiaſtes eximius & indefeſſus per annos prope 40, etiamſi ſubinde bis vel ter in diem dicendum eſſet. Fuerunt fide digni, qui affirmârunt: vidiſſe ſe, dicentem cæleſti luce circumfuſum, & aliquando ſtellam ejus vertici inſidentem. Cùm advertiſſet, ex parvis libellis piis, vel patentibus foliis, in populum ſparſis, ferè plus fructus colligi, quam ex majoribus; plurimos edidit præſertim *de Perpetua Chriſti Cruce, & de Perpetuo gladio Reginæ Martyrum* retulitque uberrimum operæ pretium. Moriens, alacri voce exclamavit: *In cælum! In cælum!* & abiit. *Soutvell. in bibl. Soc.* *Eccleſiaſtes eximius.*

XXII. NOVEMBRIS.

1. P. Franciſcus Petrius cùm ſatis ſpecioſè Profeſſionem ſuam expoſuiſſet Gubernatoribus & Magiſtratui Sinenſi, ut heri narratum, re infecta *P. Petrius Sinis excedit.*

Macaum, unde venerat, se recipere coactus est. Quàmvis enim non deessent Mandarini quidam, qui censerent, Viro tali, qui non aliud quæreret, quàm DEi cœli & virtutis cultum, posse concedi domicilium: sanctior tamen apud plures & altiores, fuit lex patria, de non admittendis peregrinis. Negotium quoq; legationis regis Lusitani ad Sinarum Imperatorem rejectum est: epistola tamen valde officiosâ data ad regem, quâ se purgavit Imperator. Patri Petrio spem domicilii fecerunt nonnulli Mandarini, si meliùs instructus linguâ Sinensi veniret: ut opus non esset interprete. Sed videtur fuisse officiosa rejectionis excusatio. Curiæ divinæ nondum visum est tunc maturum negotium illud, *Sacchin. hist. Soc. p. 3. lib. 1. n. 142.*

Eodem die obierunt.

2. Guadixii in Hispania, anno 1601, P. Petrus Bernal, Hispanus. Magnam sanctimoniæ opinionem sibi comparavit, orandi, se mortificandi, & animas juvandi studio, vitiis extirpatis. Contra jurandi consuetudinem tanto ardore dicebat; ut etiam parvuli dictitarent: se non juraturos, ne P. Bernal habeat, cur indignetur. Multa ex vero prædixit, & morbos periculosos impositione manuum fugavit.

Iurandi consuetudo.

3. Porti in Lusitania anno 1656, P. Nicolaus Nugentius, Hibernus. Magni Ecclesiastæ elogium meritus, patriam suam per annos 40 multo labore excoluit difficillimis temporibus. Angli Præsidis jussu tentus, quatuor annorum ærumnosum carcerem toleravit, non suo tantùm, sed Catholicorum etiam ad ipsum confluentium, magno fructu. Proscriptus denique ex Hibernia, in Lusitaniam se recepit: ubi & operarium, & Sociorum Superiorem insigniter egit: suo tamen gubernandi modo non contentus, quoties, posito magistratu, meminit obitæ gubernationis, à lacrymis sibi temperare non potuit. Morbos non paucos, oblato pro ægris sacrificio divino, feliciter curavit.

Fructus in carcere.

3. In monte Frigido in Hispania anno 1607, P. Ferdinandus de Adamo, Hispanus. Invitatus à Præposito Provinciæ ad obeundas sacras Missiones, obtentu valetudinis debilioris subduxit se labori. At postea cùm Asceticas S. P. N. exercitationes obiret, apertum Christi latus intuitus, perfususque divino lumine, erubuit, & cùm lacrymis Missiones petiit: quas Apostolico planè zelo obibat, ingenti animarum fructu. Unde dæmon aliquando auditus est dicere; Alamellum (ita eum per contemptum vocabat) esse unum ex iis, quos haberet maximè inimicos.

Missionarius.

Dæmoni infensus.

XXIII. NOVEMBRIS.

1. Dies hic magnum virum dedit Societati anno 1545 Hieronymum Natalem: quem S. Pater, cùm adhuc uterq; Parisiis vacaret studiis, jam maximè idoneum vidit propositis suis, captabatq; hominem omnibus, quibus poterat, modis. Sed ille, quamvis pietati apprimè deditus, remis velisq; fugiebat viam perfectionis, quam monstrabat Ignatius: & cùm hic

Hieron. Natalis accedit Societati.

hic aliquàndo pressiùs instaret, Hieronymus productum Evangelii Codicem exhibens; En, inquiebat, quem ego sequar; non te, qui quem exitum habiturus sis cum Sociis tuis, ignoro: simulque evolavit è conspectu. Sed insecutus est eum DEus, nec ullam animo quietem dedit: donec post annos complures, confirmata jam Societate, & Viris rebusq; gestis florente, præsertim postquam S. Xaverii ex India datas literas legit; Romam se contulit, & ad obeunda Spiritualia Exercitia, quæ hactenus summè vitârat, animum applicuit. Ibi variis primùm agitatus spiritibus, tandem post decem, & octo dies, tam copioso cælitus perfusus est lumine: ut sine mora ulteriore, hoc die votum emiserit, & scripto consignârit de ineunda Societate, & vilissimis in ea officiis obeundis. Sic tandem annumeratus est Sociis, qui pridem potuerat esse unus de principibus ejusdem familiæ; magnoq; deinceps usui fuit S. Ignatio, ad res magnas gerendas. *Orland. hist. Soc. lib. 5. n. 4. & seqq.*

2. In Lusitania, postquam Fr. Hieronymus de Sylva, à Ven. P. Francisco Suarez, divinitus spectabili, sacra Communione refectus fuisset, prout 21 Novemb. narratum: rediit ad Collegium suum Portuense, certus nemini patefacere, quod sibi contigerat in via. Sed DEus, salvâ viri humilitate, rem gestam aperuit per Sanctimonialem è familia S. Claræ, quæ missâ ad P. Rectorem Collegii schedâ, impensè eidem commendavit Fratrem Hieronymum, tanquam virum DEo charum; exposuitque distinctè; quomodo à P. Suarez pridem defuncto, divino epulo refectus fuit. *Masséjus in Vita P. Suar. cap. 24.* *Eucharistia data à P. Suarez patescit.*

Eodem die obierunt.

3. Pragæ in Boëmia anno 1613, P. Marcus Soldanus, Italus in obsequio pestiferorum extinctus, cum aliis 15 Sociis, in simili per Boëmiam obsequio, similiter coronatis. Multa egregiè gessit in commodum miserorum, ideoque *Pater pauperum* dictus. Jam antè ter in pestilentem illam arenam descenderat, exieratque salvus & victor: quarta vice prostratus est, non tamen coronam amisit, ad quam paucis ante obitum diebus, ipsum vocaverant SS. Ignatius & Xaverius, qui se ei cum splendida plurium sociorum corona spectandos dederunt. Morte sua securitatem peperisse visus est superstitibus in eadem arena sociis, nemine post illum extincto. *Victima charitatis.*

4. Cartilionæ in Italia anno 1621, P. Hector Lupatinus, Italus. Castimoniæ tam severus custos fuit à teneris; ut, ex quo rationis usum adeptus est, nullum fœminæ ullius ministerium, nedum familiaritatem, admiserit. Patavii in lectulo Hectoris, philosophiæ tunc studentis, nondum religiosi, collocarunt fœminam insolentes & impudentes quidam: quam ille ubi domum redux vidit, confestim se fugâ de illa domo eripuit, nec in eam unquam pedem retulit. In Societate cùm fœminas confitentes audiret, aures illis tantùm, non oculos dabat, easque expediebat pari ædificatione & brevi- *Castitatis custos.*

brevitate. Charitate, patientia, obedientiâ præstans, & æger, & sanus nihil unquam aggrediebatur, nisi habito superioris ita volentis, nutu: qui nutus etiam sufficiebat ad inchoatum quodlibet opus omittendum.

XXIV. NOVEMBRIS.

Litera Pii IV ad Regem Hispaniæ pro Soc.

1. PIus IV Pont. Max. cognito decreto, in Hispania condito, quo vetabat rex Philippus II, ex Hispania Romam mitti Collegio Romano subsidia quædam, plenissimam affectu paterno epistolam dedit anno 1561 ad eundem regem pro Societate, & in particulari, pro Collegio Romano. Et officio, inquit, nostro convenit, Religiosam vitam degentes patrocinio nostro diligenter tueri ac fovere; & regibus maximè expedit, de servis ejus, per quem ipsi regnant, quàm optimè mereri. Dominus noster in servis suis recipitur, & honoratur, sicut ipse in Evangelio dixit: Qui recipit vos, me recipit. Sed inter Religiosorum Ordines, singulari ab Apostolica Sede studio, meritò complectendus est is Ordo, qui non ita pridem institutus, & ab hac Sancta Sede confirmatus, JEsu Societas appellatur. Hi enim operarii, licèt novissimi, tanquam nonâ diei horâ, in vineam Dominicam ab ipso Domino inducti sunt: adeò strenuam tamen, & utilem operam navare cœperunt: ut non modò spinas ex ea, & vepres evellere aggressi sint; sed ipsam etiam alibi auxerint & propagârint. Incredibile ferè est, quantum tam brevi tempore hic Ordo profecerit, quantum Ecclesiæ DEi utilitatis attulerit &c. Descendens postea Pontifex ad Collegium Romanum; Hujus Ordinis, inquit, maximum in hac alma Urbe Collegium habemus, quod tanquam Seminarium quoddam est aliorum, quæ per Italiam, & extra Italiam in Germania & Gallia propagantur. Ex hoc uberrimo Seminario Apostolica Sedes instituit delectos idoneos Ministros, tanquam generosas & frugiferas plantas, alios aliò, prout usus venerit, conserendas mittere. Nullum unquam hi laborem pro DEi honore, & hujus Sanctæ Sedis obsequio recusant - Itaque multum debemus huic Collegio ita de Religione Catholica merito, & assiduè merenti - - Quamobrem Majestatem tuam hortamur in Domino, rogamus, & in remissionem peccatorum suademus: ut pro tua præsenti in DEum pietate, in Religiosos & bene de Christiana Religione merentes Ordines, liberalitate, sicut Rex verè Catholicus, hoc Collegium complectare, & quàm commendatissimum habeas &c. *Sacchin. hist. Soc. p. 2. lib. 5. num. 158.*

Eodem

Eodem die obierunt.

2. Salmanticæ in Hispania, anno 1601, P. Franciscus Ribera Hispanus, Concionator & animarum zelator præstans. Talis cùm etiam in sæculo esset, Societatem ingressus est, postquam à P. Martino Guttierez audivit: *DEO consecrandum esse, quod habemus optimum*, id est, liberam voluntatem. Magistro P. Balthasare Alvarez, eos fecit in virtute solida progressus: ut exemplar esset perfectionis religiosæ. Concionantem ad populum, vidit S. Theresia, quæ ipso utebatur Confessario, ingenti splendore circumfusum; Christum verò Dominum assistentem, atque in ejus humeros reclinatum, eumque suavi amplexu foventem. Audivit quoque dicentem: *Hic est, ô Anima, qui sensu germano scripturas meas, ea veritate, quam ipsi infundo, explicat. Novit ipsum earum pretium expendere, quas ego mortalibus mei sanguinis effusione comparavi. Gratulare tibi, quod eum habeas à Confessionibus; obtempera dictis ipsius: ita voluntati meæ feceris satis.* Tertio post mortem die visus est multâ gloriâ conspicuus ante thronum DEi, è cujus pectore pulcherrimus lucis radius promicans, P. Franciscum miro splendore & gaudio perfundebat. Unde patet: quantum authoritatis debeatur doctissimis ejus Commentariis, quæ edidit in 12 Prophetas Minores, in Epistolam ad Hebræos, atque in Evangelium & Apocalypsim S. Joannis.

Interpres à Christo laudatus.

3. Villagartiæ in Hispania, anno 1621. P. Bartholomæus Perez, Hispanus. Regularum amantissimus, & observantissimus, semper eas circumferebat in sinu. Quoties è cubiculo prodibat, fere semper Tabernaculum Eucharisticum invisebat. Jam morti proximus, & viribus destitutus petiit; an posset bonâ conscientiâ omittere annotationem consuetam punctorum, in Libello Examinis particularis? manabatque jugibus lacrymis, quod tempus in Societate non optimè, juxta genium ipsius, collocasset.

Regularum observantia.

XXV. NOVEMBRIS.

1. HAbita est anno 1603 Congregatio & disputatio de Aux. coram Clemente VIII vigesima secunda. Argumentum disputationis fuit: *An, quod liberum arbitrium ex se, separatum à gratia, nihil habeat à Deo, nisi possibilitatem illam, quam DEus tribuit ab initio, sit ex sententia S. Augustini, vel potiùs Pelagii?* Respondit P. Bastida, distinguendo tres sensus istius quæstionis, ostenditq; ex mente S. Augustini, & Molinæ, Liberum arbitrium concurrens ad actum bonum, plus omnino habere à DEo, quàm possibilitatem illam. Quia DEus per gratiam suam ipsum arbitrium movet, excitat, & adjuvat, ut actu operetur, & non solùm possit operari. Prolixè, clarè & nervosè hæc deduxit Bastida. *Eleuther, de Auxil. lib. 5. cap. 26.*

Disputatio de auxiliis gratiæ

2. B. Aloysius Gonzaga, à DEiparâ monitus de ingredienda Societate, toto triennio cum Patre Marchione Castilionensi, invictâ constantiâ luctatus, tandem assensum obtinuit, & anno 1585, die Divæ Virgi-

B. Aloysius ingreditur Soc.

ni ac Martyri Catharinæ ſacro, Romæ tyrocinium Societatis eſt ingreſſus. *Sachin. hiſt. Soc. p. 5. lib. 5. n. 45.*

Cordubenſe Collegium.

3. In Hiſpania anno 1553 Cordubam venerunt Socii ad inchoandum Collegium, quod noſter P. Antonius Corduba, vir de principe familia, moliebatur; ſed abſolvit Joannes Corduba, ei ſangvine junctus, Decanus Cordubenſis. Erat is & genere & opibus præpotens, avidus autem cognoſcendæ Societatis. Ubi ergo audivit, veniſſe Cordubam Patrem Villanovam cum Sociis, omnes invitat ad ſe, hoſpitium præbet, liberaliter hoſpites habet; ſemper autem intentiſſimus, & diu noctuq; deditus explorandis eorum non ſolùm moribus, ſed mentibus; dabatq; paſſim occaſionem, ut eos caperet. Sed dum hoc agit ſolicitiùs, capitur ipſemet. Cùm enim nihil deprehendere poſſet tota induſtriâ ſuâ, alienum à moribus religioſis: ſuſpicere cœpit ac amare Inſtitutum tale, eoq; res devenit; ut domum propriam offerret pro Collegio, redditus quoq; aſſignaret annuos; & quod caput eſt, vitam ipſe, ſtatui ſuo non conformem, cum ſtupore civitatis mutaret in Prælato Eccleſiaſtico dignam. *Orlandinus hiſt. Soc. p. 1. lib. 13. n. 39.*

Eodem die obierunt.

Eccleſiaſtes eximius.

4. Aviſii in Luſitania anno 1590, P. Ludovicus Alvarez, Luſitanus, Concionando tantam nominis celebritatem aſſecutus fuit: ut Summus Pontifex P. Præpoſito Generali dixerit, ſibi relatum: Comparuiſſe in Luſitania novum quendam Paulum, è Societate: ita ardebat ejus oratio, & intimas oſſium medullas penetrabat. Etiam in provecta ætate, pedes obibat Miſſiones trans Tagum, libros ipſe bajulans, & cibi aliquid: ſi nihil ſecum attuliſſet, precariò victitabat, Xenodochio diverſorii vice uſus.

Prophetia de mundo muliebri ſplendidiore.

Mundum muliebrem inſolentiorem acerrimè inſectatus, prædixit: Brevi fore, ut vanum petulantemque illum ſplendorem barbaris darent fœminæ, ad redimendos è vinculis maritos. Quod evenit poſt funeſtam illam Sebaſtiani regis in Africa cladem. Putatur P. Ludovicus veneno ſublatus à quodam, cujus pravos mores corrigere ſtudebat.

Unus eſt totus Collegium.

5. Madriti in Hiſpania anno 1627, P. Rodericus Ninno de Guzman, Hiſpanus, Illuſtriſſimos natales ſplendida virtute, & ſingulari animas juvandi ardore ornavit. Ut obſcurus & ignotus viveret, quàmvis ſublimioribus tradendis ſcientiis perido- neus, Grammaticæ claſſi infimæ docendæ applicari, efflictim petiit, & obtinuit. Sed non diu lucerna hæc ſub modio illo latere potuit. Evectus ad Cathedram Eccleſiaſticam miros plauſus, & animorum motus excitavit; ſemelque auditus à Philippo IV. rege, mox in Aulicum Concionatorem aſſumptus eſt. Illud ſingulare, & planè mirandum: quòd ſive Collegio, ſive Domui Profeſſorum præeſſet, ſive Provinciam gubernaret, perinde aſſiduus occupabat Confeſſionale, perorabat è Cathedris, ſerviebat in Noſocomiis, exhortabatur Sodales, inſtituebat rudes, inviſebat & morti parabat ægros; ut in proverbium venerit apud ſocios: P. Rodericum in ſe uno totum Colle-

gium

gium circumferre, eo; quòd solus omnium munia impleret. *Ex Tannero.*

XXVI. NOVEMBRIS.

1. IN Academia Ingolstadiensi Theologicas lectiones auspicati sunt anno 1549, Patres Salmeron, & Canisius. Salmeron Epistolas D. Pauli, Canisius Magistrum Sententiarum explanandum suscepit; Jajus, qui unà cum illis tunc advenerat, sed jam antè ibidem legerat, Psalmos Davidicos postea est interpretatus. Magno cum gaudio & honore venientes ex Italia excepti sunt Dilingæ à Card. Augustano, Monachii à Duce Bavariæ, Ingolstadii ab Episcopo Aistetensi, & Academia tota; cujus Doctores omnes atq; Magistri ad eos consalutandos in diversorium convenerunt, atq; hospites liberali epulo exceperunt. Nec fefellerunt isti spes de se conceptas, in id totis connisi viribus, ut Catholicam juventutem in fide firmarent, hæreticorum corruptelas arcerent, ac extirparent. *Orlandinus hist. Soc. p. 1. lib. 9. num. 53.*

Ingolstadii nostri docent.

2. In Hispania, dum Roma desudat in examinando P. Molinæ libro, jam fama volitabat, confixum esse, & Societatis doctrinam prope diem esse damnandam. Rumor hic cùm ad ipsum Philippum III Regem pervenisset, non distulit literis, quas hoc die anno 1598 dedit, convenire Clementem VIII, rogando: ut pro sua authoritate & sapientiâ pacem conciliaret inter dissidentes Ecclesiæ utilissimos, Ordines duos. Alias dedit literas ad Oratorem suum Romæ degentem, Ducem Sessæ: quibus ei commendat, ut procuret, ex æquo bonoq; judicium exerceri; ut neutra pars dissidentium, ulla in re iniquiore conditione prematur. Audiantur prius, & tum demum causâ satis cognitâ, jus æqualiter administretur. Multum contulisse videtur hæc solicitudo & authoritas regis: ut Pontifex non staret judicio Censorum libri Molinæ: sed totam causam ad se transtulerit. *Eleuther. Hist. de Auxil. lib. 3. cap. 5.*

Litera Regis Hisp. in causa Molinæ.

Eodem die obierunt.

3. Mutinæ in Italia anno 1629, P. Joannes Argentus, Italus. In Italia, Austria, Polonia, Transylvania, insignia prudentiæ, zeli, conjunctionis cum DEo, & perfecti Religiosi edidit exempla; fuitque passim in ea æstimatione; ut defuncto Præposito Generali, Claudio Aquaviva, licèt absens, viginti novem suffragiis ad id muneris fuerit desideratus. Nullus illi in agendo fucus, unica in diem refectio, pro lectulo ursina pellis, paterna erga omnes facilitas, eximia in Virginem DEiparam & S. P. Ignatium, pietas; ut meritò creditum sit, eos conspectu suo ipsum recreasse.

Absens habet suffragia pro Generalatu.

4. Romæ anno 1572, P. Joannes Bapt. Sànchez, Hispanus. Vir quàm severus disciplinæ religiosæ exactor à se ipso, tam impatiens erratorum alienorum. Unde cùm in

Defectuũ osor.

in Sociorum quibusdam nonnulla adverteret errata, ad ipsam Societatem ea referebat, putabatque ipsam labi in deterius. Romam igitur evocatus, & venit obedienter, licèt à morbo fractus; & melius de Socierate sentire didicit. P. Balthasari Alvarez aliquando dixit: sibi ad mortem præ dolore oppetendam satis fore; si sciret, se uno adhuc integro die victurum. Ita cupiebat dissolvi, & esse cum Christo.

Concionator S. Palatii. 5. Romæ anno 1681, P. Joannes Paulus Oliva, Italus Genuensis, Præpositus Generalis Societatis JESU. Avum & Avunculum habuit Serenissimos Duces illius Reip. Concionandi munus per annos plurimos tanto plausu & fructu sustinuit: ut à 4 Summis Pontificibus, Innocentio X, Alexandro VII, Clemente IX & Clemente X, in Concionatorem S. Palatii Apostolici fuerit adlectus. Spiritum ipsius satis produnt Volumina edita. Onus gubernandi Societatem ob valetudinis imbecillitatem deponente P. Goswino Nickel: suffectus eidem est à Congregatione Generali cum plena gubernandi potestate; & jure succedendi. Gubernavit Societatem annos viginti, insigni temperamento suavitatis & disciplinæ, ac exquisitæ prudentiæ encomio.

XXVII. NOVEMBRIS.

Panormi novum Collegiũ. 1. IN Sicilia Panormi jacta sunt anno 1586 fundamenta novi Collegii. Quod enim anno 1549 conditum fuit, minùs commodum videbatur, & potiùs Domui Professæ accommodatum. Consignatum ergo est Professis, novumq; unà cum Scholis inchoatum. Primo lapidi jaciendo manum admovit Prorex ipsa Siciliæ, cum amplissimo Senatu. *Sacchin. hist. Soc. p. 5. lib. 6. num. 16.*

Decretum de origine Carmelitarum. 2. In Urbe emanavit tandem Anno 1698 Decretum Innocentii XII, quo, post multas altercationes, inter PP. Carmelitas & P. Danielem Pappenbrochium è Societate nostra ferventes (de Antiquitate & Origine Sacri Ordinis Carmelitarum ab Elia & Elisæo Prophetis) utrique parti severum indicitur silentium: ut nec in libris impressis, nec in dissertationibus, nec in disputationibus, nec in Thesibus scriptis vel impressis, de hac materia affirmativè vel negativè tractetur. *Ex literis Rom.*

Eodem die obierunt.

3. Mexici in America, anno 1595, P. Jacobus Herrera, Hispanus, humilitate, pietate atque animarum zelo eximius. Tam scitè sanctèque tractabat animas, quæ se ejus directioni commiserant: ut præter alios præclaros fructus, trecentæ Virgines, illius institutione, ad cælestem in variis cœnobiis vitam degendam transierint.

S. Ignatius minatur exitium. 4. Duaci in Belgio anno 1617, Matthias de la Saulx, Belga Coadjutor. Magna curandorum ægrorum peritia, nec minor erga eosdem charitas in eo eluxit. Sed omnes præclaras ejus dotes vix non corrupit intempestivum & pertinax desiderium Sacerdotii. Jam enim postridie dimittendus erat è Societate: cùm noctu per quietem, videre sibi visus est S. P. Ignatium, ad pedes lectuli consistentem, & formidabili manu exitium sibi comminante, si non persisteret in Societate. Tum ille in uberes lacrymas effusus, manè sine mora ad superiorem advolavit, & damnato errore suo, po-

testatem in Societate manendi efflictim petiit, impetravitque; in qua deinceps ita vixit; ut omnibus charus, pretiosam meruerit mortem in obsequio pestiferorum.

5. Hispali in Hispania, anno 1611, P. Petrus Fontanus, Hispanus. A teneris Divinæ Eucharistiæ, ac DEiparæ V. cultui addictissimus, ut illis placeret magis, non castam solùm, sed nitidissimam servare conscientiam studebat. Ne verò per humanam fragilitatem nævi aliquid subinde contraheret: mortem potiùs impensè optabat. Ad quam celeriùs obtinendam. Novemdiale Sacrum Beatissimæ V. instituit: cùm autem putaret, se nihil impetrasse; voluntati divinæ se plenè permisit. At propior, quàm putarat, mors aderat; hominemque, quò desideraverat, abripuit intra paucos dies. *Mors impetrata.*

XXVIII. NOVEMBRIS.

1. IN Germania anno 1590, disputatum feliciter cùm hæreticis. Marchio Badensis Acatholicus medico utebatur domestico, Joanne Pistorio: qui inita cùm Patribus Collegii Spirensis familiaritate, conversus tandem est ad Fidem & Religionem Catholicam. Is misto sæpiùs cum Marchione præfato de Religione colloquio, paulatim suspectam ei fecit sectam Lutheranam. Marchio, vir prudens, saluti suæ consulturus, ut certi aliquid circa Fidei controversias assequeretur, optavit colloquium alicujus ministri in secta sua celebrioris, cum suo Pistorio; scripsitque ea de re ad ducem Wirttembergensem. Dux suasit Jacobo Andreæ Smigdelino, eo tempore inter Lutheranos rabulas famoso: ut præclaram susciperet occasionem, de sua religione merendi. At ille, ut tumidum est hoc hominum genus, prætendit: indecorum esse sibi, homini Theologo, disceptare cum medico de religione; adesset sibi par Theologus Catholicus, non recusaturum se congressum. Accepta facile conditio, rogatusque adfuit sine mora P. Theodorus Busæus, Collegii Molshemiensis in Alsatia Rector, vir appprimè doctus. Locus certamini designatus urbs Bada, seu Badena: eò se minister, magna stipatus symmistarum manu, contulit, sub finem Novembris. Certatum eventu non dubio: ut patuit ex conversione Concionatoris aulici, qui victus Catholicorum argumentis, Ecclesiæ accessit. Marchio quoque in conscientia convictus erat: ne tamen Religionis mutationem leviter suscepisse videretur: aliud colloquium indicendum putavit, ad quod invitavit Doctorem Ægidium Hunnium. Sed is Smigdelini clade territus, recusavit. Suscepit tamen eam spartam Joannes Pappus Doctor Argentinensis, comparuitque cum octodecim Badensis Provinciæ ministris, ante omnia professus: se nec cum Pistorio, nec cum Jesuita verbum facere velle, sed cum solo Concionatore aulico, nuper, ut a- *Disputationes cum hæreticis.*

jebat, seducto. Verùm nec ex isto condictu palmam tulit hæresis. Concionator ille, DEO opitulante, tam strenuè rem egit contra Pappum: ut Marchio planè convictus, dicere solitus sit: præcipuam suæ conversionis causam fuisse Pappum, miserè profligatum. Accito igitur P. Theodoro, Lutheri errores execratus est, primus è Principibus Imperii conversis; 15 die Julii palàm Fidei Catholicæ fecit professionem, prædicantes è tota ditione sua proscripsit, fana occlusit, nihil metuens terrores & arma principum vicinorum. Aliis igitur artibus impetitus est, & porrectis venenatis cerasis sublatus, zelosissimus Princeps: è cujus linea descendentes Marchiones, etiamnum Catholici perseverant. *Sacchin. hist. Soc. p. 5. lib. 10. num. 104. &c.*

Eodem die obierunt.

2. Tornaci in Belgio anno 1614, P. Oliverius Manaræus, Belga. Ab ipso S. P. Ignatio hausit primitias Spiritûs Societatis, quas continuis magnisque incrementis auxit. Romanum Collegium primùm, deinde Lauretanum rexit; ubi cùm cubiculum quoddam lemures infestarent, lecta S. Ignatii Epistolâ, importunos hospites exegit. Ibidem non semel prodigiosam DEiparæ V. opem expertus est, tum in annona tum in pecunia suppeditanda. Etiam cùm summa quæque in Societate munia gereret; nullum, vel Novitium, diu coram se aperto capite stare passus est; quàm humilis, tam charus omnibus.

Lemures pelluntur.

3. Nangasachi in Japonia, anno 1629, Leonardus Kimura, nobilis Japon, Coadjutor. Quàmvis literis satis tinctus esset, maluit tamen Coadjutorum classi adscribi. Proscriptis è Japonia Sociis, perstitit constans, latuitque aliquantisper in solatium & opem Christianorum. Comprehensus, conjectus est in angustum carcerem, cujus ærumnas integro anno fortiter & lætus toleravit; distributisque in morem Collegii pietatis exercitiis, carcerem in domum religiosam, imò in Ecclesiam convertit, conversis in illo baptizatisque octoginta sex capitibus. Interrogatus à Judice, cur contra decretum Imperatoris perstitisset in Japonia? Respondit: *ut Christi Evangelium prædicarem.* Tum Judex bis repetita voce sententiam dixit: *Ergo igne absumendus es.* Amplas egit gratias Leonardus. Alligatus stipiti, sine ullo doloris signo, stetit magnanimus; ubi verò ignis vehementiâ combusta sunt vincula; libera utrâque manu ardentes prunas collegit, & illis caput, velut rosis, coronans, exultabundus cecinit: *Laudate Dominum omnes gentes &c.* & invictum spiritum DEO tradidit.

Victima fidei.

4. Brugis in Belgio anno 1621, P. Joannes Mans, Belga. Cùm pestifera lues civitatem acerbè affligeret, Episcopus & Magistratus opem ab illo, ut Rectore Collegii imploravere. Non est passus P. Joannes alteri gloriosam hanc cedere palmam; se ipsum obtulit, & multis magnisque meritis mortem pretiosam sibi comparavit.

Victima charitatis Rector.

XXIX. NOVEMBRIS.

1. IN Congregatione & disputatione XXXIV de Auxiliis Gratiæ, habitâ anno 1604 coram Clemente VIII, demonstravit P. Ferdinandus Bastita:

ſtida: Scientiam futurorum contingentium conditionatorum, quam diſputatione præcedente probaverat, dari in DEo, eſſe omnino certam & infallibilem; & non conjecturalem tantùm, ſeu probabilem. Talis enim maximè dedecet intellectum infinitè perfectum, cui nuda & aperta ſunt omnia. *Eleuther. hiſt. de Auxil. lib. 5. cap. 45.*

Scientia futurorum contingentium conditionatorum.

2. Anno 1572 poſt beatum Pii V. obitum, ſucceſſit auſpicatiſſimè in Eccleſiæ univerſalis regimen Gregorius XIII: ſed continuò rumor in Aquilonares Provincias emanavit; creatum eſſe Pontificem alieniſſimum ab Jeſuitico nomine; & jam illos ex urbe expuliſſe. At planè oppoſitum evenit: ſtatim enim ab initio ſui regiminis perbenignum ſe Societati exhibuit; crevitq; deinceps continuò beneficentia uſq; eò, ut vix ultra poſſet. Primum beneficentiæ ſpecimen edidit, quando ſub extremum Novembrem, re communicata cum præcipuis Cardinalium, diligenterq; diſcuſſâ, permiſit: ut Societas priſtinis juribus ſuis ac Privilegiis à Sede Apoſtolica conceſſis, liberè ac integrè frui poſſet; adeoq; ſuſtulit Chorum recenter inductum à Pio V, & ſolemnem Profeſſionem, quam idem emitti voluit ſtatim cum ſuſcepto Sacerdotio, reduxit ad terminos in Inſtituto Societatis deſignatos. *Sacchin. hiſt. Soc. p. 3. lib. 8. num. 12 & ſeqq.*

Gregorius XIII beneficus erga Societatē.

Eodem die obierunt.

3. Valliſoleti in Hiſpania anno 1611, P Antonius de Padilla, Hiſpanus. Grandibus procerum titulis & fortunis ſe exuit; ut pauperem Chriſtum in ejus Societate indueret. Humilitas illi pro primo Spiritualis vitæ lacte, & omnium adverſorum condimento, erat. In tyrocinio juſſit illum aliquando P. Balthaſar Alvarez, ejus Magiſter, à menſa ſurgere, & ante portam domûs cum mendicis manducare. Fecit alacriter; diebusque Sabbathi exibat cum emptore, & emptas carnes humeris domum deportabat. Pro pulpito audiebatur ſecundiſſimis auribus; dicebatque de illo Rex Philippus II. *Satis eſſe ad permovendam concionem, videre in pulpito P. Antonium, tanta mundi deſpicientiâ glorioſum.* Cùm ei Burgenſis Archiepiſcopatus offerretur, dixit: *Sibi pro morte lectulum unicum; eumque rudem ac vetuſtum, ſufficere.* Quamvis vitam ſeveriſſima virtute tranſegiſſet; in morte tamen imminentis judicii intuitu viſus eſt trepidare. Sed accepto divino Viatico ſe ipſum animans. *Quid timere,* ajebat, *debeo, Domine mi; cùm mihi dixeris, quòd me clauſum in tuo corde geſtes? Cùm ita ſit, eamus, quo vis, non eſt, quod pertimeſcam.* Et obiit placidè horâ, quam prædixerat.

Humilitas.

Contemptus bonorum.

Mors intrepida.

4. Miliſtadii in Germania anno 1633, P. Petrus Ximenez, Hiſpanus, magnum in Annalibus Auſtriæ nomen. Græcii & Olomutii multa fortiter atque utiliter egit contra hæreticos, qui ibi dominabantur; viditque dulces laborum ſuorum fructus. In cauſa DEi & Religionis, nullis movebatur reſpectibus humanis. Unde Viennæ quosdam, qui cum fœminis nutibus colloquebantur, prehenſa manu è templo eduxit, dicens: Locum illum DEo ſacrum eſſe, nec polluendum his ſordibus. Oratio illi prolixa,

Zelus domus DEI.

lixa, quæ illum aliquando à sensuum officio abstrahebat. Post Sacrum summa attentione peractum, duobus aliis intererat; ut suavissimo hospite suo familiariùs frueretur.

Concionator Apostolicus.

5. Romæ anno 1694. P. Paulus Segneri, Italus, Missionarius per Italiam, & Concionator planè Apostolicus. Cùm circa annum 1663, ad sacrum Exercitiorum spiritualium solitudinem Perusii se recepisset; audivit DEum in corde sibi loquentem: *Volo, ut amemus invicem.* Fuisse hanc DEi vocem, mox probavit eventus. Ab eo enim momento mutatus in virum alterum, qui semper probus Religiosus fuerat, maximis passibus ad culmen perfectionis evasit, passim pro Sancto habitus & proclamatus; à summo etiam Pontifice expetitus, pro concionibus in aula habendis; quibus omnis conditionis hominibus, non aures mulcebat, sed loquebatur ad cor, in virtute DEI. *Ex Epistola P. Pinamontii ejus Socii in Missionibus.*

XXX. NOVEMBRIS.

Lauretanum Collegium cedit nostris.

1. ANno 554 erectum est Collegium Lauretanum Pœnitentiariorum à Julio III Pont. Max. datulq; illi est primus Rector P. Oliverius Manaræus. Expedivit illuc S. Ignatius Socios 14 in fine Novembris, jussu Pontificis: qui cum propter confluxum populi sufficientes non essent, aucti sunt postea usq; ad viginti. Quàm gratus ibi fuerit DEo Sociorum adventus, & labor: declaravit insigni ostento. Dum enim quidam è Patribus concionem dicit ad Canonicos & populum, alii verò in exedris constitutis dant aures & operam pœnitentibus: visus est multis, cælestis quidam splendor è fastigio templi labi supra Sanctam DEiparæ Domum, templo inclusam; ubi cùm aliquamdiu consedisset, digressus est ad Pœnitentiariorum tribunalia, superq; capita ipsorum & confitentium ferebatur tempore notabili. *Orlandinus hist. Soc. p. 1. lib. 14. num. 23. &c.*

Ignis supra pœnitentiarios.

Angeli laudant Societatē.

2. Etiam per Angelos declaravit DEus anno 1650, hoc die: quàm acceptus ei sit labor Societatis, specialiter Missionariorum. Perpiniani, in Comitatu Roussilionensi, nunc Gallis subjecto, cùm præter bella, fames & pestis affligeret populum: instituta est Missio Societatis pro excitanda populi devotione majore, ad placandam Divinam Majestatem. Recitabantur Litaniæ Marianæ in regali Parochia, frequenti populo præsente: cùm ecce religiosior quidam è Missionariis nostris, videt DEiparam V. aræ majori insidentem, ingenti splendore circumfusam, cujus latera stipabant SS Ignatius & Xaverius; Angelorum autem Chorum numerosissimum & suavissimum, audivit occinentem: Gaude atq; exulta, Augusta cæli Angelorumq; Regina. Gaude & tu Ignati, gaude Xaveri. O te Beatum Ignati, qui eos nactus es filios, qui tot animas à peccati vinculis, infamiq; servitute eripiunt, & laboribus suis verè Apostolicis, cælum

lum implent tot tantisq; animarum manipulis. Quæ porrò felicitas, quæ beatitas, ex illa esse Societate, quæ adeò constanter & operosè hominum saluti ac perfectioni incumbit? O generosi Societatis Missionarii ite læti, ite alacres - - Vobis inprimis amici sumus, ut vos adversùs hostes tueamur, & omnia à capitibus vestris mala propulsemus. O gloriose Ignati gaude; qui filios habes, quibus vel maximè favet cælestis Pater, quos amplectitur DEus Filius, quos impensiùs amat Spiritus S. & potentissima Regina nostra. Et tu gaude ô gloriose noster Seraphim Xaveri: qui ad divina illa animarum lucra & dux fuisti, & lumen ipse prætulisti. Tibi debetur illa laus, illa gloria qui aliis ad sacras illas expeditiones exemplo illustriore præfulsisti. Gaude ergo, gaude magne Seraphim Xaveri! MARIÆ verò gloria! quæ ad pios illos ausus animos fecit, & consilia saniora suggessit. - - Gloria MARIÆ, gloria Ignatio, Gloria Xaverio! Gloria, gloria, gloria in æternum, in æternum! *Hæc cælestes genii, quorum aspectu cantuq; per mediam circiter horam recreatus est Missionarius ille. Ita refert Jacobus Lobetius Tom. 1. Quæst. in Domin. & Festa, quæst. 4. in Domin. 3 post Pentec. super illa verba*: Gaudium erit in cælo super uno peccatore &c. *Gomez in Elog. Soc. p. 3. classe 3. num. 8.*

3. Gerundæ in Aragonia anno 1658 insigni miraculo sanitatem subitò restituit moribundo Venerabilis Pater Franciscus Suarez. Jacebat in Seminario desperata jam valetudine Magister è nostris: quem cùm quidam è Patribus supremis Sacramentis procurasset, magnâ noctis parte apud ægrum transacta, existimans superventurum in crastinum, recepit se in Collegium. Sensit autem vehementem instinctum, ut aliquid de reliquiis Ven. P. Francisci deferret ad ægrum, ac per ipsum à DEo posceret sanitatem moribundo, ad augendum Doctoris nostri æstimationem & honorem. Manè sumpto reliquiarum loco, à charta rescisso chirographo, manu P. Francisci exarato, redit ad ægrum, schedamq; illi magna cum fiducia imponit. Nec mora: exclamat protinus æger: Revixi! P. Suarius me invisit, sanitatemq; reddidit! Videbatur non nemini aberrasse à mente: sed ille idem ingeminans, paulò pòst è strato se proripuit, totus in sospitatoris sui laudes effusus. *Massejus in Vita P. Suar. cap. 24.* *P. Suarez sanat infirmum.*

Eodem die obierunt.

4. Compluti in Hispania anno 1597, P. Milan, seu Æmilianus Garcia, Hispanus, Concionator ardens, operarius indefessus, & multis peccatorum conversionibus felix. Inter dicendum visus est non semel tota facie collucere; aliàs in festis Pente- *Concionator illustris.*

costes conspecta est Columba imminens capiti perorantis. Moriens, impensè rogavit, & obtestatus est Patres circumstantes; ut cum S. Paulo non aliud, quàm JEsum prædicarent.

5. Osnaburgi in Germania anno 1630, P. Joannes Teintzerus, Germanus. Multos ad fidem Catholicam, non paucos ad vitam religiosam adduxit, sua illa de divinis loquendi eximia facultate. Osnaburgensis domicilii Procurator, & subinde Superior, ut difficillimis temporibus ex magnis angustiis, in quas ab hæreticis conjecti erant, expediret nostros; author fuit: ut post meridiem Litaniæ Lauretanæ de B. V. dicerentur (qui mos etiam deinde perstitit) præsentissimamque DEiparæ opem sunt experti.

Litania Lauretana efficaces

6. Polociæ in Litvania anno 1650, P. Adamus Ciecierski, Polonus. Ad pietatem & pias lacrymas apprimè promptus, ad expediendas è vitiorum cæno animas dexter fuit, infestum sibi propterea dæmonem passus, sed facile debellatum. Paralysi tactus, putabatur non procul abesse ab horâ extremâ: Sed B. Josaphat Martyr & Archiepiscopus Polocensis, ei spectandum se exhibens, adhuc triennium vitæ promisit; quo elabente, piè decessit, oculis plerumque intentis in eam lectuli partem, ubi olim conspexerat B. Martyrem, forte tunc etiam præsentem.

B. Iosaphat prædicit vitam prorogandam.

I. DECEMBRIS.

P. Christophorus Rodericius à Pio IV Pontifice, cum authoritate Nuncii Apostolici missus in Ægyptum anno 1561, ut Patriarcham Cophtorum, cum gente ipsi subdita, reduceret ad Ecclesiam, prout in animo sibi esse significarat; hoc die Patriarcham convenit Cairi, quæ veterum Memphis fuisse dicitur. Traditis illi literis Pontificis, paucis exposuit: quanta charitate ac studio Pontifex optet Unionem Ecclesiæ Cophtorum cum Romana; ideoq; se missum esse, ut hoc in negotio, quantam posset, præstaret operam. Respondit Patriarcha Gabriel: Gratiam se habere Pontifici, quòd ut verus Pastor & Pater omnium, curam Cophtorum susceperit, atq; ad se potissimùm Nuncium suum destinârit; quàmvis non pauci alii Episcopi ejusdem secum essent mentis, de Unione cum Ecclesia Romana. Se quidem diligenter adlaboraturum & Nuncii operâ plurimùm usurum. Hæc tunc. Paucis pòst diebus conveniunt apud Venetum Consulem Patriarcha & Rodericius: ubi iste alteras tradit illi literas Pontificis, quibus postulabat: ut Episcopum aliquem mitteret ad Concilium Tridenti congregatum. Adjunxit Rodericius ex voluntate Pontificis: ut Patriarcha juvenes aliquot Cophtos mitteret Romam, qui ibi Christiana Catholicaq; addiscerent dogmata, ac tandem ad suos deferrent: deniq; Pontificia obtulit munera, pretiosum splendidumq; apparatum sacrum. Perlibenter ea suscepit Patriarcha; de concilio respondit, missu-

P. Rodericius venit in Ægyptum.

rum se Episcopum anno sequente; de juvenibus deliberaturum: ne fortè Turcis res innotesceret. Tam prospera initia utinam similis coronasset exitus. *Sacchin. hist. Soc. p. 2. lib. 5. n.* 142.

2. Apud Sinas Imperator veteribus beneficiis suis insigne adjecit auctarium, hoc die anno 1691 ultro nostris offerendo erectionem novæ Ecclesiæ ac domûs suis sumptibus, extra Urbem Pekinensem, prope Villam suam, ubi magna anni parte commorari solet, cum magnatibus suis, qui ibi sua habent palatia. Locum designavit ipse medium inter ædes duorum primariorum ministrorum suorum, nostris & rei Christianæ addictissimorum. *Ex literis P. Antonii Thomæ datis ad P. Thyrsum Gonzalez Gen. Præp. anno 1691.* *Sinarum Imp. nostris beneficus.*

Eodem die obierunt.

3. Londini in Anglia anno 1581, P. Edmundus Campianus, Anglus, inclyti Martyris elogio passim honoratus. Romæ sublimioribus disciplinis instructus, jussu Gregorii XIII. Pont. Max. in Angliam rediit. Ibi, mirum dictu, quot hæreticos brevi tempore converterit, quot Catholicos in fide confirmarit, quot fortes in aciem pugnamque eduxerit pro fide athletas, præsertim edito in lucem exiguo libello, continente Rationes decem pro fide Catholica, quas nemo prudens legit, qui non probârit. Comprehensus & crudeliter tortus, post tormenta productus est ad disputationem publicam cum principibus sectariorum; ubi primùm ejus modestia & fracta tormentis valetudo, sannis excepta est, sed vis infracta argumentandi plausum & victoriam tulit non dubiam. Patibulo tamen addictus, more solito excarnificatus est, stupente vasto flumine Tamesi, Londinum præterfluente, quod eo tempore undis stetit immotis. *Victima fidei.*

4. Ibidem eodem die coronatus est P. Alexander Briantus, Anglus; vir oris Angelici, spiritus Apostolici. In carcere dira fame & siti, & postea equuleo sæpe cruciatus est. Cùm crucem gestans ad tribunal prodiret, jussus est illam abjicere. Sed ille, *Nolo*, inquiebat, *nolo usque ad mortem vexillum meum, Crucifixi miles deserere Iho, ut moriar pro illo, qui pro me mortuus est prior.* Suspensus igitur, & excarnificatus est, ùt Campianus. *Victima fidei.*

5. Methymnæ in Hispania anno 1633, P. Ferdinandus de Castro Palao, Hispanus. Pueritiam egit tam innocenter; ut vulgò audiret *Puer Prædestinatus*; in Tyrocinio Societatis *Angeli* & *Sancti* titulum est assecutus, quem vitâ omni religiosissimâ firmavit, & ornavit profundissima humilitate, rigida paupertate, & indefesso Religiosæ perfectionis, atque literarum studio. Post Theologiæ Scholasticæ curriculum magnâ eruditionis famâ exactum, totum se dedit Theologiæ Morali, quam septem doctissimis Tomis in folio illustravit; auditus Compostellæ ab auditorio tam frequenti, ut nec antè nec pòst simile sit visum. *Soutvell. in bibl. Soc.* *Innocentia vitæ.*

II. DECEMBRIS.

Decretum Parisiis contra nostros.

1. PP. Salmeron & Ribadeneira Bruxellas in Belgio pervenerunt, anno 1557 laboranti Societati subsidio futuri. Multum enim negotii facessebat Sociis Decretum Parisiis editum contra Societatem, sub nomine Academiæ illius, quàmvis re vera paucorum fuerit: eratq; id Decretum unica causa, quare Lovanium non admitteret Collegium. Dicebant enim: si falsum, iniquum & famosum est id Decretum: cur Pontifex illud non damnat? Sed Patres, ne universam concitarent Academiam, malebant illud concidere sine strepitu impulsu temporis, quàm supremæ authoritatis: nec defuit DEus Societati tempore opportuno. *Sacchin. hist. Soc. p. 2. lib. 1. n. 109.*

Cardinales aliquos volunt Lainium Pontificem.

2. Romæ, cùm anno 1559 Cardinales in Vaticano conclavi convenire non possent in eligendo Pontifice, post obitum Pauli IV: Otho Truchsesius, Cardinalis Augustanus, P. Lainium, Præpositum Societatis Generalem, ad se per libellum evocavit postridie Calend. Decembres, tanquam de re maximi momenti cum ipso tractaturus. Ut conspectus est in conclavi Laynez, Cardinales aliquot, quibus viri virtus & sapientia perspectissima erat, illico suspexerunt eum, tanquam divinitus missum, cœperuntq; agere de ipso in Petri sede collocando. At verò ubi vir humillimus, quanta res ageretur, intellexit, inhorruit, raptimq; se oculis illorum subduxit, tanquam de se indignis modis accipiendo, agi sensisset. Non tamen hæc fuga Cardinalium consilia repente discussit: sed duodecim è gravissimis, jam ad summum honorem illi deferendum consenserant non facile destituri; nisi Pontificiæ sanctiones, & inveterata exempla, non aliunde, quàm è Sacro Collegio, Pontificem assumi, postulassent. Hæc & apud multos Romæ vulgata sunt, & Otho ipse Cardinalis Augustanus post Lainii obitum, pro concione in exequiis, quas ei magnificas Dilingæ fecit, publicè prædicavit. *Sacchin. hist. Soc. p. 2. lib. 3. num. 47.*

Crucifixus sanguine sudat

3. Anno 1552 in Hispania in castro Xaverio conspecta est imago Christi Crucifixi sangvineo sudore manare: & postea nunciatum, eodem die Xaverium in India obiisse. *Nadasi in Indice Memor.*

Eodem die obierunt.

S. Xaverius Thaumaturg9

4. In Sanciano, insula Chinensi, anno 1552, S. Franciscus Xaverius, Magnus Indiarum Apostolus, & Thaumaturgus perpetuus, Magnam animam hoc die reddidit Creatori in terra deserta, ab omnibus desertus, inter dulces Crucifixi amplexus, post decennes in India Orientali labores, & plura quàm vigesies centena millia Ethnicorum

eorum baptiſmo luſtrata. Feſtum tamen ejus 3 Decembris celebrari mandavit Alexander VII. Pont. Max. Miraculorum multitudo & magnitudo, Thaumaturgi titulum illi aſſeruerunt, Potami, in oppido Calabriæ, numerantur ducenta & 42 patrata intra triennium. Unde à pluribus per orbem urbibus, provinciis & regnis, in ſpecialem Patronum & Protectorem ſolemniter eſt lectus: ut à regno Navarræ, urbe Neapolitana, Bononia, Parma, Placentia, Maſſa, Aquila, Tergeſto, Goritia, Epiſcopatu Varmienſi &c. In Indiis ab urbe Goa, Malaca, Macao, Mexico, Manaria &c. Navigationum quoque per mare Pacificum, & bellorum in regno Chilenſi cooptatus eſt Tutelaris. Hinc in ejus honorem non pauca condita templa & ſacella: ut Romæ, Neapoli, Panormi, Meſſanæ, Genuæ, Bononiæ, Tridenti, Arimini, Trenchinii in Hungaria, Spitalii in Carinthia, Brugis in Flandria, Pariſiis in Gallia, Lugduni, Ebreduni, Madriti in Hiſpania &c. &c. ut in omnibus glorificetur DEus, magnus & glorioſus in Servo ſuo Franciſco Xaverio.

Victima charitatis.

5. Briſaci in Alſatia anno 1635. P. Godefridus Feller, Belga, prodigus vitæ, obſequiis peſte ictorum devotæ, heroum morte deceſſit, cum novem aliis Sociis in Germaniæ locis variis. Anno autem 1638 Pragæ P. Georgius Aquitanus, Sileſius cum Sociis 4, ſimili morte concluſit vitam admodum religioſam, & Xaverianæ virtutis æmulam. Bis peſti graſſanti ſeſe objecit; & cùm ſuperior ex moribundo quæſiſſet, An paratus eſſet, pro DEo Conditore ſuo vitam profundere? mira vultûs hilaritate, & verborum emphaſi, reſpondit: *Ego verò unam hanc vitam DEO? O ſi millies millionum ſuppeterent; univerſas ſicut unam profunderem!*

III. DECEMBRIS.

S. Xaverii ope infirma ſanata

1. FEſtivitatem glorioſi obitûs Magni Indiarum Apoſtoli, S. Franciſci Xaverii, quæ in heſternum incidit diem, tranſtulit Alexander VII in tertium Decembris, unà cum Indulgentia plenaria, quam Gregorius XV, conceſſerat pro die præcedente. Officium ad ritum duplicem per univerſam Eccleſiam evexit Clemens X. Eandem feſtivitatem hoc die inſigni & evidenti miraculo illuſtravit DEus anno 1704 Romæ, quando ingenti & evidenti prodigio per prædictum Sanctum plena ſanitate repente donavit Sanctimonialem, dictam Angelam Mariam à SS. Trinitate, filiam Comitum de Silva, Profeſſam monaſterii S. MARIÆ de doloribus. Hæc à menſe Julio ad Decembrem graviſſimis torquebatur capitis, oculorum & pectoris doloribus, ex febri calida (qua non rarò mente movebatur) hydrope & aſthmate ortis; cumque Sorores ejusdem Monaſterii pridie feſti S. Xaverij urgerent medicum, D. Emmanuelem Lopez, ut omnem artem & medicinam adhiberet ad curandam ægram; reſpondit is: Ad eam curandam non medico ordinario, ſed Apoſtolo opus eſſe. Apprehendit eam vocem ægra, & quia ſciebat imminere feſtivitatem Magni Orientis Apoſtoli, ad illum mentem & omnem poſt DEum fiduciam convertit,

persuasumque habebat; se illico sanam futuram, si aliquæ sancti reliquiæ sibi admoverentur. Quam primùm ergo sequenti die eas pectori inter oscula & suspiria appressit, sensit se sanitate donatam, surrexit, ipsa se vestivit, & cum sororibus ad templum concessit, hymnumque Eucharisticum decantavit. Miraculum hoc mox ab ejus superiore, Confessario & Medico ritè firmatum est juramento. *Ex lit. Rom.* Tridentini cum sacra synodus Sessione 25, hoc die cœpta, varia de Regularibus cap. 16 sanxisset, subjunxit ibidem: *Per hæc tamen S. synodus non intendit aliquid innovare, aut probibere; quin Religio Clericorum Societatis JESU, juxta pium eorum Institutum, à S. Sede Apost. approbatum, domino & ejus Ecclesiæ inservire possit.* Quæ sententia sanctæ synodi plurimum æstimanda.

Gregorii XIII beneficentia in Societatem.

2. Romæ anno 1572, malevoli quidam, Gregorii XIII non pridem electi Pontificis aures assiduè onerabant; quòd in Jesuitas prodigalitate quadam congererentur Ecclesiarum, Monasteriorum, Abbatiarum & variorum Sacerdotiorum bona, præsertim in Germania. Polancus igitur Vicarius Generalis, accuratum hujusmodi beneficiorum Societati collatorum catalogum cùm obtulisset Pontifici hoc die, & ipse per otium considerasset: dolere se dixit, quòd essent perpauca; optare, ut essent longè plura & majora, pro alendis tam strenuis in vinea Domini operariis. Præstititque re ipsa, quod optaverat. *Sacchin. hist. Soc. p. 3. lib. 8. num. 20.*

Eodem die obierunt.

Victima fidei.

3. Mindanai, in insula una Philippinarum anno 1634, P. Joannes del Carpio, Hispanus, strenuus apud Indos pictos operarius. Cùm insulæ illius regulus æger, impiè vovisset; se si convalesceret, omnium, quos nancisci posset, Christum prædicantium Patrum capita Mahometo sacrificaturum; primus comprehensus est P. Joannes, & acinace altè impresso cæsus; cùm se DEO, positis humi genibus, victimam dedicaret.

Tormenta salutaria.

4. Londini in Anglia, anno 1641, P. Joannes Percey, Anglus, strenuus animarum zelator, inter gravissima pericula & ærumnas. Carceribus Londinensibus quadriennio & ampliùs maceratus, variis tormentis cruciatus, cùm exilium ei offerretur cum conditione non redeundi in Angliam: rejecit hanc, maluitque redire in carcerem. Inter alia tormenta, caput illi fune circumjecto, & fortiter contorto tam validè constrictum est; ut cranium ferè dissiliret. Sed ille ex hoc tormento, præter ingens meritum, id commodi tulit; quod aurium tinnitum, & gravem capitis dolorem, quo pridem laboravit, inde amiserit. *Ex Tannero*

Anima sana in corpore infirmo.

5. Senis in Italia anno 1608, initio Decembris, P. Franciscus de Benavides, Hispanus. Quantis foris affluebat opibus, utpote filius Comitis S. Stephani; tanto paupertatis tenebatur amore in Societate, ut fere solent ii, qui magis nobiles ac divites Religionem ingrediuntur. Corpus morbis satis fractum, voluntariis insuper crucia-

tibus

cibus ita atterebat: ut P. Hieronymus de Florentia diceret; se neque corpus pejus, neque meliorem animam unquam novisse, quàm in P. Benavides.

6. Bononiæ in Italia anno 1644, P. Georgius Justinianus, natione Græcus, patria Chius, & stemmate principum illius insulæ dominorum, vir magnâ industria & zelo ad animas juvandas instructus. Cùm Romæ humaniores doceret literas, ita discipulos virtutis amore inflammavit: ut ampliùs sexaginta ad religiosas domos convolârint. Admirabili concionandi facultate præditus, in insula Chio, & Byzantii Christianam pietatem multùm promovit. Bononiæ per annos 40, ita zelum suum explicuit: ut Apostoli Bononiensium nomen meruerit. Tredecim Sodalitates diversas ibi instituit, fovit, & provexit; quæ defuncto magnificum cenotaphium erexerunt. *Soutvell in bibl. Soc.* *Zelus animarum.*

IV. DECEMBRIS.

1. Gloriosissimam in India victoriam reportavit Lusitana classis exigua, septem duntaxat navium, de numerosissima classe Acenorum & fœderatorum gentilium, vaticinio & ope S. Xaverii: quam non solùm multò antè prædixit, verùm & cùm classes concurrerent, repræsentavit. A mense uno & dimidio nihil nuncii habebat civitas Malacensis de expeditæ classis suæ fortuna aut infortunio: ideoq; consternata sinistri aliquid ominabatur: cùm Xaverius hoc die, qui Dominicus erat, conscensâ cathedra, ut concionem diceret: non longè provectus sermone, hæret, vultum varium induit, nunc trepidantis, nunc exultantis, nunc lugentis, oculis in Christi Crucifixi effigiem defixis. Tum velut à sensibus abalienatus fari aliquid, sed fractis, & non intelligibilibus vocibus. Tenuit id spectaculum non modico tempore attonitum auditorem, præsertim ipsum, qui aderat, urbis Præfectum, Meilum: facileq; intelligebant, objectam illi esse divinitus speciem conflictus alicujus. Tandem erectus, nam caput velut lassum in oram cathedræ reclinaverat, atq; vultu Angelum spirans Recitemus, inquit, fratres, semel Orationem Dominicam & Virginis salutationem, ad agendas DEo gratias pro insigni victoria, quam hac ipsa horâ classi nostræ de Acenis dedit. Aderit die Veneris, illius nuncius, sequetur statim triumphans exercitus, lætus & hostium spoliis dives: quibus dictis pulpito descendit. Vaticinium feriâ sextâ cumulatè implevit eventus: Xaverius autem, qui præcipuè in ore exultantium ferebatur, maturata fugâ in oram Piscariam sese proripuit. *Bartolus in Vita lib. 2. n. 38.* *Lusitania classis victoria relata à S. Xaverio.*

2. Sancta Virgo & Martyr Barbara, cujus gloriosum agonem hoc die celebrat Ecclesia, vel hoc nomine charior nobis esse debet; quod B. Sta- *S. Barbara invisit ægrum B. Kostkam.*

Stanislaum Kostkam Viennæ ægrum inviserit & recreârit, quando ei Angeli divinam Eucharistiam ministrarunt. *Nadasi in Ind. Memor.*

P. Skarga Apostatam Deo reconciliat.

3. Cracoviæ anno 1585 P. Petrus Skarga obstinatum apostatam è Societate & fide, Christianum Franchen, multo labore & industria DEo & Ecclesiæ reconciliavit; atq; ad palinodiam, quam pertinax refugiebat, in principe templo, coram innumero populo canendam, induxit; discipulum etiam ejus in Arianismum delapsum sacro fonte tinxit eodem die, postquam eodem anno Veteranum quoq; Calvini asseclam & ministrum, Adamum Copichum, Ecclesiæ reddiderat. *Sacchin. hist. Soc. p. 5. lib. 5. n. 98 & seqq.*

Eodem die obierunt.

Victima fidei.

4. Jendi in Japonia anno 1623, P. Hieronymus de Angelis, Italus, & Simon Jempo Japon, odio fidei flammis traditi & combusti, post insignem à P. Hieronymo è flammis ad populum habitam allocutionem. In plures provincias fidem primus intulit; in regno Cami cum vix mille reperisset Christianos, brevi decem millia baptizavit. In ipso carcere, quadraginta ethnicos illo detentos convertit ad Christum.

S. Barbara spectabilis apparet

5. Limæ in Peruvia anno 1613, Petrus de Salazar, Hispanus. Ferventius aliquando orantem, & de cælestibus meditantem, Angeli fidium dulcissimo concentu recrearunt: Sancta verò Barbara, cujus cultui eximiè addictus erat, cum pluribus sanctis Virginibus ei spectandam se exhibens, quæsivit: An vellet proficisci in cælum, ubi placidissima quies & vita sempiterna? Annuenti Petro morbus paulò post occurrit, deinde pia mors in ipso divæ Barbaræ festo.

Castitatis cura

6. Flexiæ in Gallia anno 1644, P. Joannes Chevalier, Gallus. Præcipua illi à teneris annis cura fuit conservandæ Virginitatis, eamque ob causam intra religiosa septa in Societate se recepit, atque DEiparæ V. & Angeli Custodis opem studiosissimè implorabat, quam & expertus est. Quadam enim nocte sensit renes sibi, veluti cingulo, tam arctè ab Angelo Custode adstringi: ut in clamores eruperit; contra carnis illecebras deinceps satis munitus. DEiparam V. ut Matrem suam filiali coluit affectu, quæ se illi non semel adspectabilem, & liberalem præbuit in largiendis gratiis, quas P. Joannes pro infirmis & aliis petebat. Amore divino ita æstuabat; ut ardorem ferre non valens, exclamârit non rarò: O amor! O faces! O incendia pectoris! Nec otiosus erat ille amor, sed foras erumpebat, miraque in proximorum subsidium operabatur. *Soutvell in bibl. Soc.*

Amor Dei ardens.

V. DECEMBRIS.

Sodalitas Mariana Romæ.

1. GRegorius XIII anno 1584 Sodalitatem studiosorum in Collegii Romani Ecclesia erectam anno 1564, sub DEiparæ V. Annunciatæ clientela, Primariam esse jussit; amplamq; concessit facultatem similes alias per variarum provinciarum Collegia eidem aggregandi, cum participatione gratiarum & Privilegiorum Primariæ concessorum. *Sacchin. hist. Soc. p. 5. lib. 5. n. 14.*

2. Anno 1590 Gregorius XIV, creatus est Pontifex Max. antè Nicolaus Sfondratus, dictus, qui uti Gregorii XIV nomen assumpserat; ita pro sua virtute excellentiq; pietate in totam Ecclesiam, ac proprio quodam erga Societatem studio, repræsentaturus animum & tempora Gregorii XIII sperabatur. Magni faciebat, & familiariter diligebat Claudium Generalem: qui cùm de more illi offerret Societatis obsequia: Non poterat, inquit, cadere in quenquam hoc munus, qui magis esset affectus in hunc vestrum ordinem, quem nos amamus, & magni æstimamus. Sub hæc inter alia paternæ benignitatis indicia notabile contulit domui Professæ subsidium, ad dissolvendum æs alienum, & in singulos menses eleemosynam constituit Aureorum 50. Præterea Seminaria omnia, quæ Gregorius XIII inchoarat, non solùm confirmavit hortante Claudio, sed etiam quæ sub extrema Sixti tempora vel derelicta erant, vel lababant; assignatis ex ærario Pontificio pensionibus in integrum restituit. *Sacchin. hist. Soc. p. 5. lib. 10. num. 65.* *Gregorio XIV affectus erga Societatem.*

Eodem die obierunt.

3. In Mazua Sinus Arabici insula, anno 1596, P. Andreas Gualdanes, Lusitanus, Patris Andreæ Oviedo, Patriarchæ Æthiopiæ, socius. Post strenuos & fructuosos in Æthiopia labores, à Turcis comprehensus, odio fidei hastis transfixus, occubuit. *Victima fidei.*

4. Romæ anno 1653, P. Octavius Boninus, Italus. Frequenter se excitabat ad curandas diligenter res animæ, illo apophthegmate Christi: *Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Exhortationes, quas domi ad socios dicere parabat, Patri suo spirituali primùm ostendebat, rogabatque; ut limaret; quod si factum esset, libentiùs eas pronunciabat, tanquam cælesti calculo jam probatas. Nobilem virum in secreto conclavi adiit, & deprompta è sinu Crucifixi effigie, supplex in genua projectus, tam accommodatè fortiterque aggressus est; ut ad frugem meliorem reduxerit. Quadam in urbe cùm fœminæ colla pectoraque impudenter nudata, gestarent; Pater autem ex juvenibus virisque pluribus rescisset, se illarum aspectu graviter tentari; conventione facta cum Concionatoribus & Confessariis ejus loci, de non danda talibus absolutione, nisi meliora promitterent, fœda illa objecta brevi eliminavit. *Humilitas in exhortatione.*

5. Choynecij in Polonia, anno 1656, P. Stephanus Staroscirski, Polonus. Missionarius impiger, Ecclesiasten zelosum non solùm egit in vita mortali, verùm etiam post mortem. Cuidam enim è Sociis in Suetici carceris squalore tabescenti apparuit, monuitque: ut æternam vitam per patientiæ lucra contenderet adipisci. *Concionator vivus & mortuus.*

VI. DECEMBRIS.

1. IN India anno 1575, P. Valignanus Visitator Congregationem collegit Provincialem, non solùm de rebus Societatis, sed etiam promo- *Provincialis una in India.*

vendo Christianismo consultaturus. Inter cætera decretum est: ut Provincia Indica non divideretur in duas, quarum una esset cis Gangem, altera ultra Gangem: sed Provinciali addendum esse Vicarium, qui domicilia ultra Gangem gubernaret cum dependentia à Provinciali; ut per ejus visitationem consuleretur domesticorum necessitatibus, & nihilominus ab uno eodemque capite pendentibus omnibus domiciliis utriusque regionis conservaretur animorum conjunctio, & mutuum auxilium. *Sacchin. hist. Soc. p. 4. lib. 3. num. 221.*

P. Lancicij conversio.

2. In Litvania Venerab. P. Nicolaus Lancicius, anno 1590, tum adhuc adolescens, ejuratâ Calvini sectâ, ad fidem orthodoxam conversus, in festo S. Nicolai Episcopi primò Sacram Eucharistiam sumpsit Vilnæ. Mira omnibus visa est adolescentis vocatio tam ad fidem, quàm Religionem. Sectæ Calvini ita devinctus erat, ut passim profiteretur, ad sanguinem & mortem se pro ea pugnaturum. Unde cùm rumore populari accepisset: Cardinalem Radivilium facultatem à rege obtinuisse, vi ac tormentis in hæreticos agendi: Nicolaus, ut palàm faceret, se nihil moveri terriculamentis, vel tormentis, veste à collo reducta nudatus, compluribus horis publicè incessit, voluitque primus esse, in quem Cardinalis potestatem illam exerceret. Singulari tamen Providentiâ Divinâ contigit: ut quamvis tanto ardore pro secta Calvini ageret, nunquam tamen adduci potuerit, ut ad Cœnam Calvinisticam accederet. Quod ipse pro magno beneficio divino deinde habuit. Post susceptam autem Catholico ritu Eucharistiam ita incaluit igne divini spiritus: ut nemine suadente, in Sacello DEiparæ V. votum conceperit, emiseritque perpetuæ Castitatis, quam abs se nunquam læsam meminerat, etiam in illa fidei licentia. Religionis quoque ineundæ in Societate Votum alterum edidit: in cujus executione non parum, nec levium impedimentorum habuit. Genuinam enim, eamque duram, à P. Provinciali conditionem accepit: ut primùm Parentem Calvinistam converteret, atque ab eodem licentiam ingrediendi Societatem obtineret. Iterum ergo, festo S. Nicolai die, audendum ratus, patrem aggreditur sub ejusdem Sancti auspiciis; & quamvis non statim, iterata tamen sæpiùs impressione, utrumque feliciter obtinuit. *Balbinus in Vita cap. 3.*

Eodem die obierunt.

Odio fidei.

3. In regno Ceilano Indiæ Orientalis, anno 1616, P. Joannes Metella, Lusitanus; & P. Ludovicus Polingottus, Italus, odio fidei à barbaris confixi lanceis;

capita præcisa hastilibus affixa in spectaculum, cadavera ad Crucis pedem abjecta.

4 Bruxellæ in Belgio anno 1619, P. Franciscus Costerus, Belga. In Provinciis quas gubernavit, primus DEiparæ V. Sodalitates erexit, atque Antverpiæ loco Colossi prophani, ante Curiam grandem illius statuam poni curavit. Rogatus, quis cultus DEI Matri esset gratissimus? Respondit: *Constans, quamvis exiguus.* A. S. P. N. Ignatio, cui Romæ charus erat adhuc juvenis, singulariter commendatam habebat Humilitatem, Obedientiam, & perpetuam quandam lætitiam. Quæ tria ipsemet postea commendavit nobili juveni, Carolo Grobendonque, addiditque: se post acceptam à S. Patre commendationem illam, solicitè cogitasse, ac B. V. interpellasse; quomodo semper lætus esse posset, præsertim in gravi infirmitate, v. gr. podagra? Respondit autem Virgo: *Francisce, promittas mihi, quod semper sis futurus humilis & obediens; & ego tibi promitto, quod nunquam sis futurus æger, adeoque semper poteris esse lætus.* Et adjecit P. Franciscus Carolo: Si quis tibi dixerit: P. Costerum ægrotare, scias fore mendacium, B. Virgini injuriosum. Idem enim erit Costero ægrotare & mori. Ita factum. Quamvis verò tam integra esset Virginitate; ut nec à cogitationibus fœdis infestaretur: corpus tamen assiduè flagris & ciliciis in servitutem redigebat. Cum desertoribus Societatis nullam nostris volebat esse conversationem. Colloquiis spiritualibus maximopere delectabatur: si alia insererentur, obdormiscebat. Obiit anno ætatis 88, Societatis 67. Rogatus, an libenter moreretur? Responsum dedit S. Ambrosii: *Ita vixi, ut me vixisse non pudeat; mori autem non timeo, quia bonum Dominum habemus.* *Lætitia perpetua.*

5. Romæ anno 1686, P. Nicolaus Avancinus, Germanus Tirolensis, vir multæ eruditionis, ac religiosæ perfectionis. Rexit Collegia Passaviense, Græcense, Viennense, domum quoque Professam Viennensem; Provinciam Bohemiæ pro Generali Præposito visitavit; Romam adiit, primùm Procurator, deinde Elector à Provincia Austriæ lectus: ubi in Congregatione XII, Generali Assistens Germaniæ creatus est. Non pauca edidit felice venâ, vinctâ solutâque oratione, quæ passim in manibus oculisque legentium versantur. *P. Avancinus.*

VII. DECEMBRIS.

1. ANNO 1605, habita est Congregatio & disputatio 35, coram Clemente VIII de Auxiliis Gratiæ. Quæstio erat: *An scientia, quam DEus habet de futuris conditionatis liberis; sit in ipso ante absolutum Decretum voluntatis divinæ?* P. Bastida summa animi alacritate ad eam disputationem accessit: ac inprimis ostendit: ab adversariis duplex poni divinæ voluntatis decretum, quamvis universa cæterorum Theologorum schola unum tantùm agnoscat; scilicet alterum absolutum simpliciter; ut quod DEus absolutè, simpliciter, & absque ulla conditione statuit, v. g. ut mundus sit: Alterum absolutum in se, quod tamen objectum habeat conditione certa affectum, v. g. Volo ut Tyrij convertantur, si illis Chri- *Scientia de futuris conditionatis liberis.*

Stus

stus prædicaverit. Demonstravit ergo Bastida; Scientiam divinam futurorum conditionatorum liberorum necessariò præcedere utrumque illud Decretum voluntatis divinæ: neque satis congruè posterius illud Decretum divinum dici absolutum, cùm re vera sit conditionatum. *Eleuther, hist, Auxil. lib. 5, c. 47.*

Oratio efficax. 2. In Hispania singulari Providentia divina sublevata est anno 1567, egestas Collegij Vallisoletani, quòd S. Ambrosii dicitur. Prope erat dies, quo ob debita contracta satisfaciendum erat creditoribus; sed cùm domi res angustissimæ essent, recursus factus ad amicos; impetratum autem nihil, quod aliis facultas, aliis deesset voluntas juvandi. Vespere igitur indicuntur Sociis preces pro quadam urgente necessitate domestica. Oratum ferventer, & impetratum feliciter, quòd desiderabatur. Primo enim manè præ foribus fuit famulus ab Anna Pacia, opulenta matrona, missus, cum aureis trecentis. Lætus opportunissimo subsidio P. Franciscus Porrius, paulò pòst præfatam adiit matronam amplissimas acturus gratias. At illa; nihil opus est, inquit, actione gratiarum; nam propè coacta misi. Cùm enim ad quietem heri secessissem, somnus omnis fugiebat ab oculis, vox autem continuò ingerebatur auribus; Cur non subvenis pauperi Collegio Societatis? Urgebat autem ita: ut propè abfuerit, quin nocte intempesta mitterem nummos illos, quorum numerus etiam menti impressus fuit. Sic DEus die S. Ambrosii Ambrosiano suo subvenit Collegio. *Sacchin, hist, Soc. p. 3, lib, 3. num, 187.*

Eodem die obierunt.

Amator Societatis. 3. Romæ 1549, P. Petrus Codacius, Italus, Primus ex Italis Societati nomen dedit, Sacerdos jam tunc, honoratus & locuples è Pontificia familia, eamque & eximiis virtutibus egregiè ornavit, & temporalibus subsidiis ita juvit; ut S. Pater fundatorum honores illi decreverit, & præter suffragia defunctis fundatoribus exhiberi solita, lapidem cum epigraphe poni jusserit. Illius enim curâ Societas domum & templum Romæ primùm accepit, illius erat alumna, tam tenerè & constanter amata; ut S. Ignatius dixerit: Eum ne verberibus quidem ex illa pelli posse.

Angelorum Custodum opera in cura infirmorum. 4. Apud Hurones in America, anno 1649, P. Carolus Garnier, Gallus, Apostolicis laboribus apud eam gentem clarus. Ad juvandos moribundos utebatur potissimum Angelorum Custodum operâ, quibus illorum curam impensiùs commendabat. Et vidit nonnemo ægrorum, Patri Carolo assistentem Angelum, qui infirmum monebat; ut Patris monitis atque consiliis diligenter pareret. Irruentibus deinde Hiroquæis barbaris in Hurones Christianos, & promiscua cæde ipsos delentibus, cùm P. Carolus animam agentes expiaret, & catechumenos baptizaret, tribus globis trajectus est; cùm nihilominus ad saucium quendam adrepsisset, cumque à noxis absolvisset, securi in caput adactâ occubuit.

5. Tor-

5. Tornaci in Belgio anno 1621, Ignatius de Rassinghem, Belga, Coadjutor. Illustrissimo licèt genere ortus, & linguæ Latinæ non ignarus, elegit Coadjutorum sortem, infimis nuncijs singulari alacritate addictus. Per omnem vitam nihil, quod majus momentum haberet, aggrediebatur, nisi benedictione à superiore, de genibus petita; quam ubi etiam pro supremo agone petiit & obtinuit, feliciter migravit. *Benedictio Superiorum ad opera.*

VIII. DECEMBRIS.

1. CUm ad condendam stabilem & accuratam Rationem studiorum, evocati ex variis Provinciis Patres sex, virtute ac eruditione eximii, convenissent Romæ anno 1584: ut tantum opus, quod universæ Societati normam docendi præberet, auspicato inchoaretur, & feliciter absolveretur; ipso Conceptionis Marianæ die deduxit illos R. P. Generalis Claudius ad summum Pontificem Gregorium XIII pro benedictione obtinenda. Bene precatus Pontifex Optimus, sedulitatem ac celeritatem operi tam salutari, ut adhiberent; seriò est adhortatus. Domicilium peropportunum & commodum hybernis quidem sex mensibus in Pœnitentiaria S. Petri; æstivis autem caloribus per trimestre spatium, in Quirinali monte ad S. Andream illis est attributum. Horæ ternæ diebus singulis in consultatione ponebantur: temporis reliquum legendis Doctoribus & Commentariis, traducebatur. Totum negotium in duas primarias partes distinctum fuit: in opinionum delectum, & praxim Scholarum. Quibus expeditis accuratissimâ diligentiâ: totum opus rursus sub incudem revocatum est, relectum coram omnibus illis sex Conditoribus, & siquid opus fuerat, emendatum: deinde Collegii Romani Theologis traditum est; ut ab ipsis primùm, deinde à reliquis per universam Societatem expenderetur. Atq; sic satis operosè absoluta est Ratio illa studiorum. *Sacchin. hist. Soc. p. 5. lib. 4. n. 8. &c.* *Studiorum ratio.*

2. Ferbuit, etiam festo die, disputatio de Auxiliis Gratiæ coram Clemente VIII anno 1603, in Congregatione 23 Propositum fuit *Quid intelligat Molina, dum dicit. quòd in actibus elicitis ex sola facultate naturali, respicientibus fidem, spem & charitatem erga DEum, DEus inserit se, & elevat eos, & facit supernaturales?* Respondit P. Bastida: Molinam non velle; quod DEus illos ipsos actus, qui eliciti sunt à potentia tantùm naturali, & in se sunt naturales, faciat supernaturales: sed quòd præcedentibus illis actibus naturalibus, solet DEus per comprincipia supernaturalia elevare potentias ad producendos actus supernaturales fidei, spei, & charitatis. Et hoc probavit ex doctrina Molinæ. *Eleuther. hist. de Auxil. lib. 5. cap. 27.* *Disputatio de auxiliis gratiæ.*

 Eodem

Eodem die obierunt.

3. Calari in Sardinia anno 1594, P. Petrus Espiga, Sardus, Pauperum & Captivorum Pater, Sardiniæ Apostolus habitus. Corpore admodum pusillo ingentem animum circumferebat, quo Episcopatum & Archiepiscopatum oblatum repudiavit, atq; ardua multa, Divinæ gloriæ & animarum causâ, aggressus est, & superavit. Incredibile est, quàm tenera, quàm solicita & ingeniosa charitate intentus fuit in omnem occasionem juvandi pauperes, captivos, & generis omnis afflictos. Clerum sæcularem exemplo suo, & opportunis monitis, ad virtutum heroicarum exercitium, præsertim in cura pauperum, ita induxit: ut ignem divinum cælitus super illos induxisse videretur. Magnatum quoque ita corda occupaverat, ut ea arbitratu suo flecteret, quò vellet, ad miseros juvandos. In supremo morbo rogatus à P. Collegij Rectore, anxio ne post obitum illius, Collegium exsolvendis debitis gravaretur; quantum æris alieni contraxisset? Respondit; *Mille quingentarum librarum.* Videns autem hominem consternatum; *Ne timeas Pater*, addidit: *Nam mutuum hoc DEO contractum est; cui incumbit, id sine nobis restituere; & facturum omninò, ne dubita.* Vulgato eo Patris responso per urbem, adfuit eodem die, ægrum invisens Prorex cum Archiepiscopo, suscepitque promptus totum illud debitum suo ære exsolvendum. DEus quoque signis multis officiosam hanc & magnanimam Patris charitatem mirificè promovebat.

Mutuum à DEO solvendum.

4. Salmanticæ in Hispania, anno 1559, Alphonsus de Prato, Coadjutor Hispanus. Audito S. Borgiæ in Societatem ingressu, & profundissimæ humilitatis studio, Societatem expetiit, nec alium in ea gradum, quàm Coadjutoris temporalis, admisit, quamvis illi parum scientiæ deesset, ut vel inter Professos censeretur. Immaculatæ Virginis DEiparæ Conceptioni addictissimus, cùm à Visitato Ven. Sacramento, Fratres accederet, pro more suo locuturus de eo mysterio, præter solitum vultu alacrior, & inflammatior; mox inclinato ad assidentem capite, piam humilemque animam edidit.

Humilitas.

IX. DECEMBRIS.

Semipelagianismus.

1. Romæ habita est anno 1602 Congregatio & disputatio XI coram Clemente VIII de Auxil. Grat. Examinata est propositio Molinæ tertia & quarta, Semipelagianismi insimulata: *Quòd possit homo ex sola facultate naturæ diligere DEum super omnia.* Et *quòd DEus expectet nostros conatus; quodq; DEus nos aliquando præveniat.* Respondit pro Molina P. Arrubal: pluribus modis discrepare Molinæ doctrinam à Cassiano, Semipelagianismi authore. Nam hic docuit 1. posse hominem viribus naturæ diligere DEum super omnia tanquam finem supernaturalem, & charitate, quæ est virtutum omnium perfectissima. 2. Super omnia, etiam ad finem supernaturalem ordinata. 3. Dilectione sufficiente ad justificationem. 4. Dilectione sufficiente atq; robusta ad implendam multo tempore legem naturalem, etiam urgentibus multis gravibusque tentationibus & difficultatibus, Molina nihil horum docuit. Probavit utrumque testimoniis di-

sertis

ſertis ex utroque allatis. In altera quoq; propoſitione non convenire Molinam cum Caſſiano oſtendit: Quia hic docuit: DEum non vocare omnes homines, antequam operentur piè: ſed potiùs alios eſſe, qui per conatus pios ex naturæ viribus, præveniunt & impetrant gratiam; alios autem, qui à gratia præveniuntur: ac proinde duos eſſe ordines adultorum, qui in Eccleſia juſtificantur. Molina autem nihil horum aſſeruit, nec tales duas claſſes ſtatuit; ſed docet: omnes à DEo præveniri gratiâ ad juſtificationem. Probavit claris textibus Molinæ allatis. *Eleuther. hiſt. Auxil. lib. 5. cap. 15.*

2. Anno 1587 Sigiſmundus Sueciæ princeps, à Polonis electus in Regem, feliciter pervenit hoc die Cracoviam: ubi die S. Joannis Evang. coronatus eſt. In comitatu ſuo habuit P. Bernardum Golinium, quem conſcientiæ ſuæ & pietatis habebat directorem, amabat ut patrem, ſequebatur ut ducem. Tantùm verò in fidei ac religionis conſtantia profecerat: ut ſæpe ſolicitatus à Sueciæ proceribus ad mutationem religionis, diſertè teſtatus ſit: malle ſe potiùs paterno regno, quàm religione materna (id eſt Catholica) ſpoliari. *Sacchin. hiſt. Soc. p. 5. lib. 7. n. 36.* *Sigiſmundus Rex Poloniæ.*

Eodem die obierunt.

3 Manilæ in Philippinis inſulis, anno 1681, P. Franciſcus Calderon, Hiſpanus. In Japonia per annos 30 ſtrenuo labore promovit rem Chriſtianam. Miſſionariis noſtris domum redeuntibus, pedes ipſe lavabat, ſuaviſſimè illud ingeminans: *Quàm ſpecioſi pedes Evangelizantium pacem?* Paupertati ita addictus erat: ut etiam Breviario uteretur alieno. Examen particulare, conſtanter ad mortem uſque abſolvit: cujus rationes notatæ ſub cervicali inventæ ſunt poſt mortem. Si quis morientem interpellaret, petebat ſibi relinqui. *Putasne,* ajebat, *parvi momenti occupationem eſſe, agonizare? Mihi nunc negotium eſt cum DEO & Angelis.* *Agoniæ labor.*

4. Placentiæ in Italia anno 1620, P. Julius Urſinus, Italus, ex inclyta Comitum Petilianorum familia. Angelica modeſtia & puritate conſpicuus, protegente DEipara V. eandem illibatam ſervavit. Collegii Florentini Rector conſtitutus, cælorum Reginam eidem præfecit: & maternam ejus curam expertus eſt. Cuidam pro P. Julio infirmo impenſiùs oranti viſa eſt manus lilium ſpecioſum decerpens: unde intellexit, eum inſtar lilij candidiſſimi floruiſſe; ſed jam non tam mortis falce ſuccidendum, quàm divino pollice decerpendum. Eidem poſt illius mortem ſcire deſideranti, qua in virtute potiſſimùm eminuiſſet P. Urſinus? Vox manifeſta dixit: *Illum vixiſſe mortuum.* Non deſunt fidem omnem commeriti teſtes, qui affirment: ſe P. Julium vidiſſe inter orandum, aliquot cubitis à terra ſublimem. Ante mortem Patri Spirituali aſſeveranter dixit; ſibi adoleſcenti Beatiſſimam V. viſam, dixiſſe voce manifeſta: quod ipſa illius puritatis tuendæ curam ſuſceperit. *Vivens mortuus.*

P. Lainez cum aliis redit Romam.

1. ABsoluto feliciter Tridenti Concilio Oecumenico, anno 1564, Lainius Præpositus Generalis, cum Salmerone, Polanco & Natali maturabant reditum in Urbem, Qua qua ibant, non gravabantur prædicatione Verbi divini erudire populum. Venetiis eum plausum tulit Salmeron in festis Christi Natalitiis: ut ibi relinqui debuerit, Duce multisque civium flagitantibus, ad sacras per Quadragesimam habendas conciones. Forolivii ea curiositas vexavit cives: ut videre vellent, quo apparatu in Collegio exciperetur Generalis Societatis Lainius, quàm splendido peripetasmate vestita essent conclavia &c: cumque omnia vidissent ad simplicitatem & paupertatem religiosam composita, nec quidquam splendoris aut singularis commoditatis appareret: non sine indignatione recesserunt; quòd tantæ Personæ is esset neglectus, ac fere contemptus. Nimirum non intellexerunt, quæ esset pauperum spiritu beatitudo & gloria. *Saçchin. hist. Soc. p. 2. lib. 8. num. 1. & seqq.*

Paupertas religiosa.

Commendatio Societatis.

2. In Hispania cùm nonnulli è sacra PP. Prædicatorum familia, antesignano Melchiore Cano, acerbiùs inveherentur in Societatem, ac Socios apud populum traducerent, velut præcursores Antichristi: quàmvis non deessent ex eadem sacra familia viri gravissimi & doctissimi, qui verbo & scripto Societatem defendebant; visum tamen est Reverendissimo P. Francisco Romæo, Generali totius Ordinis Magistro, per Epistolam anno 1548, hoc die datam Romæ, omnibus eandem Societatem commendare, ac præcipere: ut eam potiùs tueantur, quàm persequantur. Omnibus, inquit, & singulis præfatis fratribus præsentium tenore mandamus & authoritate nostri officii, in virtute Spiritûs S. & Sanctæ Obedientiæ, ac sub pœnis arbitrio nostro taxandis, præcipimus: ne dicto Ordini per Apostolicam Sedem approbato, & confirmato, aut ejus institutis ullo modo detrahere, aut de eo obloqui audeatis, tam in publicis lectionibus, sermonibus & congressibus, quàm in privatis vestris colloquiis: quin potiùs eum, Presbyterosque ejus, tanquam vestros commilitones, juvare, & contra impugnantes protegere, & tueri studeatis. In quorum fidem &c. *Dat. totam Epistolam Orlandinus hist. Soc. p. 1. lib. 8. n. 50*

Eodem die obierunt.

3. Monasterij in Germania, anno 1655, Petrus Schmidt, Coadjutor, Germanus. Insignis religiosi, & præstantis œconomi elogio honoratus, orandi & laborandi studium ita conjunxerat usu assiduo: ut laborantem juvaret oratio, orantem non turbaret

baret labor. Noctu aliquando, iterata Angeli sui Custodis, ut putabat, voce, eâque altiore & urgente, impulsus est; ut surgeret, atque cellam vinariam adiret. Paruit, reperitque, Vini vas, ruptis aliquot vinculis, seu circulis, propè dissolutum, vinumque effusioni proximum. Inde in cultu S. Angeli Custodis, qui semper ei cordi fuit, magnopere confirmatus. *Angeli custodis monitum.*

4. In Paraquaria Sanctè defunctum P. Martinum Xaverium, ponit hoc die Nadasi. Fuit P. Martinus clarissimæ in regno Navarræ, & S. Francisc. Xaverium sanguine attingentis familiæ hæres unicus. Trophæa Indiarum Apostoli assiduè, tamque fortiter stimularunt juvenem: ut annuo censu trium millium aureorum relicto, Matre invita, in Societatem se receperit, atque in Paraquariam evolârit. Ibi Guairanis laboriosam præstitit operam, insigni linguæ peritiâ, magnisque ac arduis itineribus exantlatis. Peste infectis ministrantem oppressit morbus contagiosus, non sine dolore, quòd morte incruenta defungeretur. Post mortem varijs conspectus est gloriosus. *Victima charitatis.*

XI. DECEMBRIS.

1. Scholæ Collegii Cordubensis apertæ sunt anno 1553, in quinq; classes inferiores distinctæ, magna Civitatis gratulatione. Paulò pòst postulatu Doctoris per Hispaniam celeberrimi, Joannis Avilæ, qui Cordubæ cum discipulis suis versabatur, Græcæ quoq; literæ tradi cœptæ, & Officiorum explicari rationes. Ferebatur ille eo in Societatem affectu; ut quàm primùm vidit nostros in ea urbe figere domicilium, magnitudine gaudii elatus, in Canticum Simeonis eruperit: Nunc dimittis servum tuum Domine. *Orlandinus hist. Soc. p. 1. lib 13. n. 41.* *Ioan. Avila affectus erga Soc.*

2. Apud Sinas Pechino à Nostris expeditus est Joannes Ferdinandus, qui Fratrem Benedictum Göes Lusitanum, quibus posset viis deduceret Pechinum. Fuit is Frater à P. Nicolao Pimenta, Indiæ Orientalis Visitatore, expeditus ad inquirendum celebre illud, atq; à multis quæsitum, regnum, *Cataium.* Patres enim, qui in imperio Magni Mogoris versabantur, ex relatione Saracenorum, multa de eo regno, quod ad Orientalem plagam jacere affirmabant, referebant; atq; in P. Visitatore zelum excitarunt juvandi regionem illam, & gentibus & Christianis, ut ferebatur, abundantem. Expeditus est ad illud iter Frater Benedictus à P. Hieronymo Xaverio, qui Missioni Mogorensi præerat, habitu negotiatoris Armeni, anno 1603, initio Januarii. Per immensum terrarum tractum, & sexcenta, imò continua pericula, eò tandem DEi protectione, & prudentiâ industriâq; suâ eluctatus est, ut ad muros Sinenses, Sinas à Tartaria dividentes, pervenerit; ac tandem intra regnum admissus, ex urbe Soceu ad P. Matthæum Riccium, in Pechinensi metropoli habitantem *Benedicti Göes expeditio ad quærendum regnum Cataiii.*

tantem, literas dedit, significando de adventu suo, & causa itineris. Expeditus ad illum deducendum ad Socios Joannes Ferdinandus, ægrè confecto fere quatuor mensium itinere, invenit tandem desideratum Fratrem Benedictum, sed gravi morbo laborantem, ex quo etiam post dies undecim decessit; cùm nec medicus idoneus adesset, nec vires suppeterent ad iter Pechinense. Incredibile dictu est, quanto delibutus fuerit gaudio, quòd inter amplexus fraternos expirare liceret. Retulit autem: se certò comperisse, Cataium quæsitum non aliud, vel alibi esse, quàm Imperium Sinarum; & Metropolim à Saracenis appellatam Cambul esse Pechinum Sinense: & de his informari voluit Superiores suos in India & Proregem, qui ipsum expediverant. *Trigautius in Expeditione ad Sinas lib. 5. cap. 13.*

Eodem die obierunt.

Humilitas. 3. Mediolani in Italia, anno 1613, Ludovicus Vicecomes, Italus, Scholasticus. Nobilissimam domum ornavit insigni morum innocentia, & virtute. Ut Societatem ingredi liceret, multæ illi superandæ difficultates fuerunt: ad ejus pedes, qui religiosas vestes ipsi afferebat, exultabundus se abjecit, eosque exosculatus, gratias egit pro vestimentis salutis. Humilitatis studio præcipuo tenebatur, illis potissimum Bullæ Pontificis verbis accensus: *Requirit hoc Institutum homines verè humiles in Christo.* Magno flagrabat desiderio, excellenti quadam ratione serviendi DEO: unde cùm id per morbum, quo sensim atterebatur, non posset, mœrore tabescebat. Cùmque à suo in Philosophia Magistro causam doloris explicare juberetur; in uberes lacrymas solutus, dixit: *Quia per adeò afflictas corporis vires, DEO servire non possum, prout illi serviendum esse cognosco, & volo.* *Affectus sub extrema unctione.* Dum extremè ungeretur, Crucifixum complexus, eam, quæ ungebatur, corporis partem, suavissimè osculabatur in simulacro Christi, oculos, aures, os, manus, pedes, & latus; & feliciter exspiravit.

4. Parisijs anno 1652, P. Dionysius Petavius, Gallus, Vir virtute & doctrina planè eximius, atque inter prima Societatis lumina recensendus. Invitavit illum Philippus IV Rex Hisp. ad Academiam suam recenter Madriti erectam; Urbanus VIII Pont. non semel Romam evocavit: sed obstitit rex Galliæ Ludovicus XIII, non ferens, viro tanto regnum suum privari. Præter editos Tomos 5 in folio Theologicorum Dogmatum, edidit complura alia varij argumenti Opuscula, & multa Græcorum Scripta in idioma Latinum transtulit, Latina quoque in Græcum. Cùm in extremo morbo acerbissimis doloribus cruciatus, confidenter quereretur coram DEO; vocem *Levamen in morbo.* cælitus audiit: *Tu de me cogitas ut homo: Ego de te cogito ut DEus.* Unde mox & lumen & levamen ortum est ægro. *Soutvell. in bibl. Soc.*

XII. DECEMBRIS.

1. ANno 1558 epistolam, paterno pariter ac Apostolico zelo plenam, dedit Præpositus Generalis Lainius ad Socios in India & Brasilia labo-

laborantes. Inprimis significat: se pro ipsis quotidianas indixisse preces per universam Societatem in Europa. Deinde ostendit. 1, Vocationis in Indias præstantiam ex gravitate operis & operariorum dignitate. Magnum, inquit, Fratres charissimi, beneficium, magna indulgentia est divinæ summæq; Bonitatis, in eos universè omnes, quos ad hanc minimam vocat Societatem suam; gratiæq; suæ ope dignatur, per quam secundum ejus institutæ vitam degant: eorum tamen quibus ea sors evenit, ut in ejus servitium istis in regionibus elaborent, singulare inprimis est donum, tum propter momentum & gravitatem operis, quod vos tractatis; tum propter operariorum privilegium -- quod vobis datum est valde singulariter, non modò ut multa faciatis bona: sed etiam ut multa perferatis mala &c. 2. Declarat: quanta illis imposita sit necessitas tendendi ad perfectam virtutem: tum quia plurimas habent occasiones eam excolendi, & quodammodo excoquendi igne variarum tribulationum & ærumnarum; tum quia ad conversionem & spiritualem gubernationem barbari illius populi, non vulgaris requiritur virtus; tum quia universæ Societatis oculi in illos intenti sunt, & fructibus laboris ipsorum pasci desiderant. 3. Tradit præcepta, quibus juventur ad propriam corporis animique sanitatem ac salutem tuendam. Quandoquidem, inquit, vos tanquam hostias vivas integrè DEo ac procreatori nostro ac Domino obtulistis; ut vos usquequaq; in negotia gloriæ & obsequii ejus, & suarum animarum juvamen impendatis; id ita exequi mementote: ut corpus quidem diu perferre laborum suorum onus possit, curantes & valetudinem ei, & necessarias ad opus vires tueri; anima verò vestra nequaquam se ipsam negligat: quoniam Christi D, sententiâ, nihil vobis prodesset, totum mundum lucrari, si detrimentum vestræ animæ faceretis. Nec non ipsa, quantò acrius ad sui perfectionem connitetur, tantò ad alienas juvandas evadet utilior. Commendat ergo; ut cautè ambulent in medio nationis pravæ, timore & amore DEi regantur, orationi & Examini conscientiæ diligenter incumbant, inter ipsos labores mentem ad DEum elevent, & quot annis Exercitiis spiritualibus vacent &c. Quæ omnia non solùm ad Indicos, sed etiam Europæos Missionarios juvandos, plurimum conferunt. *Sacchin. hist. Soc. p. 2. lib. 2. n. 188.*

Litera P. Lainez ad Socios in India.

Eodem die obierunt.

2. In Philippinis insulis anno 1626, P. Emmanuel Martinez, Hispanus. Virgineos ejus oculos videtur Christus honorasse eâ gratiâ, quòd se ipsi spectandum objecerit;

Breviarium in aqua non madefactum. cerit; orandi verò attentissimum studium, præsertim in persolvendis Canonicis precibus, eo prodigio probavit: quòd Breviarium ejus in mare delapsum, nec mergi, nec omnino madefieri, permiserit. Morienti adfuit amicus quidam sæcularis, vanitatibus mundi nimiùm intricatus; videns autem P. Emmanuelem intrepidum, & religiosissimo apparatu mortem operientem, rogavit instantissimè; ut beatam æternitatem ingressus, impetraret sibi à DEO gratiam efficacem pro dirumpendis mundi laqueis, & strenua sui victoria. *Dolor de peccatis impetratus.* Vix animam egerat Pater; cùm vir ille altissimo de peccatis dolore saucius, in lacrymas amarissimas effusus, generalem de tota vita Confessionem instituit, & animum ad sequenda Christi signa convertit.

Victima charitatis. 3. Suldæ in Belgio anno 1597, P. Franciscus Fabricius, Belga, strenuo gloriosoque inter pestiferos labori immortuus, decessit, vel in medio cadaverum putridorum solitus confitentes expiare.

4. Romæ anno 1686, P. Carolus de Noyelle, Societatis Præpositus Generalis, Belga. Ut summo suffragiorum omnium consensu Societatis regimen adiit: ita illud summa omnium, etiam externorum, approbatione, fere quinquennium tenuit. *Notitia Instituti.* Instituti scientissimus, ut illud cæterorum observantiæ commendaret efficaciùs: in se ipso exemplar ipsius expressit absolutissimum. Admirabilis fuit viri constantia, tum in usu communis vitæ, nulla singularitate inquinatæ; *Vita communis.* tum in adversis æquissimo animo & vultu tolerandis. Iis, quæ personam ejus tangebant, videbatur prorsus non tangi: verùm ad ea, quæ Societatem impetebant, admodum delicato erat sensu. Obiit in domo Professa Romana, anno ætatis 71; parentavitque Optimo Patri non solùm Societas singulari luctu; sed etiam Innocentius XI Pont. Max. lacrymis profusis.

Ex literis Encyclicis A. R. P. Thyrsi Gonz. Præp. Gen.

XIII. DECEMBRIS.

P. Laynez & Salmeron destinantur ad Concil. Trid. 1. INchoatum est anno 1545, Sacrosanctum Concilium Tridentinum sub Paulo III Pont. Max. qui ut maximo studio intentus erat in felicem ejus progressum & exitum; ita præter Cardinales, Episcopos & Ordinum Religiosorum Abbates, interesse voluit quàm plurimos viros doctissimos, Theologiæ & Sacrorum Canonum peritos. Ex Societate recenter confirmata assumpsit duos è primis Decemviris, qui Theologorum Pontificiorum titulum & munus gererent, Jacobum Lainium & Alphonsum Salmeronem Hispanos, scientiâ magis & virtute, quàm ætate provectos. Nam Laynez vix quartum, Salmeron alterum, supra trigesimum agebant annum. Ne verò vel ætatis fervore, vel scientiæ præstantiâ, vel muneris excellentiâ, aut hominum plausu, evanescerent, & extra religiosæ humilitatis ac modestiæ septa abriperentur: *Monita & instructiones eis datæ à S. Ignatio.* Sapientissimis illos monitis & præceptis scripto traditis, instruxit S. Pater Ignatius. Tria, inquit, omninò in obeundo munere isto spectare vos volo. Primùm in ipso Concilio maximam DEI gloriam; communeque Ecclesiæ bonum; deinde extra Concilium,

lium, antiquum vestrum juvandi animas institutum, quod quidem potissimùm nobis in hac profectione vestra propositum est. Denique domi, & inter vos, privatam animi vestri curam, studiumque, ne vos ipsos negligatis ac deseratis; sed assidua vos culturâ ac diligentiâ, quotidie magis reddatis idoneos ad sustinendas impositas partes. Et in Concilio quidem decet vos in loquendo tardiores esse, in audiendo attentos atque sedatos, in perspicienda mente eorum, qui dicunt, sagaces. In disputationibus monumenta rationum in utramque partem afferenda erunt, ne vestro addicti judicio videamini, perpetuò id curando, ne quis unquam ex vestra oratione minùs æquus placatusque discedat: omnibus vos æquos esse convenit, nemini obnoxios. Jam verò extra Concilium nullum munus bene merendi de proximis prætermittetis: quin aucupandæ occasiones erunt, modò audiendi pœnitentes, modò dicendi ad populum, modò instruendi pueros & rudes, denique visendi & fovendi ægrotos in nosocomiis, non modò idoneis sermonibus, sed etiam quibusdam pro facultate vestra munusculis; omnes autem in omni occasione cohortandi: ut pias ad DEum fundant preces, pro felici Sacræ Synodi progressu ac exitu &c. -- Restat tertium, quod in munere isto pro dignitate gerendo, spectare vos convenit: quod quidem in vobis ipsis tuendis conservandisque positum dicebamus. Quanquam enim vos non ignorare necesse est, quæ professionis sunt vestræ: tamen hoc inprimis meminisse æquum est; ut summa sit inter vos animorum conspiratio, mutua consiliorum omnium sententiarumque Societas; neve suo quisquam judicio prudentiæq; præsidat. -- Horam aliquam de nocturnis dicabitis, tum cujusque diei actis inter vos conferendis, tum quæ postridie videbuntur agenda. -- Deinde quo majore vos & humilitate & mutua charitate contineatis: rogabit quisque singulis noctibus alternatim reliquos Socios duos (nam & Jajus illis accessurus erat) ut ipsum corrigant, & ubi visum fuerit, libera oratione castigent; nec castigantibus causam facti reddet, nisi postulatus & jussus. Matutinis temporibus, quemadmodum per diem vos gerere oportet, unà deliberabitis; rationemque vitæ vestræ quotidie semel atque iterum à vobis ipsi reposcetis. Hæc autem quinto saltem postquam Tridentum perveneritis, die executioni mandanda memineritis. *Ita S. Pater.* Quia verò his sapientissimis & opportunissimis monitis ac præceptis, boni illi Patres se suasque actiones summâ diligentiâ atque humilitate conformare studebant: DEus, qui humilia respicit, tantam illis tam in dicendo, quàm agendo dedit gratiam: ut apud

omnes summam meruerint æstimationem, amorem & honorem: prout suprà sæpiùs expositum. *Orlandinus hist. Soc. p. 1. lib. 5. n. 23.*

Eodem die obierunt.

Victima fidei.

2. Mindanai in Philippinis anno 1655, P. Alexander Lopez, Hispanus, & P. Joannes Montiel Italus in odium fidei cæsi, jussu Corralati, barbari regis. Cùm enim missi essent, ad commonendum illum, ut secundùm pacta conventa permitteret in sua ditione liberum Christianæ religionis exercitium; & Pater Alexander, pro veteri, quæ ipsi cum rege intercedebat, confidentiâ modestè urgeret; ut ipse quoque ei religioni accederet: parum abfuit, quin illico necarentur à furibundo. Digressi ex aula, & paulò post ad illam revocati, in via lanceis confossi occubuerunt, disertè fatente Corralato; eos à ministris suis trucidatos; quòd suscipiendæ fidei Christianæ authores fuissent.

Pactum pro impetranda morte.

3. Ruremundæ in Belgio, anno 1630, P. Arnoldus Cathius, Belga, Vir multæ ac solidæ pietatis. Nulla illi hora præterfluebat, qua Christi Patientis mysterium aliquod non recoleret, & congruis affectibus non veneraretur. Zelus Charitatis non semel illum impulit ad operam præstandam peste infectis, cujus pretium non semel tulit, & ipse eadem infectus. Post strenuos in Hollandia labores, pepigit cum germano suo: ut qui prior migrâsset è vita, alteri impetraret celerem obitum, si id ejus congrueret saluti. Obiit frater 18va Octobris; secutus est hac die P. Arnoldus.

4. Olomutij in Moravia, anno 1655, P. Gasparem Hildebrandum, Silesium, dum charitati suæ nimiùm indulget, erga contagiosa lue correptos, mors venenata, sed gloriosa, sustulit.

XIV. DECEMBRIS.

P. Carolo Spinola capitur in Japonia.

1. P. Carolus Spinola capitur in Japonia ab apparitoribus, anno 1619. Media nocte post festum S. Luciæ V. & M. diem, audit à satellitibus gubernatoris Nangasachi effringi fores domûs, in qua hospitabatur; facileq; assecutus id, quod erat, ad orandum, & sese in holocaustum DEo offerendum, composuit. Sic deprehenso injecta sunt vincula, collum, manus, pedesq; tam arctè adstricti: ut vestigia vulnerum quoad vixit, superfuerint. Nangasacho paulò pòst amandatus cum aliis aliquot captivis Christianis, inter quos nonnulli Religiosi, ex SS. Dominici & Francisci familia, in famosum Omurensem carcerem conjectus est. In quo cùm invenisset alios quosdam sibi notos Religiosos, in dulcissimos ruerunt omnes amplexus, Psalmis & hymnis decantatis DEo, quòd contigisset aliquid pati pro ipso. Testatus est affectus suos P. Carolus in variis ad Socios datis epistolis, præsertim ad quendam Macai, in insula Sinensi, degentem. Ecquando ô DEus meus, inquit, hoc ego beneficium meritus sum; ut dignus efficerer, pro Nomine JEsu contumeliam pati? O bene collocatos labores meos, quos itinere tam longo, ex Italia

Mittitur in carcerem Omurensem.

ia in Japoniam tuli! O bene remuneratos dolores, præsertim illos, qui tyrannidis hujus sævientis temporibus tolerati sunt &c. Et ad alium è Societate in Japonia, datâ epistolâ; Tandem, inquit, venit hora mea; atq; ut clarè mihi innotuit voluntas Numinis; ita divina ejus Bonitas sperare me jubet: non egressurum me hoc carcere, nisi ut in cælum mittar. Quare consolationibus superabundo, ob tam felicem conditionem, quæ mihi obtigit. Utinam ita Domino placeat, ut hinc non egrediar, nisi ad moriendum, aut ad Evangelium liberè disseminandum! O mi Pater, quàm liberaliter mihi Dominus labores meos omnes, vel hac gratiâ, compensavit, quòd amore illius captus sim! O Pater, quàm suavis & deliciosa res est, pro Christo pati! Id ego, ex quo in hunc carcerem veni, liquidius experior. *Fabius Spinola in Vita P. Caroli.*

Eodem die obierunt.

2. Apud Elicuranos in America, anno 1612, odio fidei cæsi, P. Martinus de Aranda Valdivia, Hispanus; P. Horatius Vecchi, Italus, & Didacus Montaltus, Indus, Coadjutor. P. Martinus perillustri domo natus, militaribus exercitiis in Equitum ducem evaserat; dumque se per Exercitia S. Patris pararet ad capessendum munus Prætoris; animum, cælitus illustratum, adjecit ad Societatem: in qua magno zelo variis populis barbaris salutarem præstitit operam. Cæso inprimis Fratre Didaco, Patres Martinus & Horatius, clavis ferreis prostrati, hastisque confixi, arboribus sunt alligati; mox dissecto pectore, cor illis evulsum: ipsi tamen per quartam horæ partem Christum prædicâsse, traduntur. *Victima fidei.*

3. Romæ anno 1615, P. Petrus Antonius Spinellus, Italus. Parvulus septennis inter ducalis domûs illecebras, virginitatem DEO vovit; octennis noctu ad recitandum DEiparæ V. officium consurgebat. Docentis in schola, & S. Synaxim distribuentis vultum ac pectus viderunt non pauci cælesti lumine illustratum. Visus quoque JEsum parvulum in sacra pyxide circumferre. DEiparæ V. totus addictus, ejus dotes & laudes præclaro ingenio, & erudito calamo est prosecutus; in ejus Domo Lauretana subinde geminas noctes pervigil duxit in oratione, ut aliquid honoris à se averteret. Interiore veste una an centone potiùs, annis 18 usus est, pro lectulo terrâ, vel assere nudo. *Septennis Virginitatem vovet.*

XV. DECEMBRIS.

1. P. Melchior Carnerius Goæ consecratur Episcopus Nicænus, anno 1560. Quàmvis enim pro sua religiosa humilitate, vehementer cuperet, vitam in Societate agere privatam, & superioribus religiosis subjectam: urgente tamen Pontificis mandato, ut, quàm primùm Episcoporum trium haberetur copia, consecraretur; & instante Patriarcha Æthiopiæ Oviedo, quem sequi debebat; consecratio differri non poterat. Appulit enim Archiepiscopus primus Goanus, & cum eo Episcopus Malacensis, *P. Carnerius consecratur Episcopus Nicænus.*

aderatq; Patriarcha Æthiopiæ. Cùm igitur honorem & onus declinare non posset P. Melchior: ad suum solatium, & ad majorem cum Societate conjunctionem, voto se obstrinxit: non solùm se Societatis consiliis obtemperaturum: verùm etiam iterum in ea Professionem solemnem emissurum, cùm primùm id à Pontifice impetraret. *Sacchin, hist. Soc. p. 2. lib. 4 n. 278.*

Indulgentia festo S. Xaverii

2. Romæ anno 1638 Urbanus VIII Pont. Max. Indulgentiam Plenariam concessit visitantibus Ecclesias Societatis JEsu, ac Communione Eucharistica refectis in festo S. Xaverii; cum translatione Indulgentiæ, quando festum prædicti Sancti occurrit primâ Dominicâ Adventûs. *Bullar. Constit. 256 Urb. 8.*

Eodem die obierunt.

Mors prævisa.

3. Forlivii in Italia, anno 1589, P. Marcus Antonius Mufloni, Italus, pietate, silentio, paupertate & obedientia insignis. Mortem obiit non improvisam. Redux enim ab ægra fœmina, quam disposuerat ad mortem, dixit Socio: Illam quidem ex eo morbo non obituram; sibi autem paucis post diebus esse migrandum: & migravit plenus gaudii, quod suavi cantu testabatur.

S. Xaverii reliquijs tibia sanata.

4. In monte S. Gothardi anno 1654, P. Thomas Werner, Germanus; populo, militi, nostris, gratus Ecclesiastes, Confessarius, Superior. Vir ad ardua quæque aggredienda & exequenda æquè fortis ac industrius. Admotis tumidæ suæ tibiæ S. Xaverij lipsanis, & Orientalium Indiarum petendarum voto concepto; surrexit è lecto, tibiâ sanâ. Sed heroicum votum exequi non potuit, in itinere decidentibus è monte nivium voluminibus oppressus.

Æger pauper portatus.

5. Palentiæ in Hispania defunctus, anno 1595, P. Antonius de Torres, Hispanus, hoc die ponitur à P. Nadasi. In Indiis & Hispania magno fructu explicuit zelum suum Apostolicum. Pluribus in locis instituit, ut sextâ quavis feriâ historia seu exemplum aliquod pium narraretur, & pia flagellatio fieret. Palentiæ cùm Rector esset Collegij, ac extra urbem ægrum pauperem, qui urbem ingredi non poterat, reperisset; illum in humeros sublatum, per urbem ad Xenodochium deportavit. Ibidem Sodalitatem Charitatis instituit, in quam fere nobiliores adlegit, pro adjumento pauperum verecundorum. Per 4 horas orabat quotidie. A concione sudans, cilicium exuebat, sed aliud non minus asperum induebat. Licèt tardiùs circa meridiem à concione rediret, positis humi genibus, plenum horæ quadrantem de genibus dabat examini Conscientiæ. Cùm aliquando de Inferno ad concionem diceret: multis visus est Angelico vultu, magno splendore collucens.

6. In Polonia latè grassente lue contagiosa, anno 1631, præclaram nacta est Societas occasionem Apostolicæ charitatis Spiritum exercendi. Gedani hoc die, inter strenua obsequia pestiferis exhibita, occubuit P. Nicolaus Piwnicki, Prutenus, cum Sociis undecim alibi, varijs mensibus sublatis.

XVI. DECEMBRIS.

1. S. Xaverius anno 1557 Malacâ scripsit Goam ad PP. Paulum Camertem, Joannem Beiram, & Antonium Criminalem: ut hi duo posteriores quantocyus proficiscerentur in Promontorium Comorinense. Paulo verò Camerti solicitè commendat curam Domûs Goanæ, specialiter autem subjectionem omnem erga superiores. Paule Camers, inquit, Charissime multùm oro te, per quo JEsum Christum prosequeris, amorem ut acriter invigiles utilitatibus, & conservationi domûs istius. Ante omnia tibi etiam atq; etiam commendo: ut plenam perfectamq; exhibeas obedientiam iis, qui ejus domûs qualemcunq; Præfecturam exercent. Sic habe: nihil te ulla in parte mihi gratius, nihil posse jucundius facere: quàm si plenè ad nutum ipsis obtemperes. Equidem si isthic essem, nihil, ne minimum quidem, facerem contra, vel præter, authoritatem & voluntatem eorum. Opto ac spero, DEum intimo in animam tuam afflatu inspirationis suæ persuasurum tibi penitus: nulla te re majorem inire abs se gratiam posse, plusq; ad suum obsequium laudemq; conferre: quàm ejus amore abnegando tuam propriam voluntatem &c. *Ex Epist, Veter. lib. 5. epist. 8.* *Epistola S. Xaverij.*

2. Romæ anno 1602 habita est Congregatio & disputatio XII de Auxil. Grat. coram Clemente VIII. Collatæ sunt Conclusiones duæ Cassiani, cum doctrina Molinæ. Prima: *Quòd DEus quodammodo occasiones quærat, & expectet: ut datio & largitio suæ gratiæ rationabilis videatur.* Altera: *Homo in natura lapsa sufficientes habet vires ad resistendum gravibus tentationibus, & ad superanda singula difficilia.* Ad primam respondit P. Arrubal: In Molina nihil tale reperiri; nec verba *expectandi* & *quærendi*, haberi in locis ex ipso allegatis. Deinde Cassianus per occasiones illas intelligit *Actus naturales*: à quibus alienus est Molina. Ad secundam reposuit: Cassianum docere; hominem per vires naturales posse superare multo tempore tentationes gravissimas, quales S. Job sustinuit: quod non docet Molina. *Eleuther. hist. de Auxil. lib. 5. cap. 16.* *Disputatio de doctrina Molinæ.*

Eodem die obierunt.

3. Panormi in Sicilia, anno 1614, P. Vincentius Regius, Italus. Inter cæteras virtutes ejus eximia elucebat oculorum modestia, qua à blandioris sexus aspectu severè abstinebat. Unde cum quispiam sororis ejus Sanctimonialis effigiem ipsi offerret, rogaretque; an illam satis referret? respondit: Se id nescire; quippe qui illam nunqnam aspexerit. S. P. Ignatium præcipuo cultu venerabatur, scilicet accuratissimâ regularum observantiâ; ideoque dicitur conspectum ejus meritus in morte. *Modestia oculorum.*

Temporis observantia. 4. Romæ anno 1624. P. Franciscus Sacchinus, Italus, Historicus Societatis & Secretarius quàm disertus, tam accuratus, & religiosus. Ut satis temporis haberet pro assiduis laboribus suis, solicitè cavebat, ne minimum quid illius perderet. Unde P. Mutius, Præpositus Generalis, dictitabat: Sacchinum, ne unciam quidem temporis perdere. Eadem solicitudine versabatur circa paupertatem religiosam: tum quòd eam à S. Patre in Matrem commendatam sciret; tum quòd velut in gremio ejus natus esset. Patrem enim habuit agrestem & mulionem, quo tamen ille gloriabatur; & quoties ad Collegium Romanum veniebat, digito eum monstrabat Sociis P. Franciscus dicens: En patrem meum. A sacro redux, obvio P. Generalis administro Coadjutori dixit: Iret, ac Patri Generali diceret; se ad valetudinarium ire, & brevi moriturum. Ivit, & quarto die religiosè decessit.

Infirmarius exactus. 5. Placentiæ anno 1644. Laurentius Ortega, Coadjutor, Hispanus. Ægrotos accuratissimâ curâ fovebat, præsertim senem quendam Patrem per annos quinque. Idem Pater post mortem convenit Fratrem Laurentium læta specie, eumque amanter amplexus, gratias egit pro tam effusis diuturnæ charitatis officijs, monuitque: ut constanter pergeret in eo officio: DEO enim id valde gratum esse; denique dato ipsi in fronte pacis osculo, videri desiit. Illud in eodem Fratre mirandum occurrit; quòd jam inde à puero, nunquam sitierit (nisi in extremo morbo) adeòque nec biberit; cùm experiretur id stomacho suo valde officere.

XVII. DECEMBRIS.

Exequiæ S. Ignatii in India. 1. GOæ in India celebratæ sunt anno 1557 magnificæ exequiæ S. Patri Ignatio; cui & Xaverium, & omnes, à quibus exculta est, & excolitur, debet India operarios. Interfuere Prorex, & honestissimi Lusitanorum; sacrum fecit Patriarcha Æthiopiæ Andreas Oviedo, Consalvus Silveria pro concione virtutes & egregia S. Patris facta, quantumq; illi orbis terrarum, & India nominatim, deberet, gravi oratione explicavit. *Sacchin. hist. Soc. p. 2. lib. 1. n. 149.*

Colonia nostris datur Collegiũ. 2. Coloniæ in Germania anno 1556 attributum est Societati trium Coronarum Collegium. Cùm enim Leonardus Kessellius cum aliquot Sociis habitarent in domo conductitia, & satis incommoda; fructus autem facerent plures, quàm pro numero operariorum: complures viri probi & docti vehementer optabant, ad conservandam Religionem, sustinendumq; Academiæ splendorem, suscipi à nostris munus docendi. Evenit autem opportunè, ut Regens unius è tribus gymnasiis, quæ in urbe erant præter Academiam, relegandus esset; quòd Lutheranam spiraret hæresim. Vacans ergo Rectore Collegium Societati consignatum est: quod trium Coronarum dicitur, nomine imposito ab insignibus Urbis Coloniensis, quæ tres repræsentant Coronas. Sed quia negotium cum onerosis Societati conditionibus transactum erat: alia deinde ædes pro Collegio com-

comparata eſt cum debita immunitate. *Orlandinus hiſt. Soc. p. 1. lib. 16. n. 26. Sacchin. p. 5. lib. 2. n. 105.*

Eodem die obierunt.

3. Ingolſtadij in Germania anno 1608, P. Paulus Hoffæus, Germanus, hæreticorum expugnator acerrimus, & fidei Catholicæ propugnator ſtrenuiſſimus. Unde de ipſo & P. Petro Caniſio, uſurpabat ſapientiſſimus Bavariæ dux Albertus, quod Eccleſia canit de Principibus Apoſtolorum: *Petrus Caniſius, & Paulus Hoffæus, ipſi nos docuerunt legem tuam Domine.* Maximis muneribus par, in Societate præclarum egit Rectorem, Provincialem, Viſitatorem & Aſſiſtentem; quatuorque interfuit Congregationibus Generalibus. Animabus defunctorum juvandis addictiſſimus, ſæpe illas habebat ad portam cubiculi ſuffragia petentes: ideoque Juvenes noſtros, ſi videbat eos aliquid ultra conceſſa ſibi indulgentes, blandè monebat: *Venietis & vos aliquando ad me pro ſuffragiis.* Poſt mortem viſus eſt unà cum P. Claudio Aquaviva, ſpecie decora glorioſus. *Hæreticorum expugnator.* *Animarum in fugium.*

4. Compluti in Hiſpania anno 1625, P. Joannes Suarez, Hiſpanus. Aſſidua ejus in mente & corde occupatio erat, gratulari DEO de omni eo, quod eſt; & quaſi aſſiduis in eum rapi amoris actibus. Cuidam familiari ſuo faſſus eſt; ſe perſæpe ad ſingulos paſſus elicere unum actum Amoris Divini. Nec loquebatur, niſi fere de DEO, ab aliis colloquijs dextrè ſubducere ſe ſolitus. Cùm quidpiam durioris imperij aliquando à ſuperiore expectaret, atque ab eo abhorreret; illico ad Ven. Sacramentum ſe recepit, & voto ſe obligavit, ad nullam excuſationem prætendendam. Et præſtitit, licet res eſſet valde ardua, & cum inſigni ejus deſpicientiâ conjuncta. Sed victoriæ tam inſignis opulentum pretium tulit; quippe per annos 12 poſtea magnis & miris à DEO gratijs & ſolatijs cumulatus. *Actus amoris divini.* *Obedientia prompta.*

5. Clatoviæ in Boëmia, anno 1648, P. Georgius Pelinga, Moravus, ardens Verbi divini prædicator & in Miſſionibus, præſertim Caſtrenſibus, ſtrenuus ac felix operarius. Laus ejus non ſolùm Boëmiam impleverat & Moraviam, ſed Romam delata, ſingulare à P. Præpoſito Generali obtinuit encomium. *Ex Tannero.*

XVIII. DECEMBRIS.

1. S. P. Ignatius anno 1594 juſſu DEiparæ V. præclaram de ſtudio Humilitatis ſolidæ exhortationem dixit S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis, Ordinis Carmelitarum. Spectandam enim ſe illi præbuit Virgo Mater, media inter Sanctos Ignatium, & Angelum Martyrem Carmelitam; juſſitque Ignatium inſtruere Magdalenam in ſtudio Humilitatis, Angelum in exercitio religioſæ Paupertatis. Exhortationem S. Ignatii, prout ab ipſa Sancta eſt relata, exhibet Bartolus in Vita S. Ign. lib. 4. n. 5. atque inde concludit: quàm perfectus fuerit Ignatius in Humilitate: ſiquidem ipſum ſpecialiter delegit Virgo DEipara in Magiſtrum ejuſdem virtutis, eiq; tam capacem & præclaram commiſit diſcipulam. *S. Ignatius dicit exhortationem de humilitate.*

2. An-

Facultas alienandi bona. 2. Anno 1576 Gregorius XIII Præpoſito Generali Societatis facultatem conceſſit: ut accepta debita informatione, poſſit quæcunq; bona domorum & Collegiorum Societatis alienare in evidentem ejuſdem utilitatem, per ſe vel per alios, vendendo aut permutando, abſq; alia à Sede Apoſtolica, vel ejuſdem Legatis, aut Nunciis, petita licentia. In Emphiteuſim autem poſſit tradere ad tres generationes. *Bullar. Societ.*

Eodem die obierunt.

3. Cracoviæ in Polonia, anno 1629, P. Adamus Gorski, Roxolanus. In Sacrificio Divino conficiendo, & Horis Canonicis perſolvendis ad ſtuporem accuratus, dicere ſolebat: *O quàm ignorant Sacerdotes, quantas delitias habeant in opere iſto!* Coram SS. Sacramento plures horas ducebat, Saxi inſtar immotus. Chariſſima ei erat Regula, qua jubemur in omnibus noſtri mortificationem quærere. Unde corpus ſuum nunquam permittebat acri aliquo dolore carere; præcipuasque ejus partes in menſes diſtribuebat, ut ſingulis menſibus aliud aliudve cruciaretur membrum. *Mortificatio in omnibus.* Pro generali Sanctæ vitæ regula ſibi præſcripſerat; *Ita vivere, ſicut in tertio Probationis anno vixeras.* Teſſeram ſui erga DEum affectus, hanc ſcripto reliquit: *Iuro, Domine, ac teſtor: quòd nihil velim, niſi maximam gloriam Nominis tui; & maximam confuſionem faciei meæ.* Theologiæ docendæ ſe accingentem Cracoviæ, mors omni apparatu ſancta occupavit.

4. Ingolſtadij in Germania, anno 1648. P. Sebaſtianus Schaller, Germanus. Incredibili legum noſtrarum obſervantiâ inſignis: tanto lucrandarum animarum zelo æſtuabat: ut voto concepto promiſerit; ſe vitam, quaqua liceret, illis lucrandis impenſurum. Et impendit: quando in obſequio peſtiferorum nobilis cecidit victima charitatis. *Victima charitatis.*

XIX. DECEMBRIS.

P. Bellarminus Rector Collegii Romani. 1. P. Robertus Bellarminus heri renunciatus Rector Collegi Romani anno 1593, ubi ex mœrore, ob impoſitum onus honorificum, collegit animum vir humillimus: formam regiminis ad normam Sacrarum literarum, legumq; Societatis ſibi præſcripſit, concinnavitq; Adhortationem ad Socios habendam, ex illa Eccleſiaſtici ſententia cap. 32. *Rectorem te poſuerunt? Noli extolli: eſto in illis quaſi unus ex ipſis - - & non impedias muſicam.* Cui divino monito ita conformavit gubernationem ſuam, ut poteſtate authoritateq; Superior, humilitate eſſet omnium infimus; congrua ſuavitate temperaret diſciplinæ rigorem; & non animorum duntaxat, verùm & corporum paternam haberet curam. Talem dum ageret Rectorem, meruiſſe viſus eſt, ut aſcenderet ſuperiùs, & quidem paſſu velociore. Nondum enim exacto gubernationis Collegii triennio, juſſus eſt Provinciæ Neapolitanæ curam ſuſcipere: quam ſumma prudentiâ & charitate gubernavit; donec poſt mortem Card. Toleti à Clemente VIII evoca-

evocaretur, ut illius loco munus Theologi Pontificii ſubiret, *Petraſancta in Vita lib. 2. cap. 10.*

Eodem die obierunt.

2. Granatæ in Hiſpania, anno 1610, P. Joannes de Torres, Hiſpanus. Si quod animæ alicujus lucrum ſperaret, ab eo nulla illum occupatio, nulla corpori adverſa valetudo, nulla alia difficultas avertere valebat. Fama eſt, dæmonem cuidam authorem fuiſſe, ne cum illo ſuo inimico (ita P. Joannem appellabat) aliquid negotij haberet. Dies totos pro ſacro pœnitentiæ tribunali inſumebat, noctes verò meditandis divinis dabat, His intentum cùm mors impeteret; *Nunquam exiſtimaſſem*, inquiebat, *mori, rem tam dulcem eſſe: nec dubito, hanc eſſe vocationis gratiam.* *Mors dulcis.*

3. In Hollandia, anno 1620, P. Petrus de Hollandre, Belga. Cùm morti ſe vicinum adverteret, eâdem, qua mortuus eſt die, ſcripſit ad Præpoſitum Provincialem: ſe proteſtari, quòd ex ea, quam ſemper coluiſſet, voluntatis ſuæ cum Superiorum voluntate conjunctione, tantum per omnem vitam in Societate actam, jucundiſſimæ ſolidiſſimæque voluptatis hauſerit; quantum omnes mundi deliciæ conferre non poſſunt. Ingenio erat ad ſumma omnia experrecto, exquiſitè obſervans legum, & privatæ pietatis exercitiorum, ita: ut etiam extremo vitæ ſuæ die, obſervatus ſit ad horologij campanæque ſonum attendere, ut diſtributorum in horas Crucifixi myſteriorum meminiſſet. *Voluntatis propria cum ſuperiorum conformitas.*

XX. DECEMBRIS.

1. S. Ignatius iterata apparitione recreat matronam afflictam. In valle quadam Pedemontana, Lauzus dicta, graſſabatur anno 1626 ingens luporum copia, qui inſolita rabie etiam in homines ſæviebant. Ad illos abigendos, oppidani novemdialem decreverunt ſupplicationem, ad Sacellum S. Ignatii inſtituendam. Auditi ſunt, lupique turmatim diffugerunt. Hoc Sancti præſidio excitati alii ejuſdem vallis incolæ, cùm lues peſtifera, ſtrage magna deſæviret in pecora, ad eundem Sanctum recurrerunt, edito voto, de ſacra æde illi excitanda in proximo monte, ex veteris caſtri ruderibus. Nuncupato voto, ceſſat ſtrages, ægra ſanantur animalia, difflatur omnis peſtifera lues. Ergo populus voti reus, ſacellum extruit; quod confeſtim magno viciniæ concurſu, ſingulariq; pietate celebrari cœpit. Nec defuit Sanctus ſupplicum precibus atq; ſolatio. Mulier, Thomæ Muſſani conjux, cujus filium fœdâ herniâ laborantem ſanârat, perſolutura preces voto promiſſas, dum convertit ad montem, in quo ſacellum erigebatur, oculos, videt S. Patrem cæliſti fulgore circumfuſum, inſidentem ſaxo elatiori, amœniſſimo vultu amabilem. Recurrit ad Parochum ſuum, viſumque enarrat. Ille jubet eam inſiſtere precibus & ſumptâ ſacrâ Euchariſtiâ, diligentiùs Sancto ſe commendare. In- *S. Ignatius apparet mulieri afflictæ.*

terim gravi mœrore obruitur mulier: è quo ut emergeret, iterum oculos levavit in montem, nec defuit inde auxilium illi. Iterum vidit eodem in saxo Sanctum, cujus aspectus, mœrorem omnem momento discussit, animum serenavit, & miris demulsit deliciis. Unde mirum in modum circumjacentibus in oppidis & pagis crevit S. Ignatii cultus, ædificatis Sacellis & aris, institutis jejuniis, & in ejus anniversaria festivitate solemnis veneratio. *Bartolus in Vita lib. 5. n. 99. & 100.*

Eodem die obierunt.

2. Goæ in India Orientali, anno 1562, P. Joannes Nunnez, Lusitanus, Æthiopiæ Patriarcha. Deliberanti de vitæ Sanctioris statu ineundo, spectandam se præbuit DEipara V. comitibus P. Petro Fabro, & Francisco Strada è Societate JESU, quæsivitque ex Joanne: *Vis servire Filio meo usque ad defatigationem?* Annuente ipso *Sequere ergo hos viros*, subjunxit DEipara, & videri desiit. Incidit paulò post Joannes Conimbricæ in P. Petrum Fabrum, agnovitque illico, eum esse ipsum, quem nuper DEiparæ comitem viderat; cùmque Faber eum alloqueretur iisdem illis verbis, quibus DEipara; *Vis servire Christo usque ad defatigationem?* Societati constanter se addixit, & post præclara non vulgaris virtutis documenta meruit Æthiopiæ dari Patriarcham, quam dignitatem egregijs dotibus ornavit.

Vocatio ad Soc.

3. In Sicilia, anno 1592, P. Hieronymus Domenecus, Hispanus. Societatem in Sicilia præclarè provexit, eique præfuit magna laude benigni Patris, accurati Superioris, periti medici, ita: ut Siculæ Societatis Angelus diceretur. Orandi studium tanti fecit, ut diceret: Etiam S. Franciscum ab illa Sanctitatis suæ eminentia prolapsurum fuisse, si non hoc præsidio se sustentasset. Vesperi cubitum concedendo ita sese componebat, quasi re vera nocte ista esset è vita migraturus.

Orationis studium.

4. Calari in Sardinia, anno 1623, Franciscus Hortulanus, Coadjutor Hispanus. Cùm primùm ex utero matris egressus est infans, mox junctis, instar orantis manibus, clara voce & distinctè pronunciavit. MARIA, MARIA; prout mater & obstetrix sanctè sunt testatæ. Et vixit semper addictissimus cultui DEiparæ V. raris favoribus ab ipsa dignatus. Cùm ægro cuidam nostro amanter & accuratè serviret; vidit Christum Crucifixum brachia in amplexum suum protendentem, audivitque: nunquam se ab illo deserendum.

Infans pronuntiat Maria.

XXI. DECEMBRIS.

1. Festum S Thomæ Apostoli admonet Societatem vaticinii, quo prædixit; eam olim in vastissimis Indiæ Orientalis regionibus, quas Christiana fide atq; legibus excolebat, laboraturam. Erectæ enim columnæ, vel ut alii volunt, Cruci, prope Meliaporem, Choromandelis regni metropolim, in loco milliaribus 15 distants ab Oceano, inscripsit: Cùm mare eò pervenisset, venturos in Indiam homines albi coloris, ad restaurandam Fidem & Religionem, quam ipse prædicabat. Eventus vaticinio fidem

S. Thoma Apost. vaticinium.

dem fecit: cùm enim Vascus Gama primùm in Indiam appulit, mare pedem illius Crucis, seu columnæ, lambere cœpit. Secutus non multò pòst Xaverius cum Sociis, prædictionem cumulatè implevit. *Bartolus in Vita S. Xav. lib. 1. n. 25.* Unde patet: S. Thomam Apostolum etiam eo nomine rectè appellatum fuisse Didymum: Joan: 2 quòd in Apostolatu Indico geminum habiturus esset Xaverium.

2 Etiam in India Occidentali, seu America, prædicasse S. Thomam Apostolum, non obscura demonstrant vestigia, quæ repererunt Nostri, in terras illas appulsi. Inter cætera, fama fuit, sparsa per Paraquariam, vastam Americæ regionem, prædixisse illum: Post multa sæcula Sacerdotes, ejusdem DEi cultores, sibi successuros, qui eadem, quæ tunc ipse, posteros docerent; quiq; ut ipse, Cruces manu gestarent. Postquam igitur Socii illuc delati sunt, visæ in manibus ipsorum Cruces fidem fecerunt; ipsos esse illos, quos Apostolus prædixerat venturos. *Imago Soc. 1. Sæc. lib. 1. cap. 2.* *S. Thomas prædicavit in America.*

3. Eidem S. Apostolo templum magnificum Goæ excitari à Prorege Constantino, curavit P. Consalvus Silveria, post expeditionem Damanensem feliciter absolutam: ut regiones sanguine suo tinctas, veræ fidei lumine iterum illustraret, protegeretq; recentes Evangelii prædicatores. *Sacchin. hist. Soc. p. 2. lib. 3. n. 13.* *S. Thomæ templum erectum.*

Eodem die obierunt.

4. Romæ anno 1577, P. Joannes Polancus, Hispanus. S. Patri Ignatio valde utilem præstitit operam in gubernanda & provehenda Societate, vir non minùs Religiosus, quàm prudens ac doctus. Quamvis autem, tanquam publico Societatis Secretario, ingens negotiorum congeries incumberet: concionibus nihilominus, sacrisque Lectionibus simul operam dabat; idemque & Doctrinæ Catecheticæ, & Procuratoris Generalis officium administrabat; nec à culinæ triclinijque muneribus erat immunis. Eandem operam præstitit S. Patris successoribus, Jacobo Laynez & Francisc. Borgiæ; eratque maximè mirandum: quod in tam variarum maximarumque occupationum concursu, Polancus eodem semper esset vultu, eandemque animi serenitatem præferret semper. Post obitum S. Francisci Borgiæ præfuit Societati & Congregationi Generali III ut Vicarius Generalis; denique Visitatione Siciliæ laudatè perfunctus, vitâ quoque religiosissima defunctus est. *Sotvell. in bibl. Soc.* *P. Polanci elogia.*

5. Friburgi in Helvetia, anno 1589, P. Petrus Canisius, Belga, magnum rei Catholicæ columen in Germania, infractus hæreticorum malleus, à quibus præclaro scommate appellabatur *Canis Austriacus*; quòd Ferdinandus Cæsar illo potissimùm uteretur ad varias contra sectarios expeditiones; à Catholicis verò passim elogio *Germaniæ Apostoli* honorabatur. Laboribus Apostolicis Italiam, Austriam, Bohemiam, Germaniam, ac potissimum Bavariam excoluit; ut meritò de ipso dicere consueverit *P. Canisii elogia.*

pijssimus Bavariæ Dux Albertus: *Petrus Canisius & Paulus Hoffæus, ipsi nos docuerunt legem tuam Domine.* Poloniam quoque jussu Pauli IV, cum Apostolico Nuncio invisit, & Clerum præcipuè in fide confirmavit; à Pio IV Pont. Max. specialibus literis ad ipsum datis, laudatus, ut indefessus fidei zelator; à Gregorio XIII Romam evocatus, ut collato consilio Germania juvaretur; persuasitque Canisius Pontifici optimo: ut Collegium Germanicum in Urbe ad incitas redactum, resuscitaret; quod ille præstitit abunde. Apostolicum fidei zelum par comitabatur Humilitas & Obedientia. Illa suadente Infulas Viennenses oblatas à Cæsare non admisit; hac innuente, pari promptitudine & ascendebat ad sublimia, & descendebat ad ima, honoratus à DEO in vita & post mortem multis naturam supergressis gratijs.

Columba super caput sacrificantis.

6 Cordubæ in Hispania, anno 1576, P. Franciscus Gomez, Hispanus, vir planè columbinæ simplicitatis & mansuetudinis, sive cum externis conversaretur, sive domesticos gubernaret. Testata hanc ejus indolem candidissima Columba, quæ ipso Pentecostes die super sacrificantis caput consedit, & semel iterumque abacta, redijt, donec ab æditu in sacrarium asportata est.

Obedientia prompta.

Vox è tumba.

7. Antverpiæ in Belgio, anno 1624, P. Joannes Isenbrant, Belga, ad omnem Obedientiæ nutum mirè promptus. Quidquid demandaretur vel nutu Superioris, singulari alacritate reponebat: *Libenter.* Hausto pridie ab ægris morbo sublatus, cùm jam 8 horis in Sarcophago jacuisset, Frater verò, quo Socio usus erat, fortè illac transiret; audivit clarè & distinctè allapsas è tumba, velut viventis P. Joannis, voces: *Libenter! Libenter! Libenter!* Visus paulò pòst à quodam Patre cælesti splendore gloriosus, monuitque eundem de imminente morte, quæ brevi secuta est.

XXII. DECEMBRIS.

Hæretici urgent expulsionem nostrorum ex Transylvania.

1. IN Transylvaniæ generali conventu, cùm heri, anno 1588, in Societatem atrociter invecti essent Ariani & Calviniani Pseudo episcopi: hodie in Conventum admissus P. Wujecus Proprovincialis cum aliquot Sociorum, solidè calumnias refellit, ostendendo: quàm fideliter Societas operam suam instituendæ juventuti, juvandisque Catholicis impenderit; quàm pacis ubiq; tranquillitatisque, multas licèt vexationes perpessa, non studiosa modò, sed & custos fuerit &c. Egressis è templo, ubi Conventus agebatur, Patribus, Hæretica nobilitas, quanquam multùm repugnantibus Orthodoxis, & ipso Regni Thesaurario Acatholico, Sombrio, mittunt libellum ad principem, iterum flagitantes: ut è regno idololatria, & ejus propagatores Jesuitæ, ejiciantur. Sed respondit Sigismundus princeps Bathoreus: nec Præceptores suos (à nostris enim literis institutus fuerat) nec homines sibi à Patre, ac Patrono, Stephano Rege Poloniæ, commendatos, & à regno receptos, indictâ causâ, pelli abs se decere; cùm præsertim ejus religionis essent, quam ipsemet sequeretur; & aliqui etiam non Catholici, affirmarent, eos regno opportunos esse, & ad suorum

rum

rum institutionem liberorum retineri, postularent. Hæc tunc Sigismundus princeps insigni animi fortitudine, cui utinam constantia non defuisset. *Sacchin. hist. Soc. p. 5. lib. 8. num. 53.*

2. Anno 1592, Clemens VIII. Decretum misit Nuncio Apostolico in Belgium de confessione Paschali facta religiosis, in quo hæc habentur: præsenti nostro decreto sancimus, licere sæcularibus, Christiq; fidelibus universis liberè Missas diebus Dominicis, & aliis majoribus festis audire in Ecclesiis tam fratrum Prædicatorum, quàm aliorum mendicantium, nec non etiam Collegiorum Societatis JEsu, juxta illorum privilegia, & antiquas consuetudines, dummodo id in contemptum Ecclesiarum Parochialium non faciant: & tam dictis fratribus prædicatoribus, & presbyteris dictæ Societatis, quàm aliis privilegiatis prædictis, quibus id à Sede Apostolica indultum est, idoneis tamen & ab Ordinario approbatis, peccata sua, etiam Quadragesimali & Paschali, & quovis alio tempore, confiteri licitè posse: dummodo tamen sæculares Christi fideles Sacramentum Eucharistiæ die festo Paschatis Resurrectionis, in propria Parochia ab eorum Parocho sumant. *Confessio Paschalis potest fieri Mendicantibus.*

Eodem die obierunt.

3. Londini in Anglia, anno 1642, P. Thomas Hollandus, Anglus post strenuos & admodum fructuosos labores, consuetâ Sacerdotum Catholicorum carnificinâ, sublatus est. Judex ipse disertè pro tribunali fassus est; nihil criminis habere P. Thomam, quàm quòd Sacerdos Catholicus esset. Auditâ capitali sententiâ lætus respondit: *DEO gratias*: in carcere verò Socios invitavit ad Hymnum Ambrosianum secum recitandum. Moriturus ajebat; se Catholicum esse Sacerdotem, & Jesuitam; paratum autem, religionis causâ, pro DEO ponere vel tot vitas, quot haberet capillos in capite, quotvè in Oceano essent guttæ, & Perfectiones in DEO. Cæterùm in Conversatione cum externis & domesticis, tantâ pollebat gratiâ & eruditione in serendis Colloquiis spiritualibus; *ut conflatus è Spiritu, & Bibliotheca librorum Spiritualium*, diceretur. *Victima fidei.*

4. Monachij in Germania anno 1634, P. Matthæus Raderus, Germanus Tirolensis. Insigni constantiâ Rhetoricam docuit annis 22; ob excellentem peritiam, eruditionem, & elegantiam linguarum Atticæ & Romanæ, à doctissimis id ætatis viris, Justo Lipsio, Martino Delrio, Velsero &c. magnis encomijs celebratus. Memoriâ semper fuit vegetâ, etiam in fracto laboribus corpore; moribus verò innocentissimis, & suavissimo agendi modo, è religiosa humilitate nato. Eruditionem viri singularem testantur volumina ab ipso edita, præsertim ad illustrandos authores Græcos, & Latinos quosdam Classicos: Viginti duo recenset *Soutvell. in bibl. Soc.* *Rhetorica annis 22 docta.*

Literæ S. Ignatii in Indiam.

1. IN Indiam Orientalem anno 1549, pervenerunt geminæ, à S. P. Ignatio datæ Epistolæ: quarum altera S. Xaverius nominabatur, Sociisque præficiebatur, Præpositus Provincialis per Indiam & transmarinas regiones in Oriente; adeoq; tunc primum India facta est Provincia Societatis, distincta à Lusitana. Alterâ conferebantur Xaverio gratiæ omnes & Privilegia à Sede Apostolica collata Præposito Generali Societatis. *Bartolus in Vita S. Xav. lib. 4. n. 13.*

Indulgentiæ aliarum Ecclesiarum.

2. Anno 1579 Gregorius XIII Religiosis Societatis JEsu concessit: ut in suis Ecclesiis obtinere possint Indulgentias omnium aliarum Ecclesiarum in locis, in quibus commorantur: si ante altare in quo Sanctissimum Sacramentum Eucharistiæ reconditum est, in ipsius Ecclesiis Societatis, oraverint pro S. Romanæ Ecclesiæ exaltatione, hæresum extirpatione, & inter Principes Christianos fovenda pace. Breve incipit: *Cùm sicut accepimus.* Ex Bullar. Soc.

Epistola Alexandri VII ad Remp. Venetã.

3. Anno autem 1656, Alexander VII insignem & planè paternam dedit Epistolam in forma Brevis, ad Serenissimam Remp. Venetam, quibus eam hortatur ad restituendam Societatem in Dominium suum. Labores, inquit, quibus uti fideles operarii in Christi vinea, Societatis JEsu Religiosi exercentur, fructusq;, quos Domino benedicente ex illa percipiunt, Nobilitatibus vestris probè cognitos ac perspectos esse, non dubitamus. Adeò enim uberes sunt: ut bonus eorum odor longè sese lateque diffuderit, & ad longinquas etiam remotasque regiones jam olim pervenerit. Nos, quorum humilitatem supremus ille Paterfamilias ac Dominus, domûs suæ custodiæ, & agri sui cultioni præposuit, solicitudinis nostræ debitum, ac præcipuam curam esse putamus: utiles adeò servos, ac traditis à Domino talentis augendis inprimis opportunos, peculiari charitate completi &c. Concludit postea: Dignam itaq; prudentiâ vestrâ, dignam pietate, dignam perpetuâ in nos observantiâ, ac maximopere ad divinum auxilium impetrandum, opportunam rem facietis; eos quàm primùm in nobilissimam istam civitatem, omnemq; vestram ditionem, recipiendo &c. *Gomez in Elog. Societ. p. 1. Classe 3.*

Eodem die obierunt.

Humilitas.

4. Mauriaci in Gallia, anno 1610, P. Robertus Cuissotus, Gallus, ad omnem virtutem ita formatus: ut Ruthenensis Antistes diceret: Solo hujus Patris aspectu, cælestes quosdam divini amoris igniculos aspicientibus injici. Humilitate erat tam profun-

profundè solidèque fundata, præsertim in Christo Crucifixo: ut negaret, se ullis dæmonis machinis posse ad arrogantiam inflari. Moriturus, suavissimè recolebat illud Apostoli: *Sive vivimus, Domino vivimus; sive morimur, Domino morimur.*

5. Carpentoracti in Gallia, anno 1658, P. Balthasar de Bus, Gallus. Ab ipso initæ Societatis exordio, totus fuit in carne spiritui subjuganda; ideoq; unde unde poterat, tum Veterum Patrum, tum Recentiorum conquirebat heroicæ mortificationis externæ exempla, & quantum per Superiores licuit, æmulabatur. Sic subjugata carne, spiritum ejus tantis implebat DEus cæli delicijs; ut illi nimiæ & subinde suspectæ viderentur. Cogitatione pariter ac Amore ita adhærebat DEO: ut diceret, difficile sibi esse, mentem ad Creaturas convertere. Sub mortem, magno animi sensu, recitavit triste illud Ecclesiæ carmen, *Dies iræ, dies illa &c.* ut securior, inter Amorem & Timorem DEI, transiret ad beatam Æternitatem. Adjecit & hymnum Ambrosianum, *Te DEum laudamus*, in gratiarum actionem, quòd in Societate moreretur. Ad hanc ut vocaretur, eamque ingrederetur, ferventibus quatuor annorum precibus apud DEum institit. Magnus DEi servus, per omnem Galliam celeberrimus, Cæsar de Bus, patruus nostri Patris Balthasaris. *Mortificatio.* *Conjunctio cū DEo.*

XXIV. DECEMBRIS.

1. ANno 1589, in Japonia, regno Arimæ Christiano, inventa est Crux prodigiosa in medio diffissæ arboris aridæ, quam Japones Taram vocant, putantque fugare dæmones. Cùm enim ligna pro festis Natalitiis Christi paraturus, exiisset Michael quidam Christianus, aridum truncum viæ imminentem securi stravit; cùmque fidisset medium, in quavis fissæ arboris parte apparuit crux è ligno alterius speciei, similiter diffissa: ut in quavis trunci parte crux appareret, cujus longitudo erat dodrans palmi, seu spithama. Inter cæteros ad prodigij famam accurrentes, adfuit etiam Protasius rex Arimæ; cui ante menses sex per quietem visi duo quidam cæli principes, nunciarunt: *Esse in terris ipsius signum JESU.* Hic ergo cùm vidisset prodigiosam illam Crucem, non dubitavit, eam esse Signum JESU, de quo nuper monitus fuit. Prostratus igitur humi, O, inquiebat, ut te libens, gratusque accipio cælo missum pignus! *Ede, quid hoc signo imperes, Christe: parati ad Crucem ferendam sumus.* Sub hæc Crucem argentea inclusam theca, in qua videri trans pellucidam crystallum posset, Arimam ipse portavit; ubi longè celebrior facta est, secutis ad eam curationum ingentibus miraculis: ad quorum evidentiam, etiam ethnici ita commoti sunt; ut ex ipsis ante finem sequentis anni 1590 undecim millia Arimæ sint baptizati; in variis verò Ximi locis, usque ad novem millia. Verùm non solùm benedictionis, sed etiam gravioris imminentis persecutionis ea crux signum fuit. *Sacchin. hist. Soc. pag. 5. lib. 9. n. 322. & seqq.* *Crux prodigiosa.*

2. In

P. Suarez invitatur ad continuandam Theologiam.

2. In Lusitania conabatur Ven P. Franciscus Suarez expedire se curâ Prælectionum Theologicarum in Academia Conimbricensi, in quibus jam ultra annum trigesimum tum ibi, tum alibi processerat: Sed obstitit Philippus III rex Hispaniæ & Lusitaniæ, datis ad eum literis hoc die, anno 1611, urgendo: ut saltem triennium adhuc ei labori, Ecclesiæ & ditionibus suis tam utili, impenderet; quibus evolutis, iterum institit; ut unum adhuc annum superadderet. Tam eximiam habuit opinionem de Doctore illo, quàmvis plurimi alij in doctissima Hispania & Lusitania non deessent. *Maffejus in Vita cap. 17.*

Eodem die obierunt.

Victima fidei.

3. In Brasilia, anno 1554, Petrus Correa, & Joannes Sosa, Lusitani in odium fidei nobiles victimæ ceciderunt. Erat primùm Petrus turmæ militaris ductor, miraque sagacitate venabatur Brasilos barbaros, Lusitanis in servitutem vendendos. Monitus resipuit, atque ut miseros Brasilos è captivitate diaboli in libertatem filiorum DEI assereret, Societati sese addixit; in qua dum indefesso labore, miraque dexteritate salutem illorum promovet, unà cum Fratre Sosa, à barbaris obrutus sagittis occubuit; Christianis unicum Magistrum, omnium amicum, fratrem & patrem deplorantibus.

P. Claudii Matthæi gesta.

4. Anconæ in Italia, anno 1587, P. Claudius Matthæus, Gallus. Humili stirpe ac paupere domo natus, virtute ac ingenio eò evasit: ut Henricus III, Galliæ rex, frequenter per duas tresve horas ab ejus ore penderet. Dux Guisius fere quotidie persamiliariter eo utebatur, etiam spiritualibus S. Ignatij Exercitijs per dies 40 ab ipso excultus. Cùm Provinciam gubernaret, certior fiebat divinitus, quoties aliquis in Provincia moriebatur. Claudium Aquavivam in Præpositum Generalem eligendum, diuque illi muneri præfuturum, cælitus didicit ac prædixit. In postremo Romam itinere quotidie per horæ dimidium Exhortationem habebat ad comites, vel ad aliquem famulorum. Redeuntem in Galliam, Anconæ mors occupavit.

Mortem celerem impetrat.

5. Hispali in Hisp. anno 1584, P. Georgius Alvarez, Hispanus. Magna siti salutis animarum ardebat; magna in permovendis ad lacrymas obstinatis peccatoribus efficacitate pollebat. Persuasit aliquando parenti suo, ut Exercitiis Spiritualibus apud nos animum excoleret; Sed simul P. Rectorem oravit, ut illi calceos faciendos vel reficiendos daret tempore exercitii manualis: esse enim arte sua sutorem. Visus est non ab uno, nec semel, inter orandum cælesti lumine circumfusus. Morientem Rodericum de Flores rogavit P. Georgius: Ut celerem ipsi mortem impetraret. An non posses, ajebat, mihi à DEO obtinere, ut proximum Christi nascentis diem in cælo celebrem? Recepit Rodericus, id se curaturum. Et P. Georgius brevi æger, scilicet undecimâ Decembris, hoc die optata morte migravit è vita.

XXV. DECEMBRIS.

S. Ign. primam Missam celebrat.

1. ANno 1538, ipsa Natalis Christi nocte, S. P. Ignatius Romæ ad Præsepe nati DEI, in Basilica S. MARIÆ Majoris, ad Nives dicta, primum

Missæ Sacrificium DEO obtulit, post præmissam plus quàm unius anni præparationem. *Nadasi in Indice Memor.*

2. Granatæ in Hispania anno 1560, Concionatorem è Societate agebat P. Joannes Bapt. Sancius, cùm ea in animos auditorum authoritate: ut quòquò vellet illos flecteret. Fuit; cùm in nosocomio, quod S. Joannes DEI erexerat, confertum auditorem è Clero, & primarijs alijs viris, ad opera misericordiæ invitaret, præsertim in re valde angusta ejus domûs. Inter alia, Eritne, inquiebat, in hac tam insigni corona, qui exemplo S. Martini, velit nudum Christum in suis pauperibus operire? Vix dixerat, cùm prosiliens in medium Sacerdos quidam, pretiosum sibi detractum pallium ad pedes Patris abjecit. Exemplum confestim secuti alii super alios, quidquid ad manum habebant, in unum conjiciunt cumulum, pecuniam, annulos, pallia, saga, thoraces &c. ut Sancius inclamare debuerit: Satis esse, superque. Eandem industriam eâdem felicitate repetiit ipso Christi Natalis die, hortando, ut algentem nudumque Christum operirent. Tam facile calefacit Auditores ardens Orator. *Sacch. hist. Soc. p. 2. lib. 4. n. 178.* *Concio efficax.*

3. Apud Sinas Pechini, urbe regia, tandem anno 1609, ipso Dominici Natalis die aperuerunt Nostri Sacellum elegans, Europæo more constructum, cum aris duabus, altera Christo Salvatori, altera ejus Parenti Virgini dicata. Neophytorum ingens fuit concursus, sed major ethnicorum: quorum non pauci per eam occasionem gregi Christi sunt aggregati. *Trigaultius in Exped. Sinens. lib. 5. c. 15.* *Sacellum Pechini apertum.*

4. In Gallia, ut Lugdunum, urbem amplissimam, ab hæresi plenè purgaret P. Edmundus Augerius, qui supra duo millia hæreticorum ibi converterat: ex voluntate Senatûs, aggressus est cum alijs quibusdam Doctoribus bibliopolia recognoscere. Congesta est infinita vis librorum pestilentium; qui ipsa nocte Nascentis Christi, incensi, magna luce perfuderunt cælum: continuatum est incendium etiam per sequentes duos dies. *Sacchin. hist. Soc. p. 3. lib. 3. n. 161.* *Libri hæretici combusti.*

5. In Transylvania anno 1588, alia fuit facies. Ab hæreticis, Gubernatore Getzio, & Nobilitate editum decretum: ut ex omni Transylvania intra 25 dies excederent Jesvitæ, nec ulli fas esset, eos apud se habere; multaque alia contra Religionem Catholicam decreta; Princeps Sigismundus coactus in verba impii decreti jurare. *Sacchin. hist. Soc. p. 5. lib. 8. n. 61.* In Livonia quoque Rigæ, ingens tumultus excitatus ab hæreticis anno 1585. *Idem ibid. lib. 5. n. 82.* *Ex Transylvania jubentur nostri excedere.*

6. Post mortem Pauli IV diu inter Cardinales de eligendo Pontifice concertatum: quorum plerique subitò motu Laynium, Societatis JESU Generalem, virum omni exceptione majorem eligendum proclamarunt. Sed tandem in die Natalis Christi, omnes in Joannem Angelum Medicinum Mediolanensem convenerunt. Coronatus est 8 Idus Jan. dictusque Pius IV cujus cellæ superuolitans columba & in ea quiescens creditur Pontificatum prænunciasse. *Brietius.*

Pius IV Pont. eligitur.

Eodem die obierunt.

7. Fremonæ in Æthiopia, anno 1593, P. Emmanuel Fernandez, Lusitanus, Patris Andreæ Oviedi, Patriarchæ, Socius, laborumque ac periculorum consors. Nestoriano Monacho contra Catholicos Imperatorem concitanti, prædixit: Catholicos ab Imperatore nihil passuros, ipsum autem pseudo-monachum, brevi ad tribunal divinum rapiendum: prout evenit. Mortem, quam occiduo antè prædixit, inter liquidissima solatia oppetijt, Comparenti enim sibi DEiparæ V. *Ah Domina mea*, ajebat! *Ah Domina mea*! Petenti Francisco Lopez Coadjutori, ecquid esset? respondit: *Vidi Virginem DEiparam, pulchritudine Divina mirabilem. Sine me, sequi abeuntem.* Et secutus est.

Deipara apparet moribundo

8. Nangasachi in Japonia, anno 1628, Michael Nacascima, Japon, odio fidei interemptus. Christianam rem egregiè promovit in Japonia, non uno fustuario honoratus. Denique comprehensus solito aquæ in os infusæ, & mox violenter cum sanguine expressæ, tormento cruciatus est. Soli torrendus expositus, leni aura è cælo aspirante, recreatus est. Deinde bulliente sulphurea aqua, quæ ex monte vicino manat, frequenter perfusus, & per stagna ejusdem aquæ raptatus, cùm Christum & fidem constanter profiteretur, extinctus, seu potiùs cælo ortus est.

Victima fidei.

9. Londini in Anglia, anno 1628, P. Joannes Bennetus, Anglus ob fidei & animarum zelum gravissimis carceribus, & acerbissimis tormentis excruciatus. Quibus tamen omnibus longè acerbius excogitavit & adhibuit tormentum hæretica rabies; quando in angustū cubiculum compacto P. Joanne, immisit spurcissimorum juvenum turmam, qui ante oculos Viri castissimi omne genus fœditatum exercuerunt. Sed omnibus infractus, proscriptus tandem est ex Anglia, intentata dira morte, si rediret. Rediit tamen, & totis 35 annis in laboribus Apostolicis, & quotidianis mortibus, exactis, quievit in pace. Viri Sancti elogio passim honoratus.

Rabies hæretica.

10. In Belgio anno 1690, P. Cornelius Hazart, Belga. Per annos viginti & ultra Concionibus sacris Antverpiæ satis occupatus: ut non sola voce, sed stylo etiam prædicaret, tantum temporis invenit vir zelosissimus: ut præter Tomos 7 Historiæ Ecclesiasticæ, in folio, de Controversijs fidei distinctos libros 37 elucubrarit, ediditque. *Soutvellus in bibl. Soc.*

Auctor variorum librorum

XXVI. DECEMBRIS.

1. CONtigit anno 1599 insignis visio S. Mariæ Magd. de Pazzis: quando in extasim rapta, in festo S. Stephani Protomartyris vidit: DEum S. Joannis Evang. animâ ita delectari; ut quodammodo præter illum, nemo

Visio S. Mariæ Magd. de Pazzis.

nemo esse in cælo videretur: quod idem præstabat DEus animæ S. Ignatii Soc. JEsu Fundatoris. Nam, ut ipsa Sancta subdit: Idem est S. Joannis, cum S. Ignatii, spiritus. Amborum enim fuit scopus hic & finis; amor & charitas in DEum & proximum: amore atq; charitate homines trahebant ad DEum. Tum addit: nullus felicior in terris nunc viget, quàm Ignatii spiritus: ejus enim filii in regendis animis contendunt potissimùm, ut sciant; quantopere DEo placeat, interiorem excolere hominem, & interioribus exercitiis se dare. His enim efficitur, ut ardua & difficilia facile obeantur: nam virtus interior lumen animo infundit, ex quo nascitur is amor, quo amata omnia dulcescunt. Videbat præterea, Ignatii filios, quoties in terris hoc modo cum proximis agerent, toties illam instaurare, quam ex Ignatii anima DEus percipit, voluptatem. *Bartolus in Vita S. Ign. lib. 2. n. 47.*

2. In Africa anno 1561, hoc die, potentissimum Monomotapæ regem adiit P. Consalvus Silveria. Antequam regem accederet, præmisit ille ducem exercitus sui Antonium Cajadum Lusitanum, qui suo nomine Consalvum salutaret, ac munera deferret, ingens auri pondus, boves permultos, famulosq; in usus domesticos. Quæ cùm omnia officiosè remisisset Consalvus, tanquam statui suo non accommodata: miratus est rex eam animi excelsitatem. Advenientem excepit ea humanitate, quam nec stipendiariis sibi regibus præstare solebat. Ubi verba salutis æternæ facere cœpit: eam illis gatiam dedit DEus: ut intra breve tempus rex cum matre sua, multisque proceribus sit baptizatus. *Sacchin. hist. Soc. p. 2. lib. 5. n. 219 &c.* *P. Silveria adit regem Monomotapa.*

3. In Italia Robertus Bellarminus, juvenis adhuc annorum 22, nec gustata adhuc Theologiâ, ad stuporem concionatus est in templo primario Montis Regalis. Primam dixit concionem heri: quam cùm summa voluptate audissent Prælati & cives: legatis ad Collegium missis, institerunt, ut altera etiam die, S. Stephano sacra, non gravaretur eos reficere verbo DEi. Erubuit Robertus, & cùm temporis brevitatem opposuisset, ad concionem parandam; repositum est: quidquid diceret, ratum gratumque futurum. DEo ergo confisus, dixit cum ea satisfactione: ut Canonici omnes acclamârint; heri audivimus te concionantem, hodie DEum per te. Rector Collegii scribens de his ad Generalem, non dubitavit, Bellarmino juveni accommodare illud: Nunquam sic locutus est homo. *Petras. in Vita lib. 2. cap. 2.* *Bellarminus primam dicit concionem.*

Eodem die obierunt.

4. Rhemis in Gallia, anno 1654, P. Petrus Cellot, Gallus, vir ad omnes apices Legum & consuetudinum nostrarum formatus. Raro illo elogio celebrant eum Annuæ: quòd cùm Sacras Literas explicaret quatuor aut tribus Auditoribus, non minùs libenter & diligenter parabat, Lectiones, quàm si frequentissimum haberet Auditorem.

5. Carpentoracti in Gallia, anno 1628, Jacobus Vasserot, Coadjutor, Gallus. Cum luem publicam ardere videret; ut suppetias ferre posset laborantibus, impetravit à Superioribus. Pridie autem, quàm egrederetur ad opitulandum infectis, per quietem spectabilem habuit Christum D. Sed tergo ad se converso procedentem. Consternatus hoc viso, flexis genibus conabatur eum sequi, humillimèque peccatorum suorum veniam flagitabat, Et mox vidit Christum facie ad se conversum, audivitque dicentem: *Dimittuntur tibi peccata tua.* Expergefactus, incredibili solatio est perfusus; & mox facta generali exomologesi, inter communicandum tantam vim profudit lacrymarum, ut ipsi Sacerdoti communicanti eas exprimeret. In limodochio, infectorum eam curam habuit; ut pater omnium videretur, donec & ipse charitate immolatus est.

Dimissio peccatorum.

Victima charitatis.

6. Rasisbonæ in Germania anno 1649, Marcus Grandl, Germanus. Coadjutor impiger & accuratus. Ut frequentiùs mortem haberet in mente, Sandapilam ipse sibi construxit, quæ semper sibi versaretur ante oculos. Profuit viro bono ea cautela. Nam dum universæ vitæ labes quadam die confessione diligenti, sanus adhuc, ad aures Sacerdotis deponit: repentinâ apoplexiâ ipso in opere pio oppressus est, Sacerdote absolutionem maturante, dum adhuc spiraret.

Memoria mortis.

XXVII. DECEMBRIS.

S. Joannes Evang. suadet Societatem ingredi.

1. S. Joanni Evang. speciali devotione affectam esse Societatem, decet: tum quia unus est S. Ignatii & Joannis spiritus; prout revelatum S. M. Magdalenæ de Pazzis: tum quia eximiam illius æstimationem prodidit adolescenti cuidam de statu vitæ deliberanti Parisiis. Is cùm liberiore vitâ relicta, magis probam instituisset: nocte quadam percepit vocem, ad constantiam se adhortantis. Post octiduum similiter monitus, quæsivit: quis esset, qui loqueretur. Responsum est: sum tui cognominis, Joannes, Evangelista. Capuccinumne, an Carthusianum agere placet? Ut DEo visum: reposuit adolescens. Rursus post octiduum comparet Apostolus, dataq; in manus schedula, en, inquit, tres tibi offeruntur Ordines, quem voles, elige: ego ampliùs non revertar. Erant autem in scheda duorum Ordinum nomina argenteis scripta literis; Tertium nomen, quod erat, Societatis JEsu, aureis. Intellexit adolescens mysterium, sibique consuluit Societatem ingressus. *Imago primi Sæc. Soc. lib. 2. cap. 9.*

2. In Transylvania lætus pariter ac tristis illuxit hic dies Sociis proscriptis.

ſcriptis. Lætus; quòd digni habiti eſſent, pro Nomine JEſu contumeliam, & bonorum omnium jacturam pati. Triſtis, quòd regio tam ampla deſerenda eſſet, & tam copioſus Catholicorum grex in medio luporum relinquendus, unà cum principe Sigiſmundo, Catholico quidem, ſed cui hæretici jam dominabantur ita: ut nemo Patrum, etiam per ſupplicẽ libellum, aut literas, ipſum conuenire poſſet. Erat Albæ P. Joannes Leleſius, qui principem à pueritia educârat, & inſtituerat, Religionemque Catholicam in Tranſylvania quàm maximè propagârat ac ſuſtentârat: is cùm ab aliquot annis paralyticus jacuiſſet; ut mortem jam vicinam ibidem opperiretur, impetrare non potuit. Meggeſio ubi conventus Nobilitatis eſt habitus, hodie proficiſcentibus Patribus, tam vehemens coorta eſt procella: ut tectum templi, in quo proſcriptionis decretum promulgatum fuit, & caminum ab domo principis, & pontis Albani partem disjecerit. *Sacchin. hiſt. Soc. p. 5. lib. 8. n. 61.* *Expulſio noſtrorum ex Tranſylvania.*

Eodem die obierunt.

3. In Anglia anno 1656, P. Andreas Vitus, Anglus. Apoſtolicis laboribus patriam uſque ad octogeſimum ætatis annum ſtrenuè juvit. Conjectus denique in carcerem, cùm conſueto ſibi jejunio in pane & aqua, attritum & exhauſtum corpuſculum bis quot hebdomadis maceraret: carceris cuſtos eam ſeveritatem ſtupens. Si ita rem agere pergeret, inquiebat, minimè parem fore, ut è Tiburni furca rectus penderet. Mihi verò, reſpondit Senex, iſtud ipſum jejunium abunde virium ſubminiſtrat, ad quidlibet causâ Chriſti Domini mei, perferendum. Creſcente deinde languore, cùm jam animam acturus videretur; Nondum, ajebat, venit hora mea, aut dies S. Joanni Evangeliſtæ Sacer. Jam dies cùm adveniſſet, vocem audivit: *Hodie mecum eris*; & munitus Sacramentis, prout petierat, feliciter ex utroque ergaſtulo evolavit. *Abſtinentia in carcere.*

4. Gandiæ in Hiſpania, anno 1570, Petrus Aldea, Novitius Scholaſt. Hiſpanus. Magno fervore ad ſolidam eminentemque virtutem ferebatur; Sed cælo jam maturus, raptus eſt. Eodem tempore, quo Petrus Gandiæ moriebatur, Valentiæ Catharina Ferraria, pia mulier, cujus hoſpitio ante initam Societatem ille uſus fuerat, cùm nocte intempeſta orationi inſtaret, odore ſuaviſſimo ſibi perfundi videbatur. Poſtridie Franciſco, illius marito, ſpecioſus apparuit Petrus, & apprehenſa ejus manu, dixit: Se illius memorem eſſe, prout olim promiſerat. Vidit quoque octennis filiolus Petrum, una cum 40 Socijs, floreis ſertis redimitos, & palmis inſtructos. Quæ cùm Catharina manè in Collegio Socijs retuliſſet; adfuerunt paulò poſt Gandiâ literæ, quibus mortis Petri tempus, cum prædictis bene congruens, nunciabatur. *Mortuus variè apparet.*

5. Viennæ Auſtriæ anno 1634, P. Joannes Hitzette, Lotharingus, glorioſo labore peſtiferis impenſo conſumptus eſt cum tribus Socijs. Fuit is annus tam funeſtus Germaniæ: ut præter innumeram populi multitudinem, è noſtris 64, varijs in locis, obſequiis peſtiferorum ſint immortui. *Victima charitatis.*

XXVIII. DECEMBRIS.

Proscriptio nostrorum ex Transylvania.

1. CLaudiopoli in Transylvania, post promulgatum proscriptionis decretum, deliberatum à nostris est: An parendum esset iniquissimo decreto; vel sparsim, & incognitò, permanendum? Audendum, etiam cum vitæ periculo, censebant pleriq; ; nec committendum, ut tam fortiter & feliciter cœpta facilè deserantur, & cum populo Catholico Princeps Sigismundus, velut agnus inter feras bestias, relinquatur. Nondum esse ventum ad tormenta: posse fieri, ut procella hæc, quò major esset, eò citiùs detonaret. Ex altera parte, cedendum suadebat, inprimis monitum Christi, ut orta in una civitate persecutione, recipiamus nos ad aliam; deinde ne refractarii videamur, & quod hæretici continuò clamant, legum contemptores & seditiosi. Vincendum potiùs esse in bono malum; fieri posse, quod non raro fit, ut modestia exarmet furorem, & patientia sævitiem. Ubi viderit nobilitas clausam Academiam Claudiopolitanam, alia quoque Collegia & Gymnasia desolata, pronum est, ut amissi boni sensus tangat illam, Carendo enim magis, quàm fruendo, plerumq; rerum pretia cognoscimus. His & similibus in utramq; partem allatis, Proprovincialis censuit, ad Principem Sigismundum decisionem esse referendam. At is, postquam serò tandem eum licuit convenire, cùm laudasset operam sibi & populo à Societate præstitam, cedendum iniquitati temporis putavit, ultroq; viaticum obtulit, & virtutis testimonium. Sic finem habuit prima Societatis in Transylvania commoratio. Sociorum alii in Poloniam rediêre, alii in Austriam concessêre, alii abiêre in Moldaviam, quò vocabantur. Claudius Generalis non probavit, quòd omnes excessissent. *Saccin, hist. Soc. p. 5. lib. 8. num. 62.*

Eodem die obierunt.

Amor Infantis Christi.

2. Valentiæ in Hispania, anno 1583, Michael Gubernus, Hispanus. Ecclesiasten quamvis ageret, tranquillo dulcique dicendi modo amabilem: ob solidas tamen, quas adferebat, rationes, mirè fuit efficax, & in aula, atque ubique acceptus. Incredibili amore tenebatur erga Christum Infantem, cujus effigiem passim dulcissimis lacrymis rigabat: ab illo, dicebat, se suas habere conciones, & omnia. Ingredienti aliquando Bibliothecam, occurrit Infans JESUS; & cùm P. Michael prætenderet, sibi jam prohibitum esse, de illius Infantia meditari; respondit Parvulus: *Vade, & pete veniam, ut mecum possis loqui.* Ivit, & impetrata veniâ redux, dulcissima cum JESU suo miscuit colloquia.

Amor Deiparæ.

3. In Gallia, anno 1623, P. Nicolaus Pollienus, Sabaudus, silentii & Deiparæ V. amantissimus. Comparuit ea viro gravi & probo è clero, ægro, sed vigilanti, comitemque habebat P. Nicolaum, quem jussit: ut ægri pectus tangeret. Tactus ægro salutaris

lutaris

lutaris fuit. Ipse Pater cùm adversa laboraret valetudine, geminos è Socijs Anicium euntes rogavit ad Sacros Divi Francisci Salesii cineres, id sibi impetrarent; ut die, quo ille migravit è vita, id est, die SS. Innocentibus sacro, & ipse migraret. Oratum & impetratum. *Mors impetrata.*

4. Bruxellæ in Belgio anno 1630, P. Joannes à Gouda, Belga, Ecclesiastes eximius non solùm oris facundiâ, sed etiam vitæ exemplo. Quàm potens verbo in cathedra, tam taciturnus domi, quamvis ingenij esset admodum amœni. Rogatus quando suas conciones esset typis editurus? faceta humilitate respondit: *Iam esse editas*; quasi non sui, sed alieni ingenij partus essent. Paupertatis studio, fere vacuum & inane incolebat cubiculum; Calamo uno totos decem annos usus est: quamvis complures elucubrarit, ediderítque libros contra sectarios. Tria optavit pro morte: ut non lenta, sed præcipiti morte decederet; ut die aliquo Mariano; ut inter labores. Obtinuit omnia. Fractus enim concionibus per Adventum habitis, cùm hoc die qui Sabbativus erat, mensæ communi accumberet, & finem prandii expectaret: derepente linquitur animo, moxque sacro inunctus oleo, placidissimè expiravit. *Soutvell. in bibl. Soc.* *Mors ad vota accidit.*

XXIX. DECEMBRIS.

1. Pius IV Pont. Max. vindicem famæ Societatis epistolam dedit anno 1564 ad Maximilianum Imperatorem. Sparserat enim non solùm per Urbem & Italiam, sed etiam Germaniam, quidam Prælatorum, quos in his partibus vocant, *libellos famosos*; quibus præter crimina afficta, eam traducebat, & omnium odio propinabat, ut Religionem diabolicam, nationem execrandam, barbaricam sectam. Eò erumpunt impotentes animi motus, ubi non ratio sed cupiditas & invidia dominantur. Deprehensum tandem Authorem privat officio Pontifex, jubetque dari in vincula & severè puniri. Nec sanè grave supplicium effugisset, nisi pro more suo adnitente Societate, Pontifex ad agendum clementiùs flexus fuisset. Ad infamiam tamen Societatis evitandam vel abstergendam, literas laudis & commendationis plenas dedit ad Imperatorem, Cardinalem Augustanum, Ecclesiasticos Imperii Electores, atque Bavariæ Ducem: postquam à Cardinalibus Judicibus, quibus causæ cognitionem commiserat, pro Societate pronunciatum est, non sine elogio ejusdem. *Sacchin. hist. Soc. p. 2. lib. 8. n. 31. &c.* *Calumnia detersa.*

2. Aliam ad ipsummet Pium IV Pontificem, pro Societate dedit Epistolam, Cardinalis & Princeps, deinde Rex Lusitaniæ, Henricus, anno 1568: qua illam eximiè commendat Pontifici, significatque se Oratori regis in Urbe existenti, dedisse in mandatis: ut omnia negotia, quæ ad commoda Societatis pertinent, singulari curâ & diligentiâ procuraret &c. *Gomez in Elog. Societ. p. 2. Class. 2.*

Eodem die obierunt.

P. Ioannis Nunnij actia. 3. Ulyssipone in Lusitania, anno 1616, P. Joannes Nunnius, Lusitanus. Assidua illi erat cum DEO consuetudo, quam in noctem profundam coram Ven. Sacramento protrahebat. Spiritualibus aulæ ministerijs applicatus, nec ullas gulæ illecebras, nec quidquid honoris speciem habebat, admisit, solitus non rhedâ, sed pedibus è Collegio ad aulam proficisci, ad tria vel quatuor passuum millia. Magnam in eamorum probitatem, & eximia virtutum decora florere fecit verbo & exemplo. Mortuum, in ferretro per proceres adornato, sex primæ dignitatis optimates humeris extulêre.

4. Pragæ in Bohemia, anno 1651, P. Bernardus Oppel, Moravus, è Canonico Societatis religiosus. Magna in eo fuit nobilissima quæque capita ad fidem Catholicam adducendi dexteritas & felicitas. Liberalitas erga pauperes. Rectorem agens vestes sibi detractas dabat egentibus, calicesque aliquot in subsidium lue tactorum conflavit. Egeno ultimos, quos habebat, decem argenteos nummos dedit: quorum loco decem aureos invenit in scriniolo, in quo nihil repositum fuerat.

DEipara impertit sanitatem. 5. Montibus in Belgio, anno 1652, Joannes Daniel, Coadjutor, Belga, DEiparæ V. cultui addictissimus; à qua gravi hernia, qua miserè torquebatur, liberatus est. Inter orandum enim consopito, spectabilis facta, quæsivit: *Ioannes vis sanari?* Respondente illo; cupere se, si id DEO placeret. Mox expergefactus, perfectè persanatum se invenit.

XXX. DECEMBRIS.

Literæ Pij IV pro Societate. 1. PIUS IV Pont. Max. præter literas famæ Societatis vindices, heri datas ad Maximilianum Imp. alias in eadem causâ dedit hodie ad Danielem Archiepiscopum Moguntinum & Electorem. Non sine magna admiratione cognovimus, inquit, libellos quosdam maledictorum, probrorum, & contumeliarum plenos, nuper dissеminatos per Germaniam fuisse, ad odium infamiamque conflandam universo Ordini Societatis JESU, & quibusdam ex ea, præcipuè qui cæteris sunt notiores. Sanè id molestè tulimus. Intelleximus enim, id maligni hostis instinctu actum fuisse: ut quoniam ab ejus Societatis Collegijs, quæ sunt in Germania, & aliis provinciis, magna & multiplex his miseris temporibus ad Ecclesiam DEI utilitas pervenit, eorum bona opera per malevolorum hominum obtrectationes & calumnias impediantur &c. *Sacchin. hist. Soc. p. 2. lib. 8. num. 35.*

Pecunia benè impensa. 2. In India insigni zelo atque industria rem Christianam promovit P. Gonzalus Rodriquez in Salsetis. Cùm enim exeunte anno 1557. illuc venisset Franciscus Barretus Prorex, magnamque vidisset Christianorum solitudinem ob hominum egestatem: obtulit P. Gonzalo aureos quingentos, annuatim persolvendos, quibus ad rem Christianam propagandam, pro

pro suá prudentia liberè uteretur. Tam opportuno subsidio invitatus Pater, moliri statim cœpit fundationem novæ Christianitatis, quæ ab urbe Tana, in qua colluvies sectarum vigebat, esset commodè remota. Distabat tertio ab urbe milliario sylva, in qua templum cum idolo tricipiti, extabat satis elegans, & ab idololatris frequenti visitatione adiri solitum, ad nuncupanda vel exsolvenda vota: quibus saginabantur Brachmanes. Sylvam ergo illam cum circumjacente agro inculto, emit Gonzalus, eamque crucibus erectis implevit; quibus cùm profanata esse & sylvam, & fanum illud, existimarent ethnici, abstinebant à frequentatione illius. Deserto fano, ac oblatis deficientibus, diffugerunt sacrificuli Brachmanes: Pater verò tanquam bona derelicta occupavit, pagumque in vicinia fundavit pauperum Christianorum: quos ubi artem colendi agrum edocuit, mox ille larga segete respondit culturæ. Sic factum, ut unius anni spatio quingenti numerarentur coloni, omnes Christiani; qui paulò post usque ad ter mille ascenderunt. Cavit autem diligenter: tum ne quisquam viveret otiosus; tum ne illis immiscerentur veteres Christiani, præsertim Europæi: qui liberiore vivendi ratione corrumperent novellum illum innocentemque gregem, ad omnem pietatem certis legibus efformatum. Usus est idem & alia solertis ingenij industriâ, instituta perquam sancta negotiatione. Apud circumjacentes ethnicos invaluit vetus error & consuetudo: ut parentes, sive ob egestatem, sive ex fastidio educationis, sive quæstûs causâ, venderent parvulam prolem, pretio vix majore, quàm quo apud nos constat hœdus anniculus. Horum plurimos, ne in Mauros inciderent emptores, assignata illa sibi à prorege pecuniâ emebat Gonzalus, educabatque Christo. Emebat & multos adultiores, vel membris mutilos, vel gravi ægritudine factos inutiles, vel qui credebantur non diu supervicturi; quos omnes vili pretio comparatos, vitæ vel morti Christianæ mirabili solertiâ aptabat, avarus animarum negotiator. *Bartolus hist. Asiat. lib. 7. num. 14. & 15.*

Eodem die obierunt.

3. Aronæ in Italia, anno 1596, P. Emmanuel Sa, Lusitanus, vir ex illustrioribus Societatis nominibus; in quo mira eruditio cum summa pietate eminebat. Vix annos 17 natus, in nova Gandiæ Academia Philosophiam magno plausu docuit, meruitque ipsum Academiæ Fundatorem, S. Franciscum Borgiam, tum adhuc Gandiæ Ducem, privatim habere discipulum. Romæ conciones habuit annis compluribus, nullo quidem Rhetorum artificio elegantes, & quasi ultro inconcinnas; semper tamen gratas, rationibus & spiritu validas, adeòque fructuosissima. Fertur, non semel Infantis *Philosophus & Ecclesiastes rarus.*

fantis JESU & Matris ejus conspectu recreatus; quæ etiam morienti adfuit cum S. Patre Nostro.

4. Hispali in Hispania, anno 1644, P. Petrus de Urteaga, Hispanus. Ad populum plausu admirabili & fructu dixit per annos 45, etiam dum Collegia & Domum Professam iteratò gubernaret. Nec incarceratorum, ægrorumque curam interim deponebat. Quodsi fortè, dum regebat, in aliquem domi incidisset, à meridie aliquid otio indulgentem; summa mansuetudine rogabat; *Quid hic agis, mi Pater? Et quomodo cœnam hodie à Domino mereberis, nisi ante noctem lucrum aliquod illi ex animabus attuleris?* Apostolicos ejus labores etiam temporali fructu remunebatur Dominus, quando domesticam egestatem non semel prodigiosè sublevavit.

Otij osor.

5. Eboræ in Lusitania, anno 1600, P. Joannes Stremosius, Lusitanus. Duo memorabilia de hoc traduntur. Alterum, quòd centesimum decimum ætatis annum excesserit: alterum, quòd etiam in ea ætate crudus in se ipsum fuerit, quotidianis flagris in strigosum corpus desæviendo.

Senex crudus in se.

6. Ibidem anno 1582, P. Emmanuel Alvarus, Lusitanus. Eximia vitæ integritate atque prudentiâ præstans, Collegia rexit Eborense & Ulyssiponense, ubi etiam domum Professam cum laude gubernavit. Sed multò celebriorem fecerunt Libri editi de Arte Grammatica: quos & externi Grammatici insignes magni fecerunt; & Societas universa recepit, in Scholis suis explicandos. *Soutvell. in bibl. Soc.*

P. Emmanuel Alvarus.

XXXI. DECEMBRIS.

1. EX insula Sanciano, anno 1551, solvit Malacam, ac inde Goam, reversus ex Japonia, Indiarum Apostolus S. Xaverius. Propositum ei fuit, ordinandi res Societatis in India: ut posset iter arripere in Chinam. Advertit enim in Japonia; prædicationem Evangelij longè majores proventus facturam: si illud probassent, ac suscepissent Sinenses. Japones quippe Religionis suæ ritus referebant ad Sinenses, tanquam magistros suos; à quibus & deos & modum eos colendi accepissent. Proinde si illi aliud quoddam novum Numen admisissent: se non gravatè secuturos, dictitabant. Hujus ergo expeditionis curam Apostolicum Xaverij pectus assiduè coquebat ita: ut eidem etiam sit immortuus anno sequente. Jam summam doctrinæ Christianæ, Sinensi idiomate concinnatam habebat, sibi & Sociis olim usui futuram; jam cùm Jacobo Pereira, sibi amicissimo, convenerat de navigio, & itineris Societate; jam animum obfirmaverat ad quævis pericula, carceres, tormenta, & quamvis mortem. In Indiam ergo anhelabat: ut inde quantocyus rediret in Sancianum. Et videbatur DEus favere proposito. Statim enim ac Xaverius in Sanciano navim conscenderat; ventus, qui adversabatur euntibus in Indiam, à puppi adspirare cœpit, plenisque velis navim agebat, Verùm non diu secundo

cursu

cursu frui licuit. Coortus enim typho, turbine repentino cælum navesque involvit, atque eam, quæ Xaverianæ navi comes ibat, miserando naufragio dissolvit. Actum fuisset & de altera, nisi Xaverium vexisset. Pereira ergo cum cæteris accurrere ad sanctum, & de salute sua conclamare, nisi opem ferat. Ille tacitus secedit, & cùm aliquantisper orans hæsisset; prodit in publicum, vultu Angelum referente, elatoque brachio, navi bene precatur, prædicitque: *Navim sanctæ Crucis* (erat id nomen navi) *mari nunquam hauriendam, sed quo fabricata fuerat loco, illic sua sponte dissolvendam.* Mox typho navim dimisit liberam, secundus iterum afflavit ventus, exiitque per totam Indiam fama: navim Pereiræ nullo unquam casu perituram; ideoque certatim omnes illa vehi, illi merces suas credere, ipsi naulum quodvis liberalissimè solvere, quasi certam emerent securitatem. Et sanè è sexcentis eluctata periculis, totis 30 annis, ab illo vaticinio, superstes fuit, licèt ægra, cariosa, decrepita. Cavebant autem navarchi: ut cùm eam refici oporteret, non subduceretur in terram, sed in mari reficeretur eò, quòd sanctus prædixerat: in sicco dissolvendam. Admiranda planè sunt, quæ de ea navi traduntur. Cùm tandem in potestatem venisset Præfecti arcis Diensis; hic videns undique hiulcam, & tantùm non carie defluentem, Cocini jussit eam in litus extrahi, & reparari. Ibi dum in diem sequentem expectat artificum manus; noctu, velut senio fractis artubus, in acervum lignorum collapsa, jacuit, solis ignibus utilis. Confluxit populus ad rarum spectaculum, tamque diuturnum Xaverij miraculum festis vocibus celebravit. At Georgius Nonnius infimæ notæ mercator, ratus; etiam dissolutis tabulis aliquid Xaverianæ virtutis inesse, raptam ingenti fiduciâ tabulam Liburnicæ suæ inseruit; valuitque industria & fides. Semper enim felici cursu famosa naufragijs maria peragravit: donec eodem fato, quo navis illa S. Crucis, extracta in terram, ut reficeretur, sponte concidit, & dissoluta est. *Bartolus in Vita S. Xaver. lib. 3. num. 50. & seqq.*

Navis S. crucis.

2. Ex regno Siam Indiæ Orientalis, anno 1688 in Decembri, Legatos regis Siamensis Romam deduxit P. Guido Talciard, natione Gallus, ad venerandum summum Pontificem Innocentium XI, eundemque informandum de statu rei Christianæ in regnis Siam, Tunchin & Cocincina. Opportunus fuit is adventus & informatio. Jam enim S. Congregatio de Propaganda Fide ex sinistra æmulorum delatione decretum condiderat

contra Missionarios Societatis in illis partibus: quod Innocentius rectiùs informatus suspendit. *Ex literis Rom.*

Eodem die obierunt.

B. Ioannis Francisci Regis actia.

3. Labovesci in Gallia, anno 1640, B. Joannes Franciscus Regis, Gallus, animarum zelo & miraculis clarus. Missionibus obeundis, Sodalitatibus instituendis & regendis, pauperibusque juvandis totum se, & vitam omnem, incredibili fructu impendit. In Missionibus post plures conciones in diem habitas, pœnitentibus audiendis ita se addixit: ut non nisi vespere aliquid refectionis admitteret, nec aliud ferè, quàm lactis modicum, poma, & panem cibarium mendicatò impetratum. Noctu somno vix tres horas domi in Missionibus duas concedebat; reliquæ Orationi sacræ erant. Mortem suam prævidens, ideoque ex humilitate in stabulum deportari petens conspicuos habuit Christum & B. Virginem. Ad justa funebria Viro DEI persolvenda in pago Labovesc dicto, in quo obierat, confluxerunt per altas nives Parochi 18, frequentissimum populum ducentes, quamvis resciri non potuerit; unde nuncium de morte Patris habuerint. Patentatum autem magna comploratione, tanquam communi & sancto Patri. Etiam pulverem de sepulchro illius multi experti sunt sibi salutarem. Beatorum numero adscriptus à Clemente XI anno 1716. colitur 24 Maij, plura habet vita ejus Brunsbergæ impressa.

Vocatio ad Societatem.

4. Messanæ in Sicilia, anno 1635, Marcellus Scaglione, Coadjutor, Italus. Deliberans de Societate ineunda, radium splendidum vidit cælitus erumpentem, è quo dicit, ibi vivendum & moriendum sibi esse. Quàmvis nobilis, & sacerdotio idoneus esset, elegit abjectus vivere in domo DEI. Sed eum non semel DEipara V. & cæli principes spectabili præsentia sua honorârunt. Per omnem vitam, in prandio & cœna, eligebat aliquid melius, à quo amore DEI abstineret. Perseverantiam in Societate, quotidie per aliquem sanctum ejus diei petijt, & feliciter obtinuit.



IN-

INDEX

A.

B

Basteus

C

P. cor

D

E

E

H

P. Hay-

I

K

Leges

M

N

O

P

Hae

rum

V

Notandum: Defunctorum plerosq; excerptos esse ex Patris Nadasi Anno Dierum Memorabilium; quibus ex Soutvelli Bibliotheca Soc. JESU, Tannero &c. alij accesserunt.

FINIS,





Hic liber inscriptus Cathalogo Societatis JESu Cracoviensis ad S. Barbaram

Hic Lyber

Fi

FASTI

SOC



